This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B 1,042,968


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
L5
L.54
v.4
Cum.

# T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

# OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

22140

# TITUS LIVIUS

## PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

## ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

---

VOLUMEN QUARTUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIII



# T. LIVII PATAVINI

# HISTORIARUM

## AB URBE CONDITA

# LIBER XXI.

## BREVIARIUM.

Cap. I; Bellum punicum secundum, maxime omnium memorabile, quod parat Hannibal, a patre olim jurejurando adactus, et jam ante Hamilcar meditatus erat.—II; In Hispania Hamilcar perit, et Hasdrubal, gener ejus, imperium obtinet. Is fœdus renovat cum Romanis, et a barbaro quodam obtruncatur. — III; Ei succedit Hannibal, militum, plebis et Barcinæ factionis favore adjutus, nequidquam refragrante Hannone. — IV; Hannibalis ingenium, virtutes et vitia. — V; Hannibal Olcades, Vaccæos, Carpetanos, omnesque trans Iberum populos, præter Saguntinos, Romanorum socios vincit. — VI; Certamina serit inter Saguntinos et Turdetanos: hi ab eo juvantur; illi auxilium orant Romanorum, qui legatos ad Hannibalem, atque inde Carthaginem mittunt. — VII-VIII; Saguntus jam summa vi tum oppugnatur; tum obsistit, et ipse Pœnorum dux vulneratur. — IX; Legati romani non admittuntur, et Carthaginem eunt. — X; Ibi Hanno unus causam fœderis et Romanorum agit. — XI; Senatus carthag. prope omnis Hannibali favet. Saguntini in ipsa urbe cum hostibus fortiter pugnant, sed jam laborant inopia omnium. Oretani Carpetanique opprimuntur.—XII; Arx Sagunti oppugnatur, et exigua pacis spes tentatur per Alconem et Alorcum. — XIII; Ille manet apud hostem: hic duras pacis conditiones affert et suadet. — XIV; Quibus auditis, multi se suaque in ignem conjiciunt. Mox expugnatur urbs, omnesque puberes interficiuntur. — XV; Capta Saguntus cum ingenti præda octavo mense. — XVI; Romanorum mœror, misericordia sociorum,

pudor non lati iis auxilii, ira in Pœnos, et metus de summa rerum. — XVII; Bellum a Romanis paratur, et copiæ scriptæ dividuntur inter P. Cornelium Scipionem et Ti. Sempronium Longum consules. — XVIII; Legati mittuntur Carthaginem, et bellum indicunt. — XIX; Perversa Pœnorum disceptatio de fœderum jure et violatione. Legati romani ab Carthagine in Hispaniam trajiciunt, multosque trans Iberum populos in societatem perliciunt; sed a Volcianis aliisque haud benigne excipiuntur. — XX; Iidem animos Gallorum, ab Hannibale jam præoccupatos, frustra sollicitant, nec nisi a Massiliensibus grata ferunt responsa. — XXI; Hannibal, Carthagine nova hibernans, hispanici generis militibus commeatum dat, et Gades profectus tum vota exsolvit Herculi, tum novis se obligat. Inde supplementum exercitus ex Africa petit, eodemque mittit Hispanorum ferme XVI millia. — XXII; Hasdrubali fratri Hispaniam provinciam, et tam copias, maxime africas, quam classem dat. Tum ex hibernis movet, et in quiete videt juvenem divina specie, qui se ab Jove dicit ducem ipsi in Italiam missum. — XXIII; Hoc visu lætus exercitum (90 millia peditum et 12 millia equitum) Iberum traducit, et, subactis Ilergetibus, Bargusiis, Ausetanis Lacetanisque, Hispaniæ cis Iberum præficit Hannonem; multos vero Hispanos, quos militia sentit gravari, domos remittit. — XXIV; Pyrenæum transgreditur, donisque capit regulos Gallorum. — XXV; Ejus ope freti Boii et Insubres agros Placentiæ Cremonæque, coloniarum romanarum, infestant, et Mutinam obsident. Adversus eos male rem gerit L. Manlius prætor; — XXVI; cui C. Atilius prætor Roma auxilio mittitur. Scipio consul Massiliam pervenit, vixdum satis credens, Hannibalem superasse Pyrenæos montes. Is vero, jam in Volcarum progressus agrum, et ad ripam Rhodani, naves undique contrahendas fabricandasque curat. — XXVII; Præmittit Hannonem cum parte exercitus, insciis Gallis, qui adversam obtinebant ripam, et mox ipse reliquas copias, — XXVIII; atque elephantos Rhodanum trajicit. — XXIX; Interim 500 Numidæ, ad castra romana missi, occurrunt 300 equitibus romanis, ad exploranda omnia a Scipione præmissis, et ab his pugna atroci vincuntur. Hannibal, incertus, utrum revertatur, an ire pergat, ad cœptum in Italiam iter continuandum inclinatur consiliis et pollicitationibus legatorum Boiorum reguliquc Magali. — XXX; Itaque varie militum versat animos castigando adhortandoque. — XXXI; Tum me-

diterranea Galliæ petit, et ab Allobrogibus, postquam certamina eorum, arbiter regni factus, sedavit, copia rerum omnium, maxime vestium, adjuvatur. Inde per Tricastinorum Vocontiorumque agros tendit in Tricorios, et Druentiam trajicit, qui omnium Galliæ amnium difficillimus transitu est. — XXXII; Scipio, desperans, se hostes tantum prægressos assequuturum, Cn. fratrem cum maxima copiarum parte in Hispaniam mittit adversus Hasdrubalem, et cum exigua manu Genuam repetit, eo, qui circa Padum erat, exercitu Atilii et Manlii Italiam defensurus, occursurusque Pœno ab Alpibus descendenti. Hannibal pervenit ad Alpes, et Gallos ad visenda loca præmittit. — XXXIII-XXXIV; Erigit agmen in primos montis clivos, conflictans cum montanis et iniquitate locorum. — XXXV-XXXVI; Nono die in jugum ejus evadit, et degreditur in vias præcipites, angustas, lubricas, præalta nive et levi infra glacie obtectas. — XXXVII; Inde rupem, per quam unam via est, torridam incendio, infusoque aceto putrefactam, pandit ferro, et tandem ad planum descendit — XXXVIII; In Taurinis degreditur in Italiam, ingenti numero hominum jumentorumque amisso. — XXXIX; Scipio, quum Pisas navibus venisset, exercitumque accepisset a Manlio et Atilio tironem, occupat Padum trajicere, et ad Ticinum amnem movet castra, ubi exercitus Pœnorum Romanorumque jam in conspectu sunt. — XL-XLI; Adhortatur milites suos. — XLII-XLIV; Idem facit Hannibal, edito prius certamine captivorum montanorum. — XLV; Scipio Ticinum ponte trajicit, et non longe a Victumulis considet in agro Insubrium, ubi Hannibal castra habet, et præmia suis juratus pronuntiat. — XLVI; Prodigia in castris romanis, et pugna equestris ad Ticinum, in qua superior est Hannibal, et Scipio vulneratus intercursu tum primum pubescentis filii servatur. — XLVII; Romani cis Padum regrediuntur, et perveniunt Placentiam, quo et Pœni contendunt. — XLVIII; Galli auxiliares Romanorum ad Pœnos transfugiunt, et Scipio, Trebiam transgressus, locum, qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communit, collegæ adventum opperiens. Nec procul inde Hannibal considet, et proditione capit Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani. — XLIX-L; Interim Sempronius consul, ab Hierone rege adjutus, circa Siciliam res prospere gerit, et Pœnos mari vincit ad Lilybæum. — LI; Tum Melitam capit: sed mox, literis senatus

in Italiam revocatus, Sex. Pomponio legato et M. Æmilio prætori Siciliam maritimamque Italiæ oram classibus tuendam attribuit; et ipse cum exercitu suo navibus Ariminum, indeque terra ad Trebiam flumen venit. — LII; Ibi opem poscentibus Gallis, quorum agros inter Padum et Trebiam Pœni populantur, auxilio mittit equitatum suum, qui prælio cum hostibus commisso superior excedit. — LIII; Hinc ferocior factus Sempronius, stimulatusque tum propinquo comitiorum tempore, tum spe in se unum vertendæ gloriæ, dum æger esset collega, eo nequidquam dissentiente, pugnam conserere non minus, quam Hannibal, gestit. — LIV; Mago locum insidiis aptum insidet; Numidæ vero, transgressi Trebiam, obequitando Romanorum castris eos inde eliciunt, ceduntque insequentibus, quibus flumen transeuntibus corpora, non ante curata et gelu rigentia torpent. — LV; Pugna ad Trebiam editur. — LVI; Vincuntur Romani, et duo exercitus consulares Placentiam Cremonamque confugiunt. — LVII; Romæ trepidatur, creanturque consules C. Flaminius Nepos iterum et Cn. Servilius Geminus. Hibernæ expeditiones Hannibalis. —LVIII; Is ad prima veris signa in Etruriam proficiscitur; sed transiturus Apenninum atroci cum tempestate conflictatur, qua ingens hominum, jumentorum elephantorumque multitudo absumitur. — LIX; Itaque retro ad Placentiam castra movet, iterumque cum Sempronio confligit et æquo marte. Tum hic Lucam concedit, et ille in Ligures, qui ei nobiles aliquot Romanos, per insidias interceptos tradunt. — LX; Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Cornelius Scipio in Hispania, orsus a Lacetanis, omnem oram usque ad Iberum fluvium romanæ facit ditionis; Hannonem vincit, vivumque capit cum aliquot principibus; et Scissim expugnat. — LXI; Hasdrubal non audet ei obviam ire; sed loca, ab illo relicta, Iberum aliquoties transgressus, vastat, et navales Romanorum socios, haud procul Tarracone vagantes, opprimit. Scipio Ilergetes, Ausetanosque, qui ad Pœnos defecerant, subigit, devincitque Lacetanos, auxilium his ferentes. — LXII; Multa prodigia Romæ aut circa urbem ea hieme facta et procurata. — LXIII; Flaminius, consul designatus, memor veterum cum Patribus certaminum, priorisque consulatus, quo ob ficta auspicia se abdicare coactus erat, privatus clam in provinciam abit, neque morem gerit senatui, eum revocanti; sed mox Arimini, licet tristi cum omine, magistratum init, acceptisque duabus a Sempronio legionibus, toti-

demque a C. Atilio prætore, eas in Etruriam ducit per Apennini tramites.

I. In parte operis mei licet mihi præfari, quod in principio summæ totius[1] professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile, quæ unquam gesta sint, me scripturum; quod, Hannibale duce, Carthaginienses cum populo romano gessere. Nam neque validiores opibus ullæ inter se civitates gentesque contulerunt arma, neque his ipsis tantum unquam virium aut roboris fuit: et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo punico conferebant[2] bello. Et adeo varia belli fortuna anceps que Mars fuit, ut propius periculum fuerint, qui vicerunt. Odiis etiam prope majoribus certarunt, quam viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro

Cap. I. 1. *In principio summæ totius,* operis universi. — *Plerique rerum* gestarum *scriptores*, ut Thucydides; Mur. Mox *gessere* pro *gesserint;* Bauer. Idem monet, in verbis sqq. esse synonyma, sed distincta, *virium aut roboris :* nam *vires* esse potentiam, ab exercitu maxime, *robur* animi virtutem.

2. *Haud ignotas belli artes inter se conferebant* MSS Harl. et quædam edd. Plerique libri *conserebant,* quod Bauer. in Ind. exponit: adversas opponebant, per eas concertabant, *sie versuchten gegen einander.* Sed nemo, quod sciam, ita loquutus est, et nostra lectio firmatur verbis præc. *inter se contulerunt arma.* Sic *conserere pugnam, et ex propinquo vires* suas cum hostium viribus *conferre*, periculum virium facere cum iis (*sich mit ihnen messen*), inf. cap. 50, pr. Conf. ad IV, 27, n. 5, et VII, 33, n. 1. — *Ut propius periculum* (al. *periculo;* vide ad II, 48, n. 5) *fuerint,* post pugnam Cannensem, *qui vicerunt,* Romani. Conf. Sil. I, 13. — *Fuerint, qui vicerunt,* ad hunc locum Walchii nota est : « Conjecit Vossius, *qui vicerant :* quod adeo non concedimus egregio viro, ut, si ita scripsisset Livius, insolentius eum scripsisse putaremus; nam quæ præcedunt tempora *fuit, fuerint,* quum rem non modo completam significent, sed ponantur ἀορίστως, his recte se adjungit ἀόριστος vicerunt; vix poterat hoc loco relativum tempus. » Multa deinceps congerit exempla, quæ ad nostrum propositum non pertinent; tu si forte plura desideres, vide ipsum in Emendat. Liv. pag. 72, sqq. Ed. — *Certarunt.* « Elegans altera Vossii conjectura est : *odiis... majoribus certatum;* sed elegans, non necessaria correctio, licet sequatur, *Romanis indignantibus,* etc. Nihil impedit quominus capiamus *certarunt* impersonaliter; » Hæc Walchius, Emendat. pag. 74. Ed.

inferrent arma : Pœnis, quod superbe avareque[3] crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est[4], Hannibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Hamilcari, ut duceretur in Hispaniam, quum, perfecto africo bello[5], exercitum eo trajecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris jurejurando adactum, se, quum primum posset, hostem fore populo romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissæ[6] : nam et Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam, et Sardiniam inter motum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam insuper imposito, interceptam.

II. His anxius curis, ita se africo bello[1], quod fuit sub recentem romanam pacem, per quinque annos,

3. *Superbe avareque*, scilic. victorum terras appetendo; Doer.

4. *Fama etiam est, Hannibalem... altaribus admotum*, etc.; cf. XXXV, 19; Polyb. II, 1; III, 11; ad Sil. I, 77-139; II, 349, seq.; XIII, 744, seq. Schweigh. ad Appian. Hisp. c. 9.

5. *Perfecto africo bello*, africano, anno Urb. 513-516, statim post bellum punicum primum, a Pœnis gesto cum mercenariis militibus in Africa et Sardinia; vide Polyb. lib. I, cap. 65-88.

6. *Sicilia Sardiniaque amissæ: nam Sicilia*, de qua bellum punicum primum erat gestum, conditionibus pacis, finito eo bello factæ (vide ad VII, 27, n. 2; Polyb. I, 62, 63; III, 27), ob *nimis celerem desperationem rerum* (vel potius, quia summa urgebat necessitas, nec alia salutis spes reliqua erat; de quo vide Polyb. I, 62) *concessa* Romanis : *Sardinia inter motum Africæ*, in bello illo africo (v. not. 5), *intercepta*, erepta Pœnis (vide ad III, 72, n. 2) a Romanis, qui a mercenariis, Sardinia pulsis, invitati bellum indixere Pœnis, eosque coegerunt non solum insula cedere, sed et *stipendium*, 1200 talenta, ad compensandas impensas in apparatum belli factas, solvere; quo nihil iniquius unquam factum. Confer Polyb. I, 88; III, 13; et Heynii Opusc. Acad. Tom. III, p. 71, seq. — *Insuper imposito*, al. *superimposito*, solenni varietate. Confer c. 45 pr. Drak. ad h. l. qui similes collegit formas, ut *superincubare* XXII, 51, *superinsternere* XXX, 10; Heins. ad Virg. Æn. VI, 254; Kustner Chrestom. Enn. pag. 43.

Cap. II. 1. *Africo bello, quod fuit sub recentem rom. pacem*, statim post pacem, finito bello punico primo factam. Confer ad cap. 1, n. 5, et ad II, 55, n. 1; *per quinque annos*, at teste Polyb. I, 88; per tres annos et quatuor menses. Hinc *quatuor* conj. Sig.; sed Doer. monet, omne illud tempus h. l. designari, quod Hamilcar a fine belli punici primi ad transitum in Hispaniam in Africa consumpserit.

ita deinde novem annis[2] in Hispania augendo punico imperio gessit, ut appareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum, et, si diutius vixisset, Hamilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuisse, quæ Hannibalis ductu intulerunt. Mors Hamilcaris peropportuna, et pueritia Hannibalis distulerunt bellum. Medius Hasdrubal[3] inter patrem et filium octo ferme annos imperium obtinuit, flore ætatis, uti ferunt, primo Hamilcari conciliatus; gener inde ob altam indolem[4] provecto annis adscitus, et, quia gener erat, factionis Barcinæ[5] opibus, quæ apud milites plebemque plus quam modicæ erant, haud sane voluntate principum, imperio potitus. Is plura consilio quam vi gerens[6], hospitiis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum novis gentibus,

2. *Novem annis in Hispania*, etc; ubi et periit. Cf. XXIV, 41; Polyb. II, 1; et ad Sil. I, 140, sq.

3. *Medius Hasdrubal inter patrem*, etc.; confer Polyb. II, 1, et 36; Sil. I, 144, sq. — *Flore ætatis*, quem Hamilcari fruendum præbuit, ei *conciliatus;* confer cap. 3; et Nepot. Hamilc. 31 : « *Erat præterea cum eo* (Hamilcare) *adolescens illustris, formosus; quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare loquebantur.* » Nihil de ea re apud Polyb. Is triremibus eum fuisse præfectum tradit lib. II, cap. 1.

4. *Gener inde* (deinde, ut I, 2, 33; XLII, 55, pr.) *ob altam indolem* (cf. ad I, 3, n. 2) ab Hamilcare, *provecto annis, adscitus*, ex emend. Lipsii; *profecto, profectu* et *profectus* in MSS et edd. antt. *provectus* vel *provectior annis* (Hasdrubal, scilicet quum flos ætatis, quo Hamilcari conciliatus fuerat exoletus, procedentibus annis jam defloruisset) conj. Klock. et Duk. — Hanc Dukeri conjecturam rejicit Walchius, et Lipsii emendationem probat; nam qui dant *provectior annis*, ipsi non animadvertisse videntur ablativum *flore* non tempus, sed causam et instrumentum significare : sic apud Cicer. Phil. II, 2 : « Non venirem contra gratiam, non virtutis specie, sed *ætatis flore* collectam. » Itaque Drak., Creverii, et meliorum edd. lectionem sequuti sumus. Ed.

5. *Factionis Barcinæ :* nam senatus carthag. in duas factiones divisus erat, in *Barcinam*, quæ Hamilcari ejusque cognatis favebat, et in aliam, cujus princeps erat Hanno. Confer cap. 3, 9, 10 et al. A *Barca*, gentis auctore, Hamilcar *Barcas* cognominatus, dictusque *Barcinus*, ut et ejus frater ac filii.

6. *Is plura consilio quam vi gerens.. auxit;* confer Polyb. II, 36, et Appian. rer. Hisp. cap. 4 et 6. At crudelitatem ejus aliaque vitia notant Fabius ap. Polyb. III, 8, et Sil. I, 145,

quam bello aut armis, rem carthaginiensem auxit. Cæterum nihilo ei pax tutior fuit. Barbarus eum quidam palam[7], ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit; comprehensusque ab circumstantibus haud alio, quam si evasisset, vultu, tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut, superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Cum hoc Hasdrubale, quia miræ artis in sollicitandis gentibus[8], imperioque jungendis suo fuerat, fœdus renovaverat populus romanus[9], ut finis utriusque imperii esset amnis Iberus, Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur.

sq. inique forsan de eo judicantes, ut Romani de Pœnis.

7. *Barbarus eum quidam palam*, etc.; conf. Appian. l. l. cap. 8; et Hannibal. c. 2; Polyb. II, 36; Just. XLIV, 2 et 5; qui non plane consentiunt. *Ob iram interfecti ab eo domini;* vide ad I, 5, n. 5. *Haud alio vultu*, non minus læto, *quam* habuisset, *si evasisset*, vel tam læto, ut videri potuisset evasisse e manibus circumstantium.

8. *In sollicitandis gentibus*, scilicet in partes suas, seu ad amicitiam, ut paulo ante in *conciliandis* sibi *gentibus*.

9. *Fœdus renovaverat populus romanus;* anno Urb. 526; tredecim annis post finem belli punici primi, quod est sextum cum Pœnis ictum (vide ad VII, 27, n. 2), eoque cautum, *ut finis utriusque* Romanorum Pœnorumque *imperii* in Hispania *esset amnis Iberus* (ne belli causa Iberum transirent Pœni, Polyb. II, 13), *Saguntinisque... libertas servaretur:* sed Saguntinos hoc fœdere comprehensos exceptosque fuisse, non alius tradit, præter Livium et Appian. Hisp. 7; ubi confer Schweigh. Hinc et Sagunto expugnata Romani, perfidiæ arguentes Pœnos, responsum ab his tulere, Hasdrubalis fœdus non ratum a senatu carthag. factum, neque in *priore fœdere*, cum Lutatio icto (inter cujus conditiones erant, teste Polyb. III, 27, et hæ: utriusque populi socii ab utroque populo tuti sunto, neque alterius populi socios alter in amicitiam recipito) Saguntum fuisse exceptum, quum de iis, qui *cis*, non, ut Saguntini, *ultra Iberum* habitarent (quod *cis* et *ultra* ad Romam referendum, quoties de Romanis agitur), et de sociis utriusque populi, qui tum essent, non de iis, qui, ut Saguntini, post pacem factam futuri essent, cautum fuisset; vide cap. 18 et 19; Polyb. II, 13; III, 21, 27, 29, 30; Appian. Hannib. 2; Pun. VI, 67; Flor. II, 6 (ubi cf. Duk. p. 288), et Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 73.—Hic locus non ita accipiendus est, quasi tota trans Iberum Hispania Carthaginiensium, tota cis Iberum Romanorum fuerit. Verum e seqq. apparet multos trans Iberum populos Pœnis non paruisse; romanæ autem ditionis vix quidquam cis Iberum exstitisse, quum etiam nullus imperator romanus, nulli milites in ea

III. In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem[1], qua extemplo juvenis Hannibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur. Hunc vixdum[2] puberem Hasdrubal literis ad se arcessierat : actaque res etiam in senatu fuerat, Barcinis nitentibus, ut assuesceret militiæ Hannibal, atque in paternas[3] subcresceret

regione versarentur, ut observat Cato in oratione ad exercitum, inf. XXXIV, 13. Cavebatur tantum, ne quidquam in ea quæ trans Iberum essent Romani, aut in ea quæ cis Iberum Pœni sibi juris arrogarent; neve alteruter populus eum amnem belli causa transiret; vide Polyb. II, 13. Hanc notam e Creverio excerpsi. Ed.

Cap. III. 1. *In Hasdrubalis locum... quin prærogativam militarem favor plebis sequeretur*, vide ad III, 51, n. 3. Ὁ δῆμος μιᾷ γνώμῃ κυρίαν ἐποίησε τὴν τῶν στρατοπέδων αἵρεσιν, Polyb. III, 13, qui sæpissime a nobis conferetur, quoniam Livius in historia belli punici secundi eum in primis auctorem sequutus est, et passim ad verbum expressit. « Oratio h. l. ἀνακόλουθος per periphrasin consequentis. Volebat : haud dubium fuit, quin Hannibal favore militari in locum Hasdrubalis succederet. Hanc successionem expressit per causam modumque, quo gesta sit: ut Paulus Rom. VIII, 3, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ὁ Θεὸς (scilicet ἐποίησε δυνατὸν) πέμψας, etc.; et simillime noster inf. c. 10, n. 11: *id, de quo ambigebatur, eventus belli... ei victoriam dedit*, id est eventus belli constituit, decrevit, victoriam... dando, ac judicavit id, de quo ambigebatur; » Bauer.

2. *Hunc vixdum puberem*, etc.; hoc est viginti duos annos natum : nam anno ætatis nono in Hispaniam ivit cum patre, qui novem annos ibi exercitibus præfuit. Post hunc vero per octo annos in Hispania imperium obtinuit Hasdrubal, sub quo triennium meruit Hannibal; vid. cap. 1 et 4 extr. Itaque Hannibal Carthagine in Hispaniam ad Hasdrubalem venit ætatis anno vicesimo secundo, eique in imperio successit anno vicesimo quinto. Ipse inf. XXX, 37 (cf. XXX, 35 extr.), *novem* dicit *annorum* (scil. puer) *a vobis profectus post trigesimum sextum annum redii :* nam bellum punicum primum finiit anno septimo decimo (v. XXX, 44 pr.), et jam triennio ante obtinuit imperium in Hispania, quod pater ejus novem et Hasdrubal octo annos habuerat. Confer ad cap. 6, n. 3. Sed ita Livius nullam rationem habuit primi in patriam reditus post mortem patris, ut nec XXVII, 21, n. 3. Hinc incuriæ arguendus, vel, quod Doer. monet, eamdem rem, ut passim, diverse narrasse censendus est, diversos sequutus auctores. Confer tamen ad XXX, 37, n. 6. — Non facile intelligitur quomodo Livius *vixdum puberem* Hannibalem vocare possit, quum ex ipsius narratione illum jam matura juventute vigentem fuisse constet. Ed. — De *Barcinis* et *Hannone*, vide ad c. 2, n. 5.

3. *In paternas subcresceret opes ;* id aliis legi pro vulg. *succederet*, notatum in marg. MSS Flor., idque etiam probarunt Gron. et Bauer. Is jam bene

opes. Hanno, alterius factionis princeps : « Et æquum « postulare videtur, inquit, Hasdrubal; et ego tamen « non censeo, quod petit, tribuendum[1]. » Quum admiratione tam ancipitis sententiæ in se omnes convertisset : « Florem ætatis, inquit, Hasdrubal, quem « ipse patri Hannibalis fruendum præbuit, justo jure « eum a filio repeti censet. Nos tamen minime decet, « juventutem nostram pro militari rudimento assue- « facere libidini prætorum[5]. An hoc timemus, ne Ha- « milcaris filius nimis sero imperia immodica[6], et regni « paterni speciem videat? et, cujus regis genero he- « reditarii sint relicti exercitus nostri, ejus filio parum « mature serviamus? Ego, istum juvenem domi tenen- « dum, sub legibus, sub magistratibus docendum vi- « vere æquo jure cum cæteris censeo; ne quandoque « parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet. »

IV. Pauci, ac ferme optimus quisque, Hannoni adsentiebantur : sed, ut plerumque fit, major pars meliorem vicit. Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Hamilcarem juvenem[1] redditum sibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris

monuit, nondum *succedere* Hannibalem patri debuisse, sed *crescere* atque educari in spem paternæ potentiæ, non potestatis et muneris, sed *opum* auctoritatisque. Cf. supra ad X, 13, n. 6.

4. *Et æquum postulare videtur... tribuendum;* non est quod cum Doer. τὸ *et* ante *æquum* pro *profecto, ac sane* dictum accipias, vel emendes *etsi æquum ... ego tamen* vel *at ego tamen.* Est amara et *anceps sententia*, quam Hanno mox explicat verbis : *florem ætatis... prætorum.* Confer ad cap. 2, n. 3. — *Justo jure eum* (scilicet *florem;* vide ad I, 19, n. 1) *a filio repeti censet*, confer ad lib. XXIV, 22, n. 3.

5. *Assuefacere libidini prætorum*, τῶν στρατηγῶν; vid. ad VI, 42, n. 7.

6. *Imperia immodica*, qualia fuere Hamilcaris et Hasdrubalis (v. Polyb. III, 8) in Hispania. — *Regni paterni speciem*, ut *regni genus* et *similitudinem appetere* et *concupiscere*, Cic. ad Att. VIII, 11, et IX, 7, dixit; Str. Sed *species* est potius splendor, majestas. *Regni* et mox *regis* invidiose pro imperio et duce, quod jam monuit Doer. *Specimen* conj. Bauer.

Cap. IV. 1. *Hamilcarem juvenem ;* al. *Hamilcarem viventem :* sed *veteres*

lineamentaque intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset[2]. Nunquam ingenium idem[3] ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discerneres[4], utrum imperatori, an exercitui, carior esset : neque Hasdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset : neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par : cibi potionisque desiderio naturali[5], non voluptate, modus finitus. Vigiliarum somnique nec die nec nocte dis-

*milites* innuunt aliquid longioris memoriæ de Hamilcare; Gron. Vulgaris tamen lectio, quam Drak. primus deseruit, adridere potest coll. loco simili Sophocl. Philoct. 356, sq., ubi Neoptolemus dicit : κἄμ' εὐθὺς ἐν κύκλῳ στρατὸς Ἐκβάντα πᾶς ἠσπάζετ', ὁμνύντες βλέπειν Τὸν οὐκ ἔτ' ὄντα ζῶντ' Ἀχιλλέα πάλιν : nisi dicas, illud ζῶντα, *viventem*, jam inesse in verbis *redditum sibi*. *Vigentem* conj. Bauer.

2. *Ut pater in se minimum momentum... esset;* et maximum potius virtutes ipsius Hannibalis. Confer ad I, 47, n. 7. « *Momentum* in re dubia fere dicitur, ejusque in alterutram partem inclinatione; hic simpl. est causa, adjumentum, commendatio. *Patri* quidam pro *pater*. Neutrum sat bonum : hoc tamen magis placet. Sed aut *faceret* pro *esset* latinum erat, aut *minimi momenti*. » Bauer. — *Patri* in quibusdam nostris legitur; mala lectio, e compendio videlicet orta. Ed.

3. *Nunquam ingenium idem*, etc.; usque ad finem cap. Conf. de virtutibus et vitiis Hannibalis Sil. I, 56, sq. 239-267; Dio Cass. XLVII, tom. I, pag. 21, seqq. (ubi confer Reimar.) et Polyb. IX, 22-26; qui tamen in vitiis ejus recensendis minus indulget communi Romanorum in hostem infestissimum odio. Quæ Sallustius de Catilinæ ingenio dixit, nostro obversata esse suspicatur Doer. Apte autem descriptioni memorabilis belli præmittitur imago viri, qui primas in eo partes et ab initio ad finem egit.

4. *Itaque haud facile discerneres;* rectius, opinor, ex emend. Gron. et Drak. *decerneres;* vide ad VII, 9, n. 4. — Vulgatam in libris esse testatur Gronovius, qui tamen edidit *decerneres*. Sed cur ita mutaverit non video, quum bene se habeat vetus lectio. Ed. — *Imperatori*, Hasdrubali. — *Præficere*, scilicet militibus. Confer sequentia.

5. *Desiderio naturali*, naturæ, quæ ea tantum desiderat, quibus fames sitisque sedari possit, *non voluptate*, quæ exquisitiora ciborum potusque

criminata tempora[6] : id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum : ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi sæpe militari sagulo opertum, humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales[7] excellens : arma atque equi conspiciebantur[8] : equitum peditumque idem longe primus erat. Princeps in[9] prælium ibat; ultimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant; inhumana crudelitas, perfidia plus quam punica[10], nihil veri, nihil sancti[11], nullus deum metus; nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum, triennio sub Hasdrubale imperatore meruit, nulla re, quæ agenda videndaque[12] magno futuro duci esset, prætermissa.

genera appetit, *modus finitus ;* vide ad X, 13, n. 13.

6. *Vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora*, non a diei vel noctis discrimine pendebant, sed, donec gerendum quidquam esset, vigilabat; quum rebus perfectis aliquid otii esset, *id quieti dabat ;* Stroth. — *Arcessita*, effecta, invitata; Bauer.

7. *Inter æquales*, milites, qui omnes æquales vestitu.

8. *Arma atque equi conspiciebantur;* vide ad II, 5, n. 8. — Sensus est : armis et equis conspicuus erat : non vestitu a cæteris differebat, sed pulchriores equos, meliora arma quærebat. Ed. — Modo præcessit verbum *conspexerunt*, etsi alio sensu. Confer ad I, 3, n. 8.

9. *Princeps in prælium*, etc.; conf. Sil. I, 160, 242. — *Conserto prælio*, al. *confecto* prælio. Illud servandum : nam *confecto* prælio omnes una decedunt, nec ibi gloriæ ignominiæque discrimen; at *conserto* semel prælio ad ultimum durare, id gloriosum; Bauer.

10. *Perfidia plus quam punica;* cf. XXII, 6 extr., 42, 47, et ad Sil. I, 5, n. 56. — Multa Livius et cæteri scriptores romani crimina crudelitatis et perfidiæ congesserunt; sed iis, ut hostibus, non plane credendum est. Plures enim Romanis intulit calamitates, quam ut ipsi, si non bellicas artes, saltem pacis virtutes negarent. Cæterum Creverius lectorem ablegat ad excerpta e lib. IX Polyb. Ed.

11. *Nihil veri, nihil sancti*, etc.; sententia pro nomine posita, quod latina lingua nomina *mendacitas*, vel *inveracitas, insanctitas*, etc. non novit, ut ap. Sallust. B. J. 101; B. C. 5; et alios; Stroth. — *Nullum jusjurandum*, nulla ejus cura, religio, ratio. — *Indole virtutum ac vitiorum*, ingenio ex utrisque mixto; Bauer.

12. *Quæ agenda videndaque*, cognoscenda. Al. *audendaque :* sed *videre* est providere, comparare in

V. Cæterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta[1], bellumque romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque, ut patrem Hamilcarem, deinde Hasdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret; Saguntinis inferre bellum statuit. Quibus oppugnandis quia haud dubie romana arma movebantur, in Olcadum fines[2] prius (ultra Iberum ea gens in parte magis, quam in ditione Carthaginiensium erat) induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, jungendoque[3], tractus ad id bellum videri posset. Carteiam, urbem opulentam, caput gentis ejus, expugnat diripitque: quo metu perculsæ minores civitates, stipendio imposito, imperium accepere. Victor exercitus, opulentusque præda[4] Carthaginem

futurum res utiles, et instrumentum agendi, ut ap. Cic. de Or. III, 1; Verr. V, 40; ad Att. XIV, 21; et *futuro duci* plura *videnda* quam *audenda*, cujusmodi sunt illa, quæ XXXV, 28; de Philopœmene ex Polybio; Gron. *Videnda* h. l. non est *providenda*. Est enim jam in *agenda*, quod hic est tractanda, curanda, *zu betreiben*, meditanda: et *videnda* quoque et noscenda multa sunt magno futuro duci; Bauer.

Cap. V. 1. *Italia ei provincia decreta*, id. qd. additum *bellum romanum mandatum*; vide ad II, 40, n. 9.

2. *In Olcadum fines prius*, etc.; ad finem cap. conf. Polyb. III, 13 et 14. Idem, ut Suidas, Stephanus et mox Livius, *Olcades* finitimos esse dicit Carthagini novæ, et caput eorum Ἀλθαίαν, quam tamen viri docti in regno Toletano quærunt, ubi nunc *Ocanna*. — *Ultra Iberum* (ex parte Livii vel Romanorum; vide ad cap. 31, n. 9) *ea gens in parte magis*, etc., in partibus quidem Hispaniæ, quæ ex fœdere Pœnis concessæ erant a Romanis (vid. ad cap. 2, n. 9), sed nondum a Pœnis devictæ, et in ditionem ipsorum redactæ.

3. *Finitimis domitis gentibus, jungendoque*, sc. eas. *Jungendoque*, scil. imperium imperio, *durch Arrondirung, durch die Absicht zu arrondiren;* Stroth. *Jungendoque*, sc. Saguntinos, ut sæpe nomina, quæ modo præcesserunt, omitti solent; Doer. *Jungendisque* malebat Sigon. e vet. lib., et Gron. *Vincendoque;* non quasi hos egerit, sed dum fortunam sequutus sit. Mox pro *Carteiam* legendum videri *Althæam*, jam alii monuere; vid. not. 2. *Carteia* Livii infra XXVIII, 30, et XLIII, 3, videtur esse Gades, vel potius, quia hanc urbem suo nomine appellari solet, Bæsippo, inter Gades et Calpen, seu fretum; vide Plin. III, 1, seu 3; et Mel. II, 6. Hi tamen et alii veteres Carteiam, Tartessum et Gades confundunt. Confer ad Sil. III, 396.

4. *Carthaginem novam*, sive Sparta-

novam in hiberna est deductus. Ibi large partiendo prædam, stipendio præterito cum fide exsolvendo[5], cunctis civium sociorumque animis in se firmatis, vere primo in Vaccæos[6] promotum bellum. Hermandica et Arbocala[7], Carteiorum urbes, vi captæ : Arbocala et virtute et multitudine oppidanorum diu defensa : ab Hermandica profugi, exsulibus Olcadum, priore æstate domitæ gentis, quum se junxissent, concitant Carpetanos : adortique Hannibalem, regressum ex Vaccæis, haud procul Tago flumine agmen grave præda turbavere. Hannibal prælio abstinuit; castrisque super ripam positis, quum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado trajecit[8] : valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit. Equitibus præcepit, ut, quum ingressos aquam viderent, adorirentur. Peditum agmen in ripa, elephantos ante quadraginta disposuit[9]. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum Vaccæorumque centum millia

riam (hodie *Cartagena*), a Teucro, vel potius ab Hasdrubale paulo ante bellum punicum secundum conditam (confer XXVI, 42; ad Sil. III, 368; Polyb. II, 13; Strab. III, p. 158), non ab Hannibale, quod tradit Appian. Hisp. c. 12; ubi confer Schweigh.

5. *Ibi large partiendo prædam*, et *stipendio præterito exsolvendo;* vide ad I, 19, n. 5. Livius autem variat, ut XXXI, 26, n. 2; cf. ad V, 19, n. 3.

6. *In Vaccæos*, populum Callæcis, seu Gallæcis, versus orientem proximum, ad Tagum et cis Durium, in Hispania Tarrac. et hodie *Castilia*.

7. *Hermandica et Arbocala* (alii *Arbacala*), *Carteiorum urbes :* ex Pol. III, 14; reponendum : *Elmantica*, seu *Helmantica* et *Arbucala*, *Vaccæorum*, vel *horum*, seu *eorum*, *urbes*. Polybii autem Ἑλμαντική non est Salmantica, opp. Lusitaniæ, hodie *Salamanca*. — *Carpetani* (*Carpesii*, Καρπήσιοι, forte XXIII, 26; certe apud Polyb. l. l. et Steph. Byz.; sed et Καρπηνανοὶ apud Polyb. X, 7, n. 5) ad Tagum, quorum oppida Toletum (h. *Toledo*), Mantua (ibi fere, ubi nunc *Madrid*), Complutum et al.

8. *Amnem vado trajecit*, ibi, ubi vadum erat; Doer. Conf. XXXVIII, 12 et 18. — *Producto*, remota a ripa.

9. *Elephantos ante* (scilic. pedites) *XL disposuit :* in plerisque MSS *autem* pro *ante*, et in Flor. *elephantos* (*XL autem erant*) *disponit*, prob. Gron.; *ad XL* conj. Sigon. Ita et Polyb. III, 14, qui omnino ad totum hoc caput

fuere; invicta acies, si æquo dimicaretur campo. Itaque et ingenio feroces, et multitudine freti, et, quod metu cessisse credebant hostem, id morari victoriam rati, quod interesset amnis, clamore sublato, passim sine ullius imperio, qua cuique proximum est, in amnem ruunt. Et ex parte altera ripæ vis ingens equitum in flumen immissa, medioque alveo haudquaquam pari certamine concursum; quippe ubi pedes instabilis [10], ac vix vado fidens, vel ab inermi equite, equo temere acto, perverti posset; eques, corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus eminusque rem gereret. Pars magna flumine absumpta: quidam, vorticoso amni delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt: postremi, quibus regressus in suam ripam tutior fuit, ex varia trepidatione quum in unum colligerentur, priusquam ex tanto pavore reciperent animos, Hannibal, agmine quadrato amnem ingressus, fugam ex ripa fecit [11]; vastatisque agris, intra paucos dies Carpetanos quoque in deditionem accepit. Et jam omnia trans Iberum, præter Saguntinos, Carthaginiensium erant.

VI. Cum Saguntinis bellum nondum erat: cæterum jam belli causa certamina cum finitimis serebantur [1],

conferendus est. — *Cum appendicibus;* vide ad IX, 41, n. 9.

10. *Pedes instabilis* (ut contra mox *equo stabili*), qui pedem firmiter ponere nequit, vacillans, et ad labendum proclivis... *equo temere acto,* quocumque ferret impetus, *perverti posset;* Doer. Confer ad II, 46, n. 3.

11. *Hannibal agmine quadrato* (v. ad II, 6, n. 3) *amnem*, Tagum, *ingressus fugam ex ripa fecit*, coegit, ut ex ripa fugerent; Doer. Nam *fugam facere*, scilic. alicui, est, eum fugare: at *fugam facit* aliquis, qui fugit, ut VIII, 9 ext. eod. sensu ac *fugam capere.*

Cap. VI. 1. *Certamina cum finitimis* Saguntinorum, et inter hos illosque *serebantur* ab Hannibale, *satore litis* (confer ad III, 19, n. 7), *maxime* cum *Turdetanis;* confer XXIV, 42 extr. *Turdetani* maximus quidem, sed et maxime imbellis Hispaniæ Bæticæ populus (vide XXXIV, 17), et iidem qui *Turduli* dicuntur, XXVIII, 39; XXXIV, 17, 20. Polybius tamen (v. Strab. III, pag. 139), et alii eos distinguunt, et illos inter Anam et Bætin, hos supra eos ad utramque Bæ-

maxime Turdetanis; quibus quum adesset[2] idem, qui litis erat sator, nec certamen juris, sed vim quæri appareret, legati a Saguntinis Romam missi[3], auxilium ad bellum jam haud dubie imminens orantes. Consules tunc Romæ erant P. Cornelius Scipio et Ti. Sempronius Longus : qui quum, legatis in senatum introductis, de republica retulissent[4], placuissetque mitti legatos in Hispaniam, ad res sociorum inspiciendas, quibus si videretur digna causa, et Hannibali denuntiarent, ut ab Saguntinis, sociis populi Romani, abstineret, et Carthaginem in Africam trajicerent, ac sociorum populi romani querimonias deferrent : hac

tis ripam sedes habuisse putant. Illis tribuuntur oppida Arunda, Italica, Hispalis, Nebrissa, Tartessus, Gades, Carteia, etc.; his Corduba, Illiturgi, Ilipa, Tucci, Obulco, Ulia, Astigi.

2. *Quibus quum adesset;* vide ad III, 14, n. 6. — *Quos quum adisset,* dat vetus liber : sed adesse, est, auxilium ferre, pro aliquo pugnare. Ed.

3. *Legati a Saguntinis Romam missi,* etc. Livius quod jam Sigonius et Matthiæ (in Obss. ad Liv. lib. XXI. Wormatiæ 1793 editis) monuere, perperam sequutus est eos annalium scriptores, qui Scipione et Sempronio coss. Saguntum oppugnari cœptum esse, primosque Saguntinorum legatos Romam venisse tradunt : et ipse infra c. 15, bene animadvertit, has et alias, quæ eas exceperint, res uno eodemque anno vix contingere potuisse. Longe probabilius diligentiusque singula exponit, quo potissimum duce noster in bello hoc describendo uti solet, Polybius lib. III, cap. 13-17, 20 et 33 sq., scilicet P. Cornelio et M. Minucio coss. Hannibalem, imperio in Hispania suscepto, Althæam Olcadum opp. cepisse, et Carthaginem novam concessisse in hiberna; L. Veturio et C. Lutatio coss. Vaccæos Carpetanosque ab eo devictos, et legatos Saguntinos Romam Romanosque in Hispaniam ad Hannibalem missos esse, qui eum Sagunto abstinere juberent; M. Livio et L. Æmilio coss. Saguntum oppugnatam captamque esse, et novos legatos Roma Carthaginem venisse, qui deposcerent Hannibalem, bellumque Pœnis indicerent; P. Cornelio Scipione et Ti. Sempronio Longo coss. Hannibalem, populis Hispaniæ usque ad Pyrenæum subactis, per Galliam ad Alpes profectum, et inde in Italiam transgressum esse. Polybius III, 33, notat mendacia scriptorum, quales Livio ante oculos fuere, docetque se res, ab Hannibale in Hispania gestas, hausisse ex ænea tabula ab ipso H. descripta Cf. ad cap. 15, n. 2; et XXIV, 42, n. 8.

4. *De republica,* de re ad rempub. spectante, *retulissent* ad senatum. Cf. ad XXVI, 2, n. 3. — *Ad res sociorum inspiciendas* (ut IV, 36; XXVI, 35; XXVII, 21, 36), ad conditionem eorum coram cognoscendam, reique veritatem penitus ita explorandam, ut *res sociorum aspicere,* XXXIX, 48;

legatione decreta, necdum missa, omnium spe celerius[5] Saguntum oppugnari allatum est. Tunc relata ex integro res ad senatum : alii, provincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes, terra mariquè rem gerendam censebant : alii totum in Hispaniam Hannibalemque intendebant bellum : erant, qui non temere movendam rem tantam, exspectandosque ex Hispania legatos censerent. Hæc sententia, quæ tutissima videbatur, vicit; legatique eo maturius missi, P. Valerius Flaccus et Q. Bæbius Tamphilus[6], Saguntum ad Hannibalem, atque inde Carthaginem, si non absisteretur bello, ad ducem ipsum in pœnam fœderis rupti deposcendum.

VII. Dum ea Romani parant consultantque, jam Saguntum[1] summa vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentissima ultra Iberum fuit, sita passus mille ferme a mari[2]. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur,

XLII, 5, 6; XXXVII, 67; et *visere*, XL, 2, n. 9; XLI, 19, n. 3. Sic et aliæ *res inspici* dicuntur, III, 25; VI, 27; XXVI, 51; XXVII, 21, n. 6; XXVII, 36, 1; et *legiones inspici*, XXIX, 1, 24; ut al. lustrari et recenseri; πρεσβευτὰς τοὺς ἐπισκεψομένους ὑπὲρ τῶν προσπιπτόντων, Polyb. III, 15, n. 2; *aspicere opera* infra XXVI, 51, n. 5; ut *inspicere rem*, VI, 27; XXIV, 40; XXV, 11; *aspicere situm regionis*, XXXII, 5. Mox *quibus si videretur*, etc.; pro : qui, si iis videretur, etc. Apodosis est *hac legatione decreta*, etc.; unde mireris, omnes editores ante Doer. ante *hac* posuisse distinct. maj.

5. *Omnium spe celerius;* vide ad I, 5, n. 8. — *Tunc relata ex integro res ad senatum;* al. *de integro*, non male, ut cap. 8, 18, 21, 59 al.; sed perperam *delata*. Confer ad Tac. Ann. XIV, 17, n. 2. — *Intendebant bellum* pro : intendendum, h. e. dirigendum, convertendum censebant; vid. ad III, 21, n. 3; IV, 19, n. 1; XXVIII, 41, n. 4.

6. *P. Valerius Flaccus et Q. Bæbius Tamphilus*, qui etiam memorantur Cic. Phil. V. 10; sed Fabius (quem novæ legationi interfuisse dicit Livius cap. 18), pro Bæbio Sil. II, 3, sq., et Flor. II, 6, 7; ubi confer Duker.

Cap. VII. 1. *Saguntum*, seu *Saguntus*, oppidum Hispaniæ Tarrac. ubi nunc *Morviedro*, h. e. muri veteres in regno Valenciæ. — *Civitas*, urbs. Cf. ad Nep. Hannib. cap. 3.

2. *Sita passus mille ferme a mari*, ut ὡς ἑπτὰ στάδια ap. Polyb. III, 17; at 3 mil. pass. apud Plin. III, 3, seu 4. — *Oriundi* (scilicet *civitas*, h. e. incolæ ejus; vide ad III, 47, n. 1) *a Zacyntho insula* (vid. ad XXXII, 16,

mixtique etiam ab Ardea Rutulorum[3] quidam generis: cæterum in tantas brevi creverant opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinæ, qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Hannibal, infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris, urbem tripartito aggreditur. Angulus muri erat in planiorem patentioremque, quam cætera circa, vallem vergens: adversus eum vineas agere instituit, per quas aries mœnibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit, ita haudquaquam prospere, postquam ad effectum operis ventum est[4], cœptis succedebat. Et turris ingens imminebat: et murus, ut in suspecto loco, supra cæteræ modum altitudinis emunitus erat: et juventus delecta, ubi plurimum periculi ac laboris ostendebatur[5], ibi vi majore obsistebant. Ac primo missilibus submovere hostem, nec quidquam satis tutum munientibus pati; deinde jam non pro mœnibus modo atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes operaque hostium

n. 2) *dicuntur*, scilicet ob nominis similitudinem, et quia Romani originem populorum urbiumque a Græcis repetere solent; vide ad Sil. I, 275.

3. *Mixtique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis;* vide ad Sil. I, 291, sq. — *Seu maritimis, seu terrestribus fructibus*, bonis et copiis, quæ Saguntinis, vel ex navigatione et mercatura, vel ex agrorum cultu et fertilitate affluebant; Doer. — *Fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt*, servarunt. Confer ad Sil. I, 329 sq., 480 sq.; et Juven. XV, 114.

4. *Postquam ad effectum operis ventum est;* quum opus efficere vellent; Ern. Baueri nota est: « Potest duo significare, vel, p. perfectum fuerat opus, scilicet muniendi, immo vinearum muro admovendarum; vel, ad *usum* rei ventum est, ut jam vim suam atque efficaciam, cui essent destinatæ, machinæ ostenderent. Hoc præplacet: neque enim in vineis agendis multum erat operis adhibendum. Denique *effectus operis* est res ipsa: *als es zum Werke, zur Hauptsache kam.* » — *Cœptis succedebat*, sc. res, seu opus, ut XV, 37; pro *cœpta succedebant.* Confer ad VIII, 25, n. 6. — *Emunitus;* vide ad II, 7, n. 7.

5. *Ubi plurimum periculi ac laboris* (al. *timoris*) *ostendebatur*, ubi plurimum ab hoste timendum, et eo fortius contra eum pugnandum esse intelligebant. — *Nec quidquam satis tutum*

animus erat: quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant, quam Pœni. Ut vero Hannibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus[6] cecidit; tanta circa fuga ac trepidatio fuit, ut non multum abesset, quin opera ac vineæ desererentur.

VIII. Obsidio deinde per paucos dies magis, quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. Per quod tempus ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum ac munitionum nihil cessatum. Itaque acrius de integro obortum est bellum[1], pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineæ cœptæ agi, admoverique aries. Abundabat multitudine hominum Pœnus; ad centum enim quinquaginta millia habuisse in armis satis creditur[2]. Oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri cœpti sunt: et non sufficiebant (jam enim feriebantur arietibus) muri, quassatæque multæ partes erant. Una

*munientibus pati*, nec quidquam loci concedere munitoribus, ubi illi a jactu telorum satis tuti essent; Doer.

6. *Adversum* (κατὰ) *femur tragula graviter ictus*, telo quodam hamato; quod Varro L. L. IV, 24, a trajiciendo dictum monet; Stroth. Rem exornavit Sil. I, 535 sq. — Hoc telum validissimum fuisse apparet ex Suida in voce κόττας; cæterum, quæ fuerit ejus forma, parum liquet. Ed.

Cap. VIII. 1. *Obortum est bellum*, prælium, ut πόλεμος, certamen, oppugnatio, opera bellica. Conf. XLIV, 34; Drak. ad III, 61, n. 2; nos ad Sil. I, 621; ad Tac. An. II, 52, n. 8; Cort. ad Sallust. b. Cat. 9. *Obortum* pro *coortum*: sed *oboriri* notat rem inopinatam, turbantem cœpta, certe sperata: hic tertium quoque accesserit, *ante* mœnia obsessorum; Bauer. — *Accipientibus*, capientibus; Strothius.

2. *Satis creditur*, satis certo, non temere. Voc. *satis* admitterem, si *constat*, non *creditur*, sequeretur: sed et vix unus liber habet; Bauer. Habet MS Flor. et optimus Crev.; illudque *satis* Livio in deliciis fuisse, docent Duk. ad h. l. et Drak. ad XXVI, 51, n. 2. — *Multifariam* (al. *multimoda arte*) *distineri*, distrahi, vel impediri, quo minus omnia possent tueri, etc. Confer ad II, 15, n. 3, et III, 23, n. 1. — *Et non sufficiebant muri*, scilic. ad omnia tuenda; Doer. In edd. ante Drak. legitur; *et non sufficiebant: jam enim ferieb. ariet. muri. Quassatæ quoque multæ*, etc. « Quum præcedat *distineri cœpti sunt*, ego verba *et non sufficiebant* pro glossemate dudum habui. Gron. per parenth. legit. Ineptum sane videtur; nec enim dixeris: muri

continentibus ruinis[3] nudaverat urbem : tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant : captumque oppidum ea ruina crediderant Pœni; qua, velut si pariter utrosque murus texisset[4], ita utrimque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnæ simile erat, quales in oppugnationibus urbium per occasionem partis[5] alterius conseri solent : sed justæ acies, velut patenti campo, inter ruinas muri tectaque urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat : Pœno cepisse jam se urbem, si paululum adnitatur, credente; Saguntinis pro nudata mœnibus patria corpora opponentibus, nec ullo pedem referente, ne in relictum a se locum hostem immitteret. Itaque quo acrius et conferti magis utrimque pugnabant, eo plures vulnerabantur, nullo inter arma corporaque vano intercidente telo. Falarica erat Sagun-

sufficiebant; nec, si ariete quassati sunt, statim non suffecere. *Sufficere*, si rectum, ad homines utique referendum, qui sane non *sufficiebant*, si non armis tantum pugnabatur, sed et muri quatiebantur. Opponitur ei, quod ante est : *abundabat multitudine;* » Bauer. Vulgata distinctio placebat etiam Duk. qui monet, verbum *sufficere* etiam simpl. sic dici (vide ad X, 18, n. 9), et h. l. spectare ad præc. *ad omnia tuenda atque obeunda.*

3. *Continentibus ruinis;* vide ad IV, 22, n. 4.

4. *Qua*, cum ea, *velut si pariter utrosque murus texisset;* bene tenenda est vis plusquamperf. : velut si pari ratione murus utrosque antea texisset, nunc vero amplius non tegeret, ita eadem alacritate Saguntini in Pœnos incurrunt, haud aliter ac si hi obsessis similes antea muro tecti fuissent, qua Pœni in Saguntinos; Stroth. — *Qua*, per quam.

5. *Per occasionem partis alterius*, quum pars altera occasionem aut præbet aut nanciscitur; Ern. Prout alteri parti opportunitas pugnandi est; Str. Confer ad I, 11, n. 1. — Walchius Emend. pag. 77 sq., hoc loco ab Ernestio et Stroth. dissentit, aitque pugnas tumultuarias in urbium oppugnationibus nunquam fieri per occasionem utriusque partis, sed unius oppugnatæ : quæ sit enim hæc *altera pars*, num ambiguum reliquit Livius, quum sup. V,26, dixerit : « Interdum per occasionem impetus oppidanorum in romanas stationes prælia parva fieri? » Hic tamen nescio an Walchio adhærerem; nam per occasionem et oppugnati, et oppugnantis exercitus tumultuariæ pugnæ fieri possunt. Ed. — *Hinc* (ex parte Pœnorum) *spes, hinc*, illinc, ex

tinis[6], missile telum hastili abiegno, et cætera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat. Id, sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant liniebantque pice. Ferrum autem tres longum habebat pedes[7], ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiamsi hæsisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod, quum medium accensum[8] mitteretur, conceptumque ipso motu multo majorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus præbebat.

IX. Quum diu anceps fuisset certamen, et Saguntinis, quia præter spem[1] resisterent, crevissent animi, Pœnus, quia non vicisset, pro victo esset, clamorem repente oppidani tollunt, hostemque in ruinas muri expellunt; inde impeditum trepidantemque exturbant; postremo fusum fugatumque in castra redigunt. Interim ab Roma legatos venisse nuntiatum est: quibus obviam ad mare missi ab Hannibale, qui dicerent, nec tuto eos adituros inter tot tam efferatarum[2] gen-

parte Saguntinorum, *desperatio*, etc. Confer ad I, 13, n. 2.

6. *Falarica erat Saguntinis, missile telum*, etc.; quod putatur dictum a *falis, seu phalis;* h. e. turribus ligneis, e quibus emitti solebat catapulta. Conf. ad Sil. I, 350 sq., et IX, 339. — *Hastili abiegno* e MS Cantabr. recepit Drak. suadente Jac. Gron. In plerisque MSS et edd. antt. *abligneo*, in aliis *alligato, abligno, ligneo, ligno* et *iligneo* (quod placebat Mureto et J. Fr. Gron., sed displicebat Jac. Gron., quia in edd. Mogunt. et al. *oblongo*, non ligni ejus gravitas inepta missili telo); improbb. Lips. et Bauero, si *oblongum* sit prælongum, quia formam, haud materiam, describat Livius, et postea memoret *ferrum tres longum pedes*.

7. *Ferrum autem tres longum pedes* (ut cap. 28; XXXVII, 40; XL, 29; et *altus* VIII, 10; XXXVII, 37) *habebat*, scilicet falarica. Sic recte MSS Cantabr. (nec non Flor. et alter Crev.), et male *in longum* alii, qui *ferrum* primo casu accipiunt; Jac. Gron.

8. *Medium accensum*, stuppa et pix. — *Arma omitti cogebat* pro *omittere*, nempe nemine nominato, qui omitteret; Bauer.

Cap. IX. 1. *Præter spem*, majori successu, quam speraverant; Doer. — *Pro victo esset;* vide ad II, 7, n. 4. — *Impeditum;* vid. ad IX, 43, n. 6. *In castra redigunt*, repellunt.

2. *Inter tot tam effrenatarum g. a.*, forte *inter tot et tam*, etc. — Sigonius e vetere libro legit *efferatarum;* cui

tium arma; nec Hannibali, in tanto discrimine rerum, operæ esse legationes audire. Apparebat, non admissos protinus Carthaginem ituros: literas igitur nuntiosque ad principes factionis Barcinæ[3] præmittit, ut præpararent suorum animos, ne quid pars altera gratificari pro Romanis posset[4].

X. Itaque, præterquam quod admissi auditique sunt, ea quoque vana atque irrita legatio fuit. Hanno unus adverso senatu[1] causam fœderis, magno silentio propter auctoritatem suam, non assensum audientium, egit. *Per deos, fœderum arbitros ac testes, monuisse, prædixisse se*[2], *ne Hamilcaris progeniem ad exercitum mitterent. Non manes, non stirpem*[3] *ejus conquiescere viri: nec unquam, donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura romana fœdera*[4]. « Juvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id « cernentem, si ex bellis bella serendo succinctus armis

assentitur Victorinus codex; sic alibi *efferatos militia animos* dixit Livius. Ed. — *Tanto in discrimine rerum*, quum tam gravia et periculosa tractaret, *bei so weit aussehenden Angelegenheiten;* Bauer. Sed vide ad VI, 17, n. 1. — *Hannibali non operæ esse legationes audire;* vid. ad I, 24, n. 10. Legatos tamen ab eo admissos tradit Polyb. III, 15, sed ante quam Saguntus oppugnari cœpta.

3. *Factionis Barc.;* v. cap. 2, n. 5.

4. *Ne quid pars altera* senatus, factio Hannonis (vide ad cap. 2, n. 5), *gratificari pro Romanis posset;* forte *P. Rom.;* h. e. populo romano, quod conj. Periz. prob. Drak.

Cap. X. 1. *Adverso senatu;* vid. ad I, 46, n. 4. — *Magno silentio* (quum magnum silentium esset) *propter auctoritatem suam, non* propter *assensum audientium;* ita e conj. Ruben. Elect. I, 18, pro *cum assensu*. Possis et legere *non assensu*. Confer III, 72, pr. — Walchius, Emend. p. 78, *non assensu* cum Vossio revocandum censet, quia exquisitior est illa constructionis varietas, et Livio impense adamata. — Nostri codices *cum assensu*. Mox: *per deos fœd. arb. ac testes; Oratio Hannonis suadentis, senatum obtestantis, ne romanum cum saguntino suscitarent bellum; monuisse*, etc. Ed.

2. *Monuisse, prædixisse se;* vide ad II, 10, n. 4.

3. *Non manes, non stirpem*, etc.; confer Sil. II, 296. *Stirps* Hamilcaris filii ejus, Hannibal, Hasdrubal et Mago. — *Donec*, quamdiu.

4. *Quietura Rom. fœdera*, non turbatum, violatum iri, tuta et sancta fore. — *Ex bellis bella serendo;* vide ad II, 1, n. 6. — *Succinctus armis*, armatis cinctus et instructus.

« legionibusque vivat, velut materiam igni præbentes,
« ad exercitus misistis [5]. Aluistis ergo hoc incendium,
« quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident
« exercitus, unde arcentur fœdere : mox Carthaginem
« circumsidebunt romanæ legiones, ducibus iisdem
« diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt ulti.
« Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque po-
« puli, ignoratis? Legatos, ab sociis [6] et pro sociis ve-
« nientes, bonus imperator vester in castra non admi-
« sit, jus gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium
« quidem legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex
« fœdere repetunt, publica fraus absit [7], auctorem
« culpæ, et reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt,
« segnius incipiunt, eo, quum cœperint, vereor, ne
« perseverantius sæviant. Ægates insulas [8], Erycemque

5. *Ad exercitus misistis*, etc.; vide ad I, 13, n. 4.

6. *Legatos ab sociis*, Romanis, *et pro sociis* Romanorum, Saguntinis, *venientes*, *bonus imperator vester*, etc.; vide ad V, 5, n. 2. — *Unde*, a quo, scilicet Hannibale. Cf. not. 11.

7. *Publica fraus* civitatis culpa, injuria, *absit*: id concedendum ipsis est, ne etiam, præter Hannibalis privatam fraudem, publice ipsis fraudem faciamus; Stroth. Nolunt nos publice incusare fraudis, aut rupti fœderis, nos publice innoxios putare volunt: a republica nostra nihil repetunt, mentionem injuriæ a nobis publice acceptæ seponunt : tantum, solum *auctorem culpæ deposcunt;* Bauer. Vulgo minor distinctio ponitur post *absit*, et Drak. supplet *si;* Doer. autem *ut*, hoc sensu: ut toti populo parcatur, ne pœna illatæ Romanis injuriæ a toto populo exigatur, unum Hannibalem *deposcunt* ad pœnam ab eo sumendam. Male Ern.: non accusetur, nulla ejus mentio fiat. Forte leg. *res ex fœdere repetunt*, *ac jure poscunt* (vel *postulant*, vel *exspectant*), *ut publica fraus absit*. Hæc, vel similia excidisse, probabile sit ex MSS qui habent *repetunt*, vel *repetuntur*, *de re queruntur*, vel *repuntur* vel *repetuntur*, *publica f. a.*

8. *Ægates insulas*, duas vel tres, contra Lilybæum, inter Siciliam et Africam, sitas, ad quas C. Lutatius Catulus anno Urb. 510, tam splendidam de classe Pœnorum, cui Hanno præerat, victoriam reportavit, ut bellum punicum primum conficeret; vid. Polyb. I, 60 sq., et ad Sil. I, 34, et 684 sq. — *Eryx* Siciliæ mons et oppidum (nunc *Monte di San Giuliano*, et *Trapano del monte*, ad Drepanum, seu Drepana, hod. *Trapani*), modo a Romanis, modo a Pœnis occupatum, unde Hamilcar, post victoriam Lutatii, præsidium clausum pretio redemptum deduxit; v. cap. 41, et XXVIII, 41; Polyb. I, 55, 58; II, 7, et ad Sil. VI, 697; XIV, 203. In monte fuit

« ante oculos proponite; quæ terra marique per qua-
« tuor et viginti annos passi sitis. Nec puer hic dux
« erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter[9], ut isti
« volunt. Sed tunc Tarento, id est, Italia[10], non absti-
« nueramus ex fœdere; sicut nunc Sagunto non abs-
« tinemus. Vicerunt ergo dii[11] hominesque; et, id de
« quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupis-
« set, eventus belli, velut æquus judex, unde jus sta-
« bat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Hannibal
« vineas turresque admovet: Carthaginis mœnia qua-
« tit ariete. Sagunti ruinæ (falsus utinam vates sim!)
« nostris capitibus incident[12]: susceptumque cum Sa-
« guntinis bellum habendum cum Romanis est. De-
« demus ergo Hannibalem? dicet aliquis. Scio, meam
« levem esse in eo auctoritatem propter paternas ini-

clarissimum Erycinæ Veneris templum, de quo vide ad Tac. Annal. IV, 43, n. 8; Heyne Antiq. Aufs. tom. I, pag. 136, et Exc. II ad Virg. Æn. V, 759 sq.; Suet. Claud. 25; Thucyd. VI, 46; Pausan. VIII, 24; Ælian. H. A. IV, 2; X, 50. Eidem Veneri templa quoque alibi condita, v. c. Psophide (vide Pausan. l. l.) et duo Romæ, in Capitolio et extra, vel ad portam Collinam; vide ad librum X, cap. 38, n. 6.

9. *Hamilcar, Mars alter,* Ἄρει ἐοικὼς (ut *tertius Cato* apud Juven. II, 40. *Stertinius sapientum octavus* apud Hor. Sat. II, 3, 296, et al.), *ut isti volunt,* δεικτικῶς, factio Barcina.

10. *Sed tunc* (quod ex optimis MSS inseruit Strot.) *Tarento, id est, Italia,* ut *senatus, id est, Pompeius* ap. Flor. IV, 2; et addita vox *Italia,* quoniam expressa erat in fœdere, qua pactum, Ρωμαίους μὲν ἀπέχεσθαι Σικελίας ἁπάσης, Καρχηδονίους δὲ Ἰταλίας, teste Philino: adversus quem etsi disputet Polyb. III, 26, tamen, quasi fuissent, sive re vera, sive interpretando, hic loquitur Hanno; Gron. Pœni autem hoc fœdus mox violarunt auxilio Tarentinis misso adversus Romanos, qui ann. Urb. 482, arcem Tarentinam, a Milone, Pyrrhi legato, occupatam, oppugnabant; vide Oros. IV, 3; Epit. Liv. lib. 14, et ibi Freinshem. Suppl. cap. 44 sq.

11. *Vicerunt ergo dii,* fœderum arbitri ac testes, *hominesque; et* quod attinet ad *id, de quo verbis ambigebatur* (vide ad c. 31, n. 6), *uter populus fœdus rupisset,* utrum Pœni Tarentinis in Italia, an Romani Mamertinis in Sicilia adjutis (vide Polyb. I, 7-11, et III, 26) *eventus belli, unde* (vide not. 6) *jus stabat,* etc. Confer ad cap. 3, n. 1.

12. *Carthagini nunc Hannibal vineas... incident;* vere et oratorie! Cf. Sil. II, 299 sqq.

« micitias. Sed et Hamilcarem eo periisse lætatus[13] sum, « quod, si ille viveret, bellum jam cum Romanis ha- « beremus; et hunc juvenem, tanquam furiam facem- « que hujus belli, odi ac detestor. Nec dedendum « solum id piaculum rupti fœderis[14]; sed, si nemo « deposcat, devehendum in ultimas maris terrarum- « que oras, ablegandumque eo[15], unde nec ad nos « nomen famaque ejus accedere, neque sollicitare « quietæ civitatis statum possit. Ego ita censeo, lega- « tos extemplo Romam mittendos, qui senatui satis- « faciant : alios, qui Hannibali nuntient, ut exercitum « ab Sagunto abducat, ipsumque Hannibalem ex fœ- « dere Romanis dedant. Tertiam legationem ad res « Saguntinis reddendas decerno. »

XI. Quum Hanno perorasset, nemini omnium certare oratione cum eo necesse fuit. Adeo prope omnis

13. *Hamilcarem eo periisse lætatus sum;* vide ad I, 11, n. 6.

14. *Id piaculum rupti fœderis*, eum, Hannibalem tanquam piaculum rupti fœderis, ut sit pro piaculo rupti fœderis, quod ejus violationem expiet : alii *ad piaculum :* sed malunt veteres in talibus epexegesi uti, quam præposit. interponere, ut nos vulgo facimus; Gron. Recte ; nam semper pron. demonstr. et relat. inter duo nomina sequitur posterius : alioquin legeris *in piaculum ;* Bauer. Confer ad I, 39, n. 3; VI, 21, n. 3; VIII, 9, n. 8; XXII, 6, n. 2; inpr. XXIV, 43, n. 6.

15. *Ablegandumque eo :* oblitus est Liv. addere *censeo;* nisi supplere malis *est :* quod tamen non placet, ac nimis præfracte dictum sit a senatore censente pro virili parte; Bauer. Forte leg. *allegandumque eo, unde...possit, equidem censeo ; et legatos*, etc. — *Unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere possit :* alludere videtur ad veteris poetæ illud sæpius a Cicer. in se accommodatum : *pervenire aliquo cupio, ubi non Pelopidarum* (Cæsarianorum) *nomen famamque audiam ;* Str. Melius forte *accidere*, quasi aura ventoque allatum auribus accidere : sed et *accedere* pro pervenire, perferri, probetur ; Bauer. *Accidere* malebat Gron., et ita *accidit fama* XXI, 61 pr. XXVII, 29; XXVIII, 7; XXXII, 30; XLV, 28; *vox* X, 41 (ubi conf. not. 5); XXVII, 15; XL, 15; *clamor* IV, 33; XXVI, 40; XL, 32; *strepitus auribus*, XXIV, 46; *sonus* XL, 15; κραυγὴ προσέπιπτεν apud Plut. Fab. pag. 181 A. — *Sollicitare quietæ civitatis statum ;* « aut pro *sollicitare quietum civitatis statum*, per hypallagen, ut cap. seq. *structuræ antiquæ genere* pro *antiquo* (vide ad I, 1, n. 6, et III, 18, n. 1); aut *statum* intellige, velut cum emphasi, pacem, ordinem, se-

senatus Hannibalis erat[1]; infestiusque loquutum arguebant Hannonem, quam Flaccum Valerium[2], legatum romanum. Responsum inde legatis romanis est, *Bellum ortum ab Saguntinis, non ab Hannibale esse. Populum romanum injuste facere, si Saguntinos vetustissimæ Carthaginiensium societati*[3] *præponat.* Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Hannibal, quia fessum militem præliis operibusque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad custodiam vinearum aliorumque operum dispositis. Interim animos eorum nunc ira in hostes stimulando, nunc spe præmiorum accendit. Ut vero pro concione prædam captæ urbis edixit militum fore, adeo accensi omnes sunt, ut, si extemplo signum datum esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini ut a præliis quietem habuerant, nec lacessentes, nec lacessiti per aliquot dies; ita non nocte, non die unquam cessaverant ab opere, ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent[4]. Inde oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta est: nec, qua primum aut potissimum parte ferrent opem (quum omnia variis clamoribus streperent), satis scire poterant. Ipse Hannibal, qua turris mobilis[5], omnia munimenta urbis superans altitudine, agebatur, hortator aderat. Quæ quum admota, catapultis ballistisque per omnia tabulata dis-

curitatem, ut III, 18, n. 1.» Bauer.

Cap. XI. 1. *Adeo* (tantopere, aut nam; vide ad Præf. n. 15) *prope omnis senatus Hannibalis erat,* plane ut 23, 39 extr. *Nolæ senatus Romanorum, plebs Hannibalis erat;* vide ad III, 36, n. 4; XXII, 50, n. 1, et XXIII, 14, n. 8.

2. *Flaccum Valerium;* confer cap. 6 extr. et ad III, 1, n. 1.

3. *Vetustissimæ Carthag. societati;* vide ad II, 8, n. 10. — *Nunc ira in hostes stimulando,* forte *stimulanda;* Gron. Et sane aptius ita oratio cohæreret; Bauer.

4. *Ut novum murum... reficerent;* forte *novum* del.

5. *Turris mobilis,* et ejus *tabulata;* vide ad V, 5, n. 3. — *Catapultis ballistisque.* Non unum et idem, sed ab

positis, muros defensoribus nudasset; tum Hannibal occasionem ratus[6], quingentos ferme Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quod cæmenta non calce durata erant, sed interlita luto, structuræ antiquæ genere. Itaque latius, quam cæderetur, ruebat: perque patentia ruinis[7] agmina armatorum in urbem vadebant. Locum quoque editum capiunt; collatisque eo catapultis ballistisque, ut castellum in ipsa urbe velut arcem imminentem haberent, muro circumdant: et Saguntini murum interiorem ab nondum capta urbis parte ducunt. Utrimque summa vi et muniunt, et pugnant: sed, interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt. Simul crescit inopia omnium longa obsidione, et minuitur exspectatio externæ opis; quum tam procul Romani, unica spes, circa omnia hostium essent[8]. Paulisper tamen affectos animos[9] recreavit repentina profectio Hannibalis in Oretanos Carpetanosque: qui duo populi, delectus acerbitate conster-

antiquis semper distinctum. Catapultis tela, ballistis saxa emittebantur. Ballistæ majores, et mole præstantiores erant, quam catapultæ. At labentibus sæculis utrumque nomen pro altero sumi promiscue cœptum. Vide Lips. lib. III, et Poliorc. Dial. 2 et 3. Ed.

6. *Occasionem ratus;* vide ad I, 11, n. 1. Mox *cæmenta* rudes lapides, non politi; Stroth. — *Structuræ antiquæ genere;* vide ad cap. 10, n. 14. — *Itaque latius, quam cæderetur, ruebat*, scilicet eadem labes continentia dissolvebat; Gron.

7. *Perque patentia ruinis* loca muri.

8. *Circa omnia hostium essent*, loca circa urbem, in ejus vicinitate, omnia ab hostibus occupata; Doer. Confer ad cap. 30, n. 5.

9. *Affectos animos;* vide ad V, 10, n. 6. — *Carpetanos;* vide ad cap. 5, n. 7. Finitimi iis *Orenati*, inter Anam et Bætin, nec longe ab utriusque fl. fontibus. Horum oppida *Oria*, seu *Oretum* et *Orisia* (unde dicti Oretani et Oretania), *Castulo* (vide XXIV, 41, XXVIII, 19, 20, et ad Sil. III, 97 seq. 391); *Laminium* (hodie *Alhambra*); *Salaria* (hodie *Chinchilla*), et *Mentesa*, seu *Mentissa Oretana* (hodie *Benataez*), diversa a *Mentesa*, seu *Mentissa Bastitana*, opp. Bastitanorum, ad fines Hisp. Bæticæ et Tarrac. (vide XXVI, 17) ubi et *Castulo* fuit ad Bætin (gr. Καστελὼν, h. *Cazlona* vel *Cazorla*), unde uxor Hannibalis, et cui proximus fuit *saltus Castulonensis;* vide ad XXI, 20, n. 12; XXIV, 41.

nati, retentis conquisitoribus[10], metum defectionis quum præbuissent, oppressi celeritate Hannibalis omiserunt mota arma[11].

XII. Nec Sagunti oppugnatio segnior erat, Maharbale, Himilconis filio (eum præfecerat Hannibal), ita impigre rem agente, ut ducem abesse nec cives, nec hostes sentirent. Is et prælia aliquot secunda fecit, et tribus arietibus aliquantulum muri discussit[1]; strataque omnia recentibus ruinis advenienti Hannibali ostendit. Itaque ad ipsam arcem extemplo ductus exercitus, atroxque prælium cum multorum utrimque cæde initum, et pars arcis capta est. Tentata deinde per duos est exigua pacis spes[2], Alconem saguntinum et Alorcum hispanum. Alcon, insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, quum ad Hannibalem noctu transisset, postquam nihil lacrymæ movebant, conditionesque tristes, ut ab irato victore[3], ferebantur, transfuga ex oratore factus, apud hostem mansit; moriturum affirmans, qui sub conditionibus his de pace ageret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis, traditoque omni auro atque argento, egressi

n. 6, et ad Sil. III, 97 seq. — Noster Reg. 5732 dat *Carpentanosque*. Ed.

10. *Retentis conquisitoribus*, qui *conquisitionem* (v. XXIII, 32; XXV, 5; XXIX, 34, 35; et Cic. prov. cons. 2), h. e. delectum militarem habebant, vel milites *conquirebant;* h. e. conscribebant, contrahebant, seu ad conscribendos milites mittebantur, *Werber*. Cf. c. 21 extr. et XXX, 7.

11. *Omiserunt mota arma;* vid. ad I, 30, n. 7; et III, 46, n. 7.

Cap. XII. 1. *Arietibus aliquantulum muri* (confer ad II, 39, n. 1) *discussit*, ut *decussit* XXXII, 17; XXXIII, 17; XXXVII, 6; XLII, 20; quod et h. l. placuit Drak., non vero Dukero ad XXXII, 17, n. 6. — Creverius hic suspicatur mendum irrepsisse in Gronovii editiones, quæ *aliquantulum* exhibent, quum ipse ex vetustius cusis unoque etiam manuscripto dederit *aliquantum*. Drakenb. autem credit Gronovium ita scientem et volentem vulgasse; additque, se non videre, cur, spretis pluribus scriptis, vix unius auctoritatem sequatur. Ed.

2. *Tentata est exigua pacis spes;* vide ad X, 16, n. 1.

3. *Ut ab irato victore;* v. ad VIII, 30, n. 7. — *Moriturum*, scil. Sagunti. Rediturum se negat, quia nec, clam

urbe cum singulis vestimentis ibi habitarent, ubi Pœnus jussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos[4], Alorcus, vinci animos, ubi alia vincantur, affirmans, se pacis ejus interpretem fore pollicetur. Erat autem tum miles Hannibalis; cæterum publice Saguntinis amicus atque hospes. Tradito palam telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad prætorem saguntinum (et ipse ita jubebat) est deductus. Quo quum extemplo concursus omnis generis hominum esset factus, submota cætera multitudine, senatus Alorco datus est[5]; cujus talis oratio fuit.

XIII. « Si civis vester Alcon, sicut ad pacem peten-
« dam ad Hannibalem venit, ita pacis conditiones ab
« Hannibale ad vos retulisset, supervacaneum hoc mihi
« fuisset iter, quo nec orator Hannibalis, nec trans-
« fuga[1] ad vos venissem. Quum ille, aut vestra, aut
« sua culpa, manserit apud hostem (si metum simu-
« lavit, sua; vestra, si periculum est apud vos vera
« referentibus), ego, ne ignoraretis, esse aliquas et
« salutis et pacis vobis conditiones, pro vetusto hospi-
« tio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra
« autem causa me, nec ullius alterius, loqui, quæ lo-
« quor apud vos, vel ea fides sit[2], quod, neque dum
« vestris viribus restitistis, neque dum auxilia ab Ro-
« manis sperastis, pacis unquam apud vos mentionem
« feci. Postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est,

egressus, redire tuto, neque has conditiones ferre civibus suis possit; Bauerus.

4. *Vinci animos, ubi alia vincantur,* cætera, quæ hostem contra hostem muniant, inpr. muri; Doer. *alia* muri, munimenta, arces, Doujat. et Cuper. *arma* conj. Gron.

5. *Senatus Alorco datus est;* vide ad VIII, 5, n. 1.

Cap. XIII. 1. *Nec orator,* legatus, *Hannibalis, nec transfuga :* nam sub legati auctoritate venisse videtur, quia ei *senatus est datus;* et mox dicit, *pacem ad vos affero,* etc. Doer.

2. *Vel ea fides sit,* jam id fidem faciat, probet. Similiter *ad fidem rerum;* ut eas probaret, XXIII, 12 pr. XXXVIII, 51 pr., et *in fidem in Sicilia* gestarum *rerum secundarum,* in

« nec vestra jam aut arma vos, aut mœnia satis de-
« fendunt, pacem affero ad vos magis necessariam,
« quam æquam. Cujus ita aliqua spes est, si eam, quem-
« admodum ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi
« audiatis; si non id, quod amittitur, in damno (quum
« omnia victoris sint), sed, quidquid relinquitur, pro
« munere habituri estis. Urbem vobis, quam ex magna
« jam parte dirutam, captam fere totam habet, ad-
« imit; agros relinquit, locum assignaturus, in quo
« novum oppidum ædificetis : aurum argentumque
« omne, publicum privatumque, ad se jubet deferri :
« conjugum vestraque corpora ac liberorum vestrorum
« servat inviolata, si inermes cum binis[3] vestimentis
« velitis ab Sagunto exire. Hæc victor hostis imperat.
« Hæc, quanquam sint gravia atque acerba, fortuna
« vestra vobis suadet. Equidem haud despero, quum
« omnium potestas ei facta[4] sit, aliquid ex his rebus
« remissurum. Sed vel hæc patienda censeo potius
« quam trucidari corpora vestra[5], rapi trahique ante
« ora vestra conjuges ac liberos belli jure sinatis. »

XIV. Ad hæc audienda quum, circumfusa paulatim multitudine, permixtum senatui esset populi concilium, repente primores, secessione facta (priusquam respon-

documentum, ut crederentur illæ, XXVI, 24 pr. — *Sic vos ut victi audiatis;* cum Gron. leg. *audietis:* nam et mox *habituri estis* ab eodem *si*, pendet; Bauer.

3. *Inermes cum binis vestimentis :* sed cap. 12; *cum singulis vestimentis* dictum erat. Hinc Lips. emend. *cum privis vestimentis*, h. e. singulis, et *unis* Doujat.; at Doer. ea vestimenta simul intellecta putat, quibus quisque indutus esset. Hannibalem, quum vidisset, Alconem dictas pacis leges tantopere abnuisse, Alorco Saguntum abeunti mandasse, ut pro singulis vestimentis bina offerret, suspicabatur Drakenb.

4. *Omnium potestas ei facta*, omnia ei a vobis concessa, ejus arbitrio relicta; Doer. Confer VIII, 13 extr. *a vobis* ante *facta* inserunt edd. antt. *facta erit* vel *potestatem feceritis* malebat Gron. — Hæc notat Creverius: vulgo *a vobis facta sit;* sed τὰ *a vobis* ignorant omnes scripti, tum Gronoviani, tum nostri. Ed.

5. *Trucidari corpora vestra;* vide ad XXIX, 18, n. 8.

sum daretur), argentum aurumque omne, ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum[1] conjicientes, eodem plerique semet ipsi præcipitaverunt. Quum ex eo pavor ac trepidatio totam urbem pervasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat; perque ruinam ejus cohors Pœnorum impetu facto quum signum imperatori dedisset[2], nudatam stationibus custodiisque solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione[3] ratus Hannibal, totis viribus aggressus urbem, momento cepit, signo dato, ut omnes puberes interficerentur. Quod imperium crudele, cæterum prope necessarium cognitum ipso eventu est: cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum conjugibus ac liberis domos super se ipsos concremaverunt[4], aut armati nullum ante finem pugnæ, quam morientes fecerunt?

XV. Captum oppidum est cum ingenti præda. Quanquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant, et in cædibus vix ullum discrimen ætatis ira fecerat, et captivi militum præda fuerant; tamen et ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniæ[1] redactum esse

Cap. XIV. 1. *In ignem ad id raptim factum*, etc. Cf. Sil. II, 592 sq. De simili Astapensium, Nesactiensium, Numantinorum et Calaguritanorum facinore, v. XXVIII, 23; XLI, 11; Valer. Max. VII, 6 extern. 2 et 3; Juvenal. XV, 93 seq.

2. *Signum imperatori dedisset;* vid. ad IV, 39, n. 1.

3. *In tali occas.;* vide ad I, 11, n. 1. — *Urbem momento cepit, signo dato, ut*, etc., pro, urbe capta, signum dedit, h. e. imperavit, aut pro : urbem cepit, et imperavit; Bauer. Conf. ad IV, 39, not. 1. Mox τὸ *cognitum est* respondere nequit τῷ crudele, quod requirit *fuit:* syllepsis figura; Bauer.

4. *Domos super se ipsos concremaverunt;* forte leg. *ipsi.* « Videtur distinguendum : *domos, super* illas *se ipsos*, i. e. domos et insuper se, seque simul cum domibus, ut VIII, 6, n. 4, *legiones hostium, superque eas se devovisset*, i. e. et se simul. Ibi tamen etiam notio *propter* una inesse videtur. Alioqui fuerit, ut Germani loquimur : *das Haus über dem Kopfe anzünden.* Mox *morientes* pro *morerentur.* Debebat : nullum finem, nisi morientes. » Bauer.

Cap. XV. 1. *Aliquantum pecuniæ;*

constat, et multam pretiosam supellectilem vestemque missam Carthaginem. Octavo mense, quam cœptum oppugnari, captum Saguntum, quidam scripsere[2]: inde Carthaginem Novam in hiberna Hannibalem concessisse: quinto deinde mense, quam ab Carthagine profectus sit, in Italiam pervenisse. Quæ si ita sunt, fieri non potuit, ut P. Cornelius, Ti. Sempronius consules fuerint, ad quos et principio oppugnationis legati saguntini missi sint, et qui in suo magistratu cum Hannibale, alter ad Ticinum amnem, ambo aliquanto post ad Trebiam, pugnaverint. Aut omnia[3] breviora aliquanto fuere, aut Saguntum principio anni, quo P. Cornelius, Ti. Sempronius consules fuerunt, non cœptum oppugnari est, sed captum: nam excessisse pugna ad Trebiam[4] in annum Cn. Servilii et C. Flaminii non potest, quia Flaminius[5] Arimini consulatum iniit, creatus ab Ti. Sempronio consule; qui, post pugnam ad Trebiam, ad creandos consules Romam quum venisset, comitiis perfectis ad exercitum in hiberna rediit.

vide ad II, 39, not. 1. — *Pretiosam* junge etiam cum *vestem.*

2. *Octavo mense... captum Saguntum... quinto deinde mense... quidam scripsere*, inter hos Polyb. III, 17 et 56, quem ducem nisi deseruisset Livius, non ea tradidisset, quæ ipse mox in dubium vocat, et quorum nodos ratione parum probabili solvere conatur; vide ad cap. 6, n. 3.

3. *Omnia breviora*, brevioribus temporum spatiis facta. — *Aut Saguntum principio anni... captum.* Si Creverio credimus, omnino necesse est, ut Saguntum non principio hujus anni, sed aliquanto ante finem superioris captum fuerit. His enim temporibus consules Idib. Martiis magistratum inibant: v. XXII, 1; XXVI, 1; XXVII, 7. Infra autem cap. 21, Hannibalem videmus primo vere profectum esse ex Hispania, postquam totum hiemis spatium parando et recreando exercitui dedisset. Unde fit, ut Hannibal eodem fere tempore Carthagine Nova moverit, quo novi coss. magistratum inierunt; Saguntum autem captum fuerit sub finem anni præcedentis. Atque hæc ita habet Polybius. Ed.

4. *Nam excessisse pugna ad Trebiam*, incidisse demum (conf. XXX, 26) *in annum* consulatus *Cn. Servilii*, etc.

5. *Flaminius Arimini consulatum*, etc.; vide cap. 57 et 63. — *Creatus;* vide ad VII, 16, n. 6.

XVI. Sub idem fere tempus et legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hostilia esse; et Sagunti excidium nuntiatum est: tantusque simul mœror Patres, misericordiaque sociorum peremptorum indigne, et pudor non lati auxilii[1], et ira in Carthaginienses, metusque de summa rerum[2] cepit, velut si jam ad portas hostis esset, ut, tot uno tempore motibus animi turbati, trepidarent magis[3], quam consulerent: nam neque hostem acriorem bellicosioremque secum congressum[4]; nec rem romanam tam desidem unquam fuisse atque imbellem. Sardos, Corsosque, et Istros, atque Illyrios[5] lacessisse magis, quam exercuisse, romana arma: et cum Gallis tumultuatum verius, quam belligeratum. Pœnum, hostem veteranum, trium et viginti annorum militia[6] durissima inter hispanas gentes semper victorem, primum Hamilcare, deinde Hasdrubale, nunc Hannibale duce

Cap. XVI. 1. *Pudor non lati auxilii;* vide ad I, 5, n. 5.

2. *Metus de summa rerum;* vide ad III, 5, n. 6.

3. *Trepidarent magis*, incerti hærerent (vid. ad I, 14, n. 6), *quam consulerent*, de re agenda deliberarent, aut consilium in rem utile caperent (ut XXIII, 20, et XXV, 38); Stroth. Consulto agerent, rem bene gererent; Gron. Conf. XXIII, 29, et ad XXV, 38, n. 2.

4. *Nam neque hostem... congressum*, etc.; vide ad II, 32, n. 6.

5. *Sardos, Corsos, Istros, Illyrios, Gallos*, quibuscum bella gesta inter bellum punicum primum et secundum. — *Cum Gallis* Cisalpinis *tumultuatum verius, quam belligeratum*, præliis magis *tumultuariis*, h. e. velitaribus levibusque (in quibus omnia fiunt cum *tumultu*, h. e. repentino impetu, clamore, strepitu ac terriculis) quam justis atrocibusque (confer ad I, 37, n. 4), et cum hoste *tumultuante potius quam belligerante*, in certamen omne plus terroris quam virium ferente, et cæco magis furore, ac feroci impetu, quam certis consiliis, firmoque animo agente (vide ad V, 44, n. 4), pugnatum. Cf. ad XXVII, 2, n. 6; XXIX, 36, not. 2; XXXII, 30, not. 4, et XXXVIII, 17, n. 3; ubi *gallicus tumultus*, ut ex verbis seqq. patet, dicitur impetus eorum, qui initio est ferox et terribilis, sed longiore certamine sensim residit.

6. *Trium et viginti annorum militia*, etc.; quot anni intersunt inter primum et secundum bellum punicum; Gron. — *Hannibale duce acerrimo assuetum*, ut passim *assuetus* et *assuefactus* ablativo, sed rei fere, non personæ, junguntur, omisso, ut putant,

acerrimo assuetum, recentem ab excidio opulentissimæ urbis[7], Iberum transire: trahere secum tot excitos Hispanorum populos: conciturum avidas semper armorum gallicas gentes: cum orbe terrarum bellum gerendum in Italia, ac pro mœnibus romanis esse.

XVII. Nominatæ jam antea consulibus provinciæ erant[1]; tum sortiri jussi. Cornelio Hispania, Sempronio Africa cum Sicilia evenit. Sex in eum annum decretæ legiones, et socium quantum ipsis videretur, et classis quanta parari posset. Quatuor et viginti peditum Romanorum millia sunt scripta, et mille octingenti equites[2]: sociorum quadraginta millia peditum, quatuor millia et quadringenti equites: naves ducentæ viginti quinqueremes, celoces viginti deductæ. Latum inde ad populum, *vellent, juberent, populo carthaginiensi bellum indici;* ejusque belli causa supplicatio per Urbem habita[3], atque adorati dii, ut bene ac feliciter eveniret, quod bellum populus romanus jussisset. Inter consules ita copiæ divisæ: Sempronio

infinitivo aliquo; vide Duker., Gron. et Drak. ad XXIV, 48; XXXI, 35; XLVIII, 31, 35, et Ern. clav. Cic. *Vincere* pro *victorem* conj. Gron. et *armis assuetum*, Doer.

7. *Recentem ab excidio opulentissimæ urbis*, statim post excidium Sagunti, ut apud Cic. ad Att. XVI, 7 pr. et al.

Cap. XVII. 1. *Nominatæ jam antea consulibus provinciæ erant*, regiones, in quibus bellum gerendum, jam definitæ a senatu, sed nondum sortitio earum a consulibus facta. Conf. XLIV, 17.

2. *Quatuor et viginti peditum Rom. M. sunt scripta et* 1800 *equites:* ergo quævis sex legionum, ut mox dicitur, continebat 4000 pedites, et 300 equites. Conf. ad VIII, 8, n. 10. — *Quinqueremes.* Naves quinque remorum ordinibus instructæ. Qua autem ratione dispositi fuerint hi remorum ordines, incertum est. Per gradusne et intervalla supra se invicem assurgebant, quod multi fieri posse negant, an vero in longitudinem tantum secundum latus navis excurrebant? hæc nobis melior videtur conjectura. De his vide auctorem Antiquit. Schematibus illustr. tom. VIII, lib. II, cap. 8 seqq., et Cæsar. nost. edit. vol. IV, pag. 53. Ed. — *Celoces* (naves *celeres* ac breviores; vide Ruhnken. ad Vellei. II, 73) *viginti deductæ;* vide ad VIII, 26, n. 1.

3. *Supplicatio per Urbem habita;* v. ad III, 63, n. 2.

datæ legiones duæ (eæ quaterna millia erant peditum, et treceni equites[4]), et sociorum sexdecim millia peditum, equites mille octingenti: naves longæ[5] centum sexaginta, celoces duodecim. Cum his terrestribus maritimisque copiis Ti. Sempronius missus in Siciliam; ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Pœnum consul alter satis esset. Cornelio minus copiarum datum, quia L. Manlius prætor, et ipse cum haud invalido præsidio in Galliam mittebatur. Navium maxime Cornelio numerus deminutus[6]. Sexaginta quinqueremes datæ (neque enim mari venturum, aut ea parte belli dimicaturum[7] hostem credebant), et duæ romanæ legiones cum suo justo equitatu[8], et quatuordecim millibus sociorum peditum, equitibus mille sexcentis. Duas legiones romanas, et decem millia sociorum peditum, mille equites socios, sexcentos romanos Gallia provincia[9] eodem anno versa in punicum bellum habuit.

XVIII. His ita comparatis, ut omnia justa ante bellum fierent, legatos majores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Æmilium, C. Licinium, Q. Bæbium, in Africam

4. *Eæ* (singulæ) *quaterna millia erant peditum, et treceni equites:* id ex emendat. Drakenb. reposui pro *ea* et *trecenti.*

5. *Naves longæ,* bellicæ, plerumque quinqueremes, vel triremes, et rostratæ, quæ *onerariis* opponuntur; Strot. Illæ vehebant milites, hæ (ὁλκάδες) commeatum; v. Scheffer de Mil. nav. II, 2, pag. 64, 65, 96. Μακρὰ πλοῖα dicuntur Polyb. XV, 18. — *Ita* (vid. ad I, 8, n. 1) *in Africam transmissurus,* scil. eas.

6. *Navium... numerus deminutus,* quia ad deducendas tantum copias opus habere navibus videbatur.

7. *Ea parte belli dimicaturum,* eo genere belli, bello maritimo, ut cap. 22, et *qua parte copiarum* et *virium* XXII, 19, 44, et XXIII, 26; Gr.

8. *Cum suo justo equitatu,* cum 600 equitibus, quot in duabus legionibus esse solent.

9. *Gallia provincia* (confer II, 40, n. 9), quo L. Manlius prætor cum his copiis missus erat. Mox voc. *anno* abest ab omnibus MSS et antt. edd. Scribendum: *Gallia provincia nondum versa in p. b. h.* i. e. priusquam eo adducerent ambo coss. copias suas Pœnis opponendas; Gron. — Notanda est codd. nost. lectio: *mille equites* (scil. romanos), *soc. sexc. Romanus, Gallia pr. eodem versa, in pun. bel. hab.* Ed.

mittunt[1] ad percunctandos Carthaginienses, publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset? et si, id quod facturi videbantur, faterentur, ac defenderent publico consilio factum, ut indicerent populo carthaginiensi bellum. Romani[2] postquam Carthaginem venerunt, quum senatus datus esset, et Q. Fabius nihil ultra, quam unum, quod mandatum erat, percunctatus esset; tum ex Carthaginiensibus unus: « Præ-
« ceps vestra, Romani, et prior legatio fuit[3], quum
« Hannibalem, tanquam suo consilio Saguntum op-
« pugnantem deposcebatis: cæterum hæc legatio ver-
« bis adhuc lenior est, re asperior. Tunc enim Han-
« nibal et insimulabatur, et deposcebatur: nunc ab
« nobis et confessio culpæ exprimitur; et, ut a con-
« fessis, res extemplo repetuntur. Ego autem non,
« privato publicone consilio Saguntum oppugnatum
« sit, quærendum censeam; sed utrum jure, an inju-
« ria. Nostra enim hæc quæstio atque animadversio in
« civem nostrum est; nostro, an suo fecerit arbitrio.
« Vobiscum una disceptatio est, licueritne per fœdus
« fieri. Itaque quoniam discerni placet, quid publico
« consilio, quid sua sponte imperatores faciant; nobis
« vobiscum fœdus est a Lutatio consule ictum: in quo

Cap. XVIII. 1. *Legatos majores natu... mittunt;* confer ad cap. 6, n. 3. — *M. Livius* is, qui postea *Salinator* dictus est (v. XXIX, 37), esse non potest, quod consul esset tum quum hæc legatio missa est, aut, si posteriore anno missa est, reus, vel damnatus (v. XXVII, 34); Sigon.

2. *Romani postquam C. venerunt, quum senatus datus esset;* vide ad VIII, 5, n. 1. Sed cum Bauero leg. *Romanis, p. C. v., quum*, etc. — Lectionem *Romani* defendit Walchius exemplis pluribus, e Livio assumptis; verbi causa: « *Romanis*, etsi quietæ res nuntiabantur, tamen... ita muniebant, V, 1; « *quibus*, si videretur digna causa, et Hannibali denuntiarent, XXI, 6. » Ed.

3. *Præceps vestra et prior legatio fuit*, temeraria, inconsiderata, temere et parum consulto missa. Confer ad I, 32, n. 13. Inconsiderantiæ et celerioris consilii orator insimulat Romanos, quod priore legatione statim Hannibalem sibi tradendum postulaverint; jam vero eo consilio legatos miserint, ut Pœnis, publico consilio Hannibalem

« quum caveretur utrorumque sociis, nihil de Sagun-
« tinis (nec dum enim erant socii vestri) cautum est.
« At enim eo fœdere, quod cum Hasdrubale ictum est,
« Saguntini excipiuntur[4] : adversus quod nihil ego di-
« cturus sum, nisi quod a vobis didici. Vos enim, quod
« C. Lutatius consul primo nobiscum fœdus icit, quia
« neque auctoritate Patrum, nec populi jussu[5] ictum
« erat, negastis vos eo teneri : itaque aliud de integro
« fœdus publico consilio ictum est[6]. Si vos non tenent
« vestra fœdera, nisi ex auctoritate aut jussu vestro
« icta ; ne nos quidem Hasdrubalis fœdus, quod nobis
« insciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti
« atque Iberi mentionem[7] facere, et, quod diu par-
« turit animus vester, aliquando pariat[8]. » Tum Romanus, sinu ex toga facto[9], « Hic, inquit, vobis bellum
« et pacem portamus; utrum placet, sumite. » Sub hanc vocem haud minus ferociter, *daret, utrum vellet*, succlamatum est : et quum is iterum sinu effuso *bellum dare* dixisset, *accipere se* omnes responderunt, *et, quibus acciperent animis, iisdem se gesturos.*

Saguntum oppugnasse, fassis statim bellum indicant, haud quærentes de rationibus, ex quibus id ab illis fieri potuerit; Doer. Mox *adhuc* non est etiam (*noch*), sed hucusque : nisi plura ac duriora sequuntur et adduntur; Bauer.

4. *Saguntini excipiuntur ;* confer ad cap. 2, n. 9, et cap. 19, n. 2.

5. *Neque auctoritate Patrum n. p. j.;* vide ad I, 17, n. 6.

6. *Itaque aliud de integro fœdus publico c. i. est,* a decem legatis in Siciliam missis; v. Polyb. I, 62, 63; III, 27 seq.

7. *Sagunti atque Iberi mentionem;* vide ad cap. 2, n. 9.

8. *Et, quod jam diu parturit animus vester,* tanquam fetum maturum in lucem edere enititur, *aliquando pariat,* ut ap. Cic. Phil. 2 extr. *utinam reipub. dolor pariat, quod jam diu parturit!* Doer.; *ut, quod diu*, etc.; conj. Bauer.

9. *Sinu ex toga facto*, laciniis togæ ita collectis, ut sinus, vel gremium fieret; Doer. Conf. Appian. Hisp. XIII; Salmas. ad Flor. II, 6; Sil. II, 384 sq. impr. Polyb. III, 33, n. 2 seq. (ubi conf. Schweigh.), et Zonar. Ann. VIII, 22, qui copiosius apertiusque dicit Μάρκος ὁ Φάβιος, τὰς χεῖρας ὑπὸ τὸ ἱμάτιον ὑποβαλὼν, καὶ ὑπτιάσας αὐτὰς, etc. — *Iterum*, quia significat secundo, altera vice, non rursus, referendum ad *dixisset*, non ad *sinu effuso :* nec enim antea effuderat sinum,

XIX. Hæc directa percunctatio[1] ac denuntiatio belli magis ex dignitate populi romani visa est, quam de fœderum jure verbis disceptare, quum ante, tum maxime Sagunto excisa. Nam, si verborum disceptationis res esset[2], quid fœdus Hasdrubalis cum Lutatii priore fœdere, quod mutatum est, comparandum erat? quum in Lutatii fœdere diserte additum esset, *ita id ratum fore, si populus censuisset?* in Hasdrubalis fœdere nec exceptum tale quidquam fuerit, et tot annorum silentio[3] ita vivo eo comprobatum sit fœdus, ut ne mortuo quidem auctore quidquam mutaretur. Quanquam et, si priore fœdere staretur[4], satis cautum erat Saguntinis, sociis utrorumque exceptis: nam neque additum erat, *iis, qui tunc essent*, nec, *ne qui postea assumerentur*. Et quum assumere novos liceret socios, quis æquum censeret, aut ob nulla quemquam merita in amicitiam recipi? aut receptos in

neque *iterum* pro *contra*, vel *rursus* dici potest; Bauer. Idem mox τὸ *se* ante *gesturos* delendum putat.

Cap. XIX. 1. *Directa percunctatio*, quum sine ambagibus rogaretur, utrum pacem an bellum vellent; Stroth. Cf. ad I, 11, n. 6.

2. *Si verborum disceptationis res esset*, etc., si verbis contendere voluissent Romani, ne sic quidem causa Pœnorum erat æquior, etc.; Gron. — *Quid fœdus Hasdrubalis*, etc., e MSS Flor. et Voss. suadente Gron. recepit Drak. pro vulg. *quod fœdus H. cum L. p. f. commutatum est, comparandum non erat, quum*, etc. « Voc. *commutatum* sane locum non habet, si significat, in locum alterius venire: at ego *commutatum* accipio, comparatum, mixtum, confusum, pro altero positum, quasi idem, aut simile, quod fecerant Pœni, cum superiori; » Bauer. — *Exceptum tale quidquam*, disertis verbis definitum, vel pactum; talis conditio expressa, ut passim ap. Cic. *fœdere*, vel *lege excipitur*. Cf. inpr. Cic. p. Balbo cap. 14, sup. ad c. 18, n. 4, et mox not. 4.

3. *Tot annorum silentio;* vide ad cap. 2, n. 9.

4. *Si priore fœdere*, icto a Lutatio, *staretur* (vide ad III, 3, 6 n. 11), *satis cautum erat Saguntinis, sociis utrorumque* populorum *exceptis;* cf. not. 2, et ad cap. 2, n. 9. *Priore fœdere* non eo, quod mutatum est, sed eo, quod validum fuit, adeoque altero et novo; Gron. Contra Bauer monet: « Falso: nam neque *prius* dici hoc potest, neque *etsi staretur* diceret Liv.; steterunt enim altero fœdere. Intellig. prius, quod, cum Hasdrubale ictum, socios utrorumque excipiebat. » Recte, si pro *Hasdrubale* scribere voluit *Lu-*

fidem non defendi? tantum, ne Carthaginiensium socii aut sollicitarentur ad defectionem, aut sua sponte desciscentes reciperentur. Legati romani ab Carthagine, sicut his Romæ imperatum erat, in Hispaniam, ut adirent civitates[5], ut in societatem perlicerent, aut averterent a Pœnis, trajecerunt. Ad Bargusios primum venerunt: a quibus benigne excepti, quia tædebat imperii punici, multos trans Iberum populos ad cupidinem novæ fortunæ erexerunt. Ad Volcianos[6] inde est ventum: quorum celebre per Hispaniam responsum cæteros populos ab societate romana avertit. Ita enim maximus natu ex iis in concilio respondit: « Quæ verecundia est, Romani, postulare[7] vos, uti vestram « Carthaginiensium amicitiæ præponamus, quum, qui « id fecerunt, Saguntinos crudelius, quam Pœnus hostis perdidit, vos socii prodideritis? Ibi quæratis socios, censeo, ubi saguntina clades ignota est. Hispanis populis, sicut lugubre, ita insigne documentum « Sagunti ruinæ erunt, ne quis fidei romanæ aut so-

*tatio.* — *Tantum*, tantummodo, scil. id æquum censeret quis, *ne*, ut *Carthaginiensium socii* non *aut sollicitarentur ad defectionem, aut sua sponte desciscentes reciperentur;* conf. Polyb. III, 27, n. 4, et III, 29, n. 9. — Hæc omnia, quæ Romanorum causæ favent, Livium e Polybio diligenter excerpsisse notat Creverius; at, inquit, id omittere fortasse non debuerat, quod ille, eximia fide commendatus, scriptor addit: concedendum quidem necessario esse Carthaginienses injuste hoc suscepisse bellum, si quis ad excidium Sagunti respiciat. Sin autem cogitetur Sardinia per fraudem intercepta, stipendiumque super impositum; juste omnino Carthaginienses, occasione invitatos, ab iis pœnas exigere voluisse, qui per occasionem temporum ipsis nocuerant. Ed.

5. *Ut adirent civitates, ut*, f. *et*, vel *et aut in societatem*, etc. — *Bargusios*, vel *Bergusios* ad Iberum et Pyrenæos, quorum urbs *Bergium*, seu *Bergidum*, *Bergusia*, *Bargusia*, caput Ilergetum, forsan hod. *Balbastro*, seu *Benavari*, seu *Rota*. Confer cap. 23; Polyb. III, 35; Cellar. G. A. tom. I, p. 120; Ptol. et Steph. Quidam putant ab hoc opp. non differre *Vergium* XXXIV, 21, vel ab eo *Corbionem* in Suessetanis XXXIX, 42.

6. *Ad Volcianos*, al. *Volscianos*: populum minus notum. — *Celebre per H. r.* celebratum, vulgatum, sermonibus divulgatum.

7. *Quæ verecundia est, postulare,*

« cietati confidat. » Inde extemplo abire finibus Volcianorum jussi, ab nullo deinde concilio Hispaniæ benigniora verba tulere. Itaque nequidquam peragrata Hispania, in Galliam transeunt.

XX. In his[1] nova terribilisque species visa est, quod armati (ita mos gentis erat) in concilium venerunt. Quum, verbis extollentes gloriam virtutemque populi romani, ac magnitudinem imperii, petissent, ne Pœno bellum Italiæ inferenti, per agros urbesque suas transitum darent; tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut vix a magistratibus majoribusque natu juventus sedaretur. Adeo stolida impudensque postulatio visa est, censere[2], ne in Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id avertere in se, agrosque suos pro alienis populandos objicere. Sedato tamen fremitu, responsum legatis est, *neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginiensium injuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut adversus Pœnos sumant arma. Contra ea*[3] *audire sese, gentis suæ homines agris finibusque Italiæ pelli a populo romano, stipendiumque pendere, et cætera indigna pati.* Eadem ferme in cæteris

« num sat verecundum est? ubi est verecundia postulantium? an hoc verecundiæ convenit? » Bauer.

Cap. XX. 1. *In his*, scil. Gallis, vel Galliæ populis, etsi præcedit *Galliam;* Stroth. Sed *Gallias* forte legendum. *In Arvernis nova*, etc.; conj. Gron. Cf. XXVII, 39. *Ibi nova*, etc.; Doer. *In his nova Illiberi species* Matthiæ. *In Galliam ad... transeunt. In his nova*, etc.; Sigon. et Glar., qui nomen populi excidisse putant, sed quodnam fuerit, negant divinare posse. *In Galliam transeunt. Ruscinone terribilis species*, etc.; J. Gron. qui monet, id firmari c. 24, et primum ex Hispania juxta mare in Galliam transgressis occurrisse Ruscinonem, τὸ *que* autem sæpius a librariis vel additum esse, vel ablatum. — *Armati in concilium venerunt* Galli, *ita mos gentis erat*, sed forte non nisi de bello consultandum esset, Drak. coll. Cæs. Bell. gal. V, 56, et Nic. Damasc. in Exc. Peiresc. pag. 513.

2. *Adeo stolida impudensque postulatio visa est, censere*, sententiam in concilio dicere, suadere, etc. *Censere* pro censendo, h. e. proponendo, suadendo, dictum accipit Doer. Supervacaneum illud esse, et delendum putabat Gron.

3. *Contra ea;* vide ad II, 60, n. 1.

Galliæ conciliis dicta auditaque : nec hospitale quidquam pacatumve satis prius auditum, quam Massiliam venere. Ibi omnia [4], ab sociis inquisita cum cura ac fide, cognita, *præoccupatos jam ante ab Hannibale Gallorum animos esse. Sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore (adeo ferocia atque indomita ingenia esse), ni subinde auro, cujus avidissima gens est* [5], *principum animi concilientur.* Ita peragratis Hispaniæ et Galliæ populis, legati Romam redeunt, haud ita multo post, quam consules in provincias profecti erant. Civitatem omnem in exspectationem belli erectam [6] invenerunt, satis constante fama, jam Iberum Pœnos transmisisse.

XXI. Hannibal, Sagunto capto, Carthaginem novam in hiberna concesserat : ibique, auditis, quæ Romæ, quæque Carthagine acta decretaque forent, seque non ducem solum, sed etiam causam esse belli, partitis divenditisque reliquiis prædæ, nihil ultra differendum ratus, hispani generis milites [1] convocat : « Credo ego vos, inquit, socii, et ipsos cernere, pa« catis omnibus Hispaniæ populis, aut finiendam no« bis militiam, exercitusque dimittendos esse, aut in « alias terras transferendum bellum : ita enim hæ gen« tes non pacis solum, sed etiam victoriæ, bonis flo« rebunt, si ex aliis gentibus prædam et gloriam quæ-

— *Cætera indigna*, alia l., ut passim. Cf. Drak.

4. *Ibi omnia, ab sociis* (Massiliensibus, de quorum fide conf. cap. 26, XXII, 19, et Polyb. III, 95) *inquisita, cognita* a Romanis. — Ibi cognita sunt omnia, quippe quæ Massilienses, Romanorum socii, cum cura ac fide inquisierant. Ed. — *Præoccupatos ante;* quod *ante* e MSS adjecit Drak. Cf. ad IX, 23, n. 1.

5. *Cujus avidissima gens est;* debebat poni *sit* : aut ex Livii ore, quasi per parenthesin, dictum accipe; Bauer. — Vossius conjecit *esset*, quem reprehendit Walch. Emend. p. 193. Ed.

6. *In exspectationem belli erectam;* vide ad II, 54, n. 12.

Cap. XXI. 1. *Hispani generis milites*, præstantissimam exercitus partem. Conf. XXVII, 14, et ad Sil. I, 220 seq.

« remus. Itaque, quum longinqua ab domo instet « militia[2], incertumque sit, quando domos vestras, « et quæ cuique ibi cara sunt, visuri sitis, si quis « vestrum suos invisere vult, commeatum do. Primo « vere, edico, adsitis, ut, diis bene juvantibus, bel- « lum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus. » Omnibus fere visendi domos oblata ultro potestas grata erat, et jam desiderantibus suos, et longius in futurum providentibus desiderium. Per totum tempus hiemis, quies inter labores, aut jam exhaustos, aut mox exhauriendos, renovavit corpora animosque ad omnia de integro patienda. Vere primo ad edictum convenere. Hannibal, quum recensuisset omnium auxilia gentium, Gades profectus Herculi vota exsolvit[3]; novisque se obligat votis, si cætera prospera evenissent. Inde partiens curas simul in inferendum atque arcendum bellum, ne, dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere Italiam peteret, nuda apertaque Romanis Africa ab Sicilia[4] esset, valido præsidio firmare eam statuit. Pro eo supplementum ipse, ex Africa, maxime jaculatorum levium armis petiit, ut Afri in Hispania, in Africa Hispani, melior procul ab domo futurus uterque miles, velut mutuis pignoribus obligati[5], stipendia facerent. Tredecim millia octingentos quinquaginta pedites cetratos[6] mi-

2. *Longinqua ab domo instet militia;* v. ad III, 6, n. 5, et XXXVI, 10, n. 6. — *Commeatum do;* vide ad I, 57, n. 2. Cf. Polyb. III, 33.

3. *Gades profectus Herculi vota exsolvit;* vid. ad Sil. III, 1-44. — *Si cætera prospera evenissent*, ut XXXVII, 47; XLII, 28, et apud Sall. B. Cat. 22, probb. Gron. et Drak. ut adject. pro adv. positum sit. *Si cætera* (quæ meditaretur) *prospere* e MSS. Rec. et Pal. III, forte rectius. *Prospere venissent;* Flor.

4. *Nuda apertaque Romanis Africa ab Sicilia;* v. ad VIII, 17, n. 5. Mox *firmare et eam*, vel *Metagoneam* conj. Gron. Confer Polyb. III, 33, unde et sequentia sunt hausta.

5. *Velut mutuis pignoribus obligati*, ut apud Polyb. l. l. ἐκδεσμεύων τὴν ἑκατέρων πίστιν εἰς ἀλλήλους.

6. *Pedites cetratos* (al. *cætratos*),

sit in Africam, et funditores Baliares[7] octingentos septuaginta: equites mixtos ex multis gentibus mille ducentos. Has copias partim Carthagini præsidio esse, partim distribui per Africam jubet. Simul conquisitoribus[8] in civitates missis, quatuor millia conscripta delectæ juventutis, præsidium eosdem et obsides, duci Carthaginem jubet.

XXII. Neque Hispaniam negligendam ratus (atque ideo haud minus[1], quod haud ignarus erat, circumitam ab Romanis eam legatis ad sollicitandos principum animos), Hasdrubali fratri, viro impigro, eam provinciam destinat, firmatque eum africis maxime præsidiis, peditum Afrorum undecim millibus octingentis quinquaginta, Liguribus trecentis, Baliaribus quingentis. Ad hæc peditum auxilia additi equites Li-

agiles, levisque armaturæ, qui Græcis *peltastæ* dicuntur: nam *cetra* parvum erat Hispanorum Afrorumque scutum loreum, *peltæ* simile; Stroth. Confer XXIII, 26 extr.; XXVIII, 5; XXXI, 36 pr.; XXXIII, 4; ad Sil. III, 278; IX, 231, et de *peltis*, scutis parvis, inpr. Amazonum, formam mediæ, vel corniculatæ lunæ referentibus, ad Sil. II, 76. Πελταςαὶ medii inter levem gravemque armaturam apud Polyb. V, 22, n. 9; V, 23, 3-8, diversi ab agemate ibid. V, 25, n. 1; a phalange et equitibus in exercitu Maced. ibid. II, 65, n. 2; IV, 67, n. 6; IV, 84, n. 9; X, 31, 13. Cetratis opponuntur *clypeati*, seu *aglaspides*, seu *chalcaspides*, gravis armaturæ milites, XXXIII, 15, n. 3, et XLIV, 41 pr.

7. *Funditores* (peritissimi) *Baliares*, quorum insulæ Baleares hod. *Mallorca* et *Minorca* vocantur. Cf. Ind. et loca class. XXVIII, 37; Epit. Liv. LX; Diodor. V, 17, νῆσοι ὀνομαζόμεναι Γυμνήσιαι διὰ τὸ τοὺς ἐνοικοῦντας γυμνοὺς τῆς ἐσθῆτος βιοῦν κατὰ τὴν τοῦ θέρους ὥραν. Βαλλιαρεῖς ἀπὸ τοῦ βάλλειν ταῖς σφενδόναις λίθους μεγάλους κάλλιστα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, etc., et Strab. III, 5, p. 167, 168, et lib. XIV, p. 450. Aliis dicuntur *Baleares*, ut plerumque Gron. Βαλεαρεῖς et Βαλεαρίδες, sed et Βαλιαρίδες atque Βαλλιαρίδες. Ipso nomine funditores jaculatoresve designari, plerique tradunt: sed alii illud græcum esse putant, a βάλλειν; conf. Strab. l. l. Eustath. ad Dionys. vide 457; Bocharti Phaleg., ad Epit. Liv. LX, 9 (*Baliares a teli missu appellati*, *aut a* Baleo, Herculis comite, etc.), et Cellar. G. A. II, 1, pag. 102.

8. *Conquisitoribus;* vide ad cap. II, n. 10.

Cap. XXII. 1. *Atque ideo haud minus:* del. *haud*, quæ vocula sensum corrumpit; Gron. Nonnunquam altera particula negans abundat; Duk. Cf. II, 45, n. 7. — Mox nostri: *Afror.* 11000, *Lig.* 850, *Baliar.* 300 Ed.

byphœnices[2] (mixtum punicum Afris genus) quadringenti et quinquaginta, Numidæ Maurique accolæ Oceani ad mille octingentos, et parva Ilergetum manus[3] ex Hispania, ducenti equites, et, ne quid terrestris deesset auxilii genus, elephanti quatuordecim. Classis præterea data ad tuendam maritimam oram (quia, qua parte belli vicerant[4], ea tum quoque rem gesturos Romanos, credi poterat), quinquaginta quinqueremes, quadriremes duæ, triremes quinque : sed aptæ instructæque remigio triginta et duæ quinque-

2. *Additi equites Libyphœnices.... CCCCL;* hunc numerum ex Polyb. III, 33, a quo omnis harum copiarum recensio summaque desumpta est, pro vulg. *CCC et* substitui, auctore Gron. qui bene monet *cccccl* in *ccc et* transiisse, et in quibusdam MSS reperiri CCCC. Ex eodem Polyb. mox leg. *elephanti XXI.* Africa inter quatuor populos erat divisa, *Pœnos, Libyphœnices* (qui Byzacium et maritimas obtinebant urbes; cf. Plin. V, 4, et Strab. XVII, pag. 835), Afros, seu *Mauros,* et *Numidas.* Diodor. XX, 55, τέτταρα τὴν Λιβύην διείληφε γένη, Φοινίκες μὲν, οἱ τὴν Καρχηδόνα τότε κατοικοῦντες· Λιβυφοίνικες δὲ, πόλλας ἔχοντες πόλεις ἐπιθαλαττίους, καὶ κοινωνοῦντες τοῖς Καρχηδονίοις ἐπιγαμίας, οἷς ἀπὸ τῆς συμπεπλεγμένης συγγενείας συνέβη τυχεῖν ταύτης τῆς προσηγορίας, etc.

3. *Parva Ilergetum manus ex Hispania;* confer Polyb. III, 33; ubi Schweigh. hæc notavit : « Mirum utique debet videri, qui fiat, ut medios inter *Africæ* populos, e quibus equites relicti Hasdrubali, una gens *Hispanica* memoretur, et quidem trans Iberum (inter Iberum et Pyrenæum) incolens, posteaque demum subacta ab Hannibale (v. Polyb. III, 35, et Liv. XXI, 23); præsertim quum consentaneum sit, hispanos equites plures sane, quam CC, vel CCC, sub Hasdrubalis imperio fuisse relictos. Hinc apud Polyb. pro Ἰλεργητῶν, quos ex Livio substitui, e MSS Λεργητῶν restitutum velim, etsi populum hujus nominis in Africa nulli alii scriptori memoratum novi. Livius, quum Λεργητὼν, aut aliud hujusmodi nomen, quo Libyæ populus aliquis designabatur, ap. Polyb. legisset, perperam forte, similitudine nominis deceptus, de satis noto alioquin Hispaniæ populo cogitavit. » Forsan Polybius scripsit : Νιγριτῶν. — *Ducenti equites,* forte *trecenti* ex Polyb. — *Elephanti quatuordecim.* Apud Polyb. III, 33, invenies ἐλεφάντας εἴκοσι καὶ ἕνα; unde Sigonius, contra omnes libros, legendum XXI suspicatur. Ed.

4. *Qua parte belli* (vide ad c. 17, n. 7) *vicerant* Romani bello punico primo. — *Aptæ instructæque remigio;* conf. ad III, 15, n. 8. *Aptæ,* aptatæ, instructæ armis, velis, etc.; ut XXX, 10, n. 2, et *paratæ aptatæque lintres* cap. 27, vel *aptare classem velis* et *biremes remigio* apud Virg. Æn. III, 472; VIII, 80. *Apta pinnis* apud Cic. Off. III, 29. *Cœlum stellis aptum* ap. Virg. Æn. IV, 482; VI, 798. Polyb.

remes erant, et triremes quinque. Ab Gadibus Carthaginem ad hiberna exercitus rediit; atque inde, profectus præter Etovissam[5] urbem, ad Iberum maritimamque oram ducit. Ibi, fama est[6], in quiete visum ab eo juvenem divina specie, qui *se ab Jove* diceret *ducem in Italiam Hannibali missum : proinde sequeretur, neque usquam a se deflecteret oculos.* Pavidum primo, nusquam circumspicientem aut respicientem, sequutum; deinde, cura humani ingenii[7], quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis[8] nequivisse; tum vidisse, post sese serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri, ac post insequi cum fragore cæli nimbum : tum, *quæ moles ea, quidve prodigii esset*, quærentem audisse : *Vastitatem Italiæ esse; pergeret porro ire, nec ultra inquireret, sineretque fata in occulto esse.*

XXIII. Hoc visu lætus tripartito Iberum copias trajecit, præmissis, qui Gallorum animos, qua traducendus exercitus erat, donis conciliarent, Alpiumque transitus specularentur. Nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum traduxit[1]. Ilergetes

loco laud. ait πληρώματα ἔχουσαι. Cæterum numero navium a Livio non discrepat. Ed.

5. *Præter Etovissam*, Ἠτόβησαν in Edetanis apud Ptol. — *Ducit;* vid. ad I, 23, 4. *Atque inde profectus, præter Etovissam urbem ad Iberum maritima ora ducit;* conj. Jac. Gron. quia *maritimum* omnes pæne MSS sine copula *que* exhibent. Etovissam, vero non maritimam, sed mediterraneam urbem esse, monet Drak.

6. *Ibi fama est, in quiete visum ab eo juvenem divina specie*, etc. Confer Val. Max. I, 7 extr. 1; Cic. de Div. I, 24; ad Sil. III, 158 - 219, et, qui hanc similesque fabulas ridet, Polyb. III, 48.

7. *Cura humani ingenii;* pro ea, qua duci solent homines, res vetitas (novas quoque, insolitas et ignotas) sciendi cupiditate; Doer. — Pro *cura* Perizonius conjecit *more:* alius forsan malit *nura* per compendium pro *natura*, quod nec Spaldingio displicebat. Ed. — *Quod respicere vetitus esset*, de qua superstitione; v. Sil. III, 181.

8. *Temperare oculis;* cf. ad II, 23, n. 8. — *Ferri;* vide ad VI, 30, n. 2.

Cap. XXIII. 1. *Nonaginta millia*

inde, Bargusiosque, et Ausetanos, et Lacetaniam, quæ subjecta Pyrenæis montibus est, subegit: oræque huic omni præfecit Hannonem, ut fauces, quæ Hispanias Galliis jungunt, in potestate essent. Decem millia peditum Hannoni ad præsidium obtinendæ regionis data, et mille equites. Postquam per Pyrenæum saltum traduci exercitus est cœptus, rumorque per barbaros manavit certior de bello romano; tria millia inde Carpetanorum peditum iter averterunt. Constabat, non tam bello motos, quam longinquitate viæ, insuperabilique Alpium transitu. Hannibal, quia revocare aut vi retinere eos anceps erat, ne cæterorum etiam feroces animi irritarentur, supra septem millia hominum domos remisit, quos et ipse gravari mi-

*peditum*, *XII millia equitum traduxisse Iberum* tradit et Polyb. III, 35; deinde eum Hannoni reliquisse decem millia peditum, et millia equites; domum remisisse parem numerum; in subigendis populis intra Iberum Pyrenæumque maximam exercitus partem amisisse; quum Pyrenæum transierit, reliqua habuisse L mil. peditum, IX mil. equitum, et, superato Rhodano, XXXVIII millia peditum; equitum paulo amplius VIII mil.; in Alpium transitu harum copiarum dimidiam fere amisisse partem; et, quum ex Alpibus in campos circumpadanos descenderit, reliqua habuisse XX m. peditum (XII Afrorum, VIII Hispanorum), equitum VI millia; v. Polyb. III, 35, 56 et 60. — *Ilergetes*, quorum capita *Athanagia* (vide ad c. 61), et *Ilerda* (h. *Lerida*) ad Sicorim fl. (hod. *Segre*) qui Ilergetes a Lacetanis dividit. Confer Ind. et Schweigh. ad Polyb. III, 33; III, 35; IX, 11; X, 18. — *Bargusios*; vide ad c. 19, not. 5. — *Ausetanos*, quorum ager XXXIX, 56, minus recte ad Iberum ponitur, quorumque oppida erant *Ausa* (seu Ausona, et vicus Ausonensis, hodie *Vic de Osona*, vulgo *Vich*, seu *Vique*), et *Gerunda*, hod. *Gerona*. — Hos Ptolemæus II, 6, Αὐθητανοὺς nominat. Ausetanos hic ab Ausetanis Plinii diversos fuisse creditur. Ed. — *Lacetaniam* ex emendat. Sigon. pro *Aquitaniam*, quæ est pars Galliæ citra Pyrenæum. *Lacetani*, de quorum situ vide cap. 60, diversi forte a Jacetanis Strab. non vero Ptol. Eorum oppida *Setelsis* (hod. *Solsona*), *Udura* (hodie *Cordona*), *Telobis* (hod. *Marcorelhum*), *Bacasis* (hodie *Manresa*), et *Scissis*, al. *Scissum*, cap. 60, forte rectius *Cissa* (Κίσσα ap. Polyb. III, 76), hod. *Guissona*. (Sed in plerisque MSS cap. 60, legitur *Scissis*, et conf. mox ad cap. 24, n. 2.) Pro *Ausetanis* et *Lacetanis* Polybius III, 35, n. 2, habet Ἀνδοσίνους et Αἰρηνοσίους. Ignota aliis nomina, pro quibus Gron. conj. Αὐσοδίους (Ausetanos, ut Καρπήσιοι Carpetani) et Λαρνησίους.

litia senserat [2], Carpetanos quoque ab se dimissos simulans.

XXIV. Inde, ne mora atque otium animos sollicitarent [1], cum reliquis copiis Pyrenæum transgreditur, et ad oppidum Illiberi [2] castra locat. Galli quanquam Italiæ bellum inferri audiebant, tamen, quia vi subactos trans Pyrenæum Hispanos fama erat, præsidiaque valida imposita, metu servitutis ad arma consternati [3], Ruscinonem aliquot populi conveniunt. Quod ubi Hannibali nuntiatum est, moram magis, quam bellum, metuens, oratores ad regulos eorum misit, *colloqui semet ipsum velle cum his; et vel illi propius Illiberi accederent, vel se Ruscinonem processurum, ut ex propinquo congressus facilior esset: nam et accepturum eos in castra sua se lætum, nec cunctanter se ipsum ad eos venturum. Hospitem enim se Galliæ, non hostem, advenisse: nec stricturum ante gladium, si per Gallos liceat, quam in Italiam venisset.* Et per nuntios quidem hæc: ut vero reguli Gallorum, castris ad Illiberim extemplo motis, haud gravate ad Pœnum venerunt; capti donis, cum bona pace exercitum per fines suos præter Ruscinonem oppidum transmiserunt.

XXV. In Italiam interim nihil ultra, quam Iberum transisse Hannibalem, a Massiliensium legatis Romam

2. *Quos et ipse gravari militia senserat*, imo *ipsos g. militiam s.* Gron. — *Carpetanos;* vide ad cap. 5, n. 7.

Cap. XXIV. 1. *Animos sollicitarent* ad seditionem; Doer.

2. *Ad oppidum Illiberi;* ita in optimis MSS, sed mox *ad Illiberim.* Nam *Illiberis*, ut plura Hispaniæ oppida, v. c. *Illiturgis*, seu Iliturgis, *Oringis*, *Anitorgis*, *Meningis*, et quæ modo in nota 1, ad cap. 23, memoravi: sed et neutro genere *Illiturgi* (XXIII, 49), *Intibili* (ibid.), *Illiberi*, *Illici*. Cf. Drak. *Illiberi* Mel. II, 5. *Eliberri*, Ptol. Ἰλίβερις Strab. Ἰλιβίρρις, a matre Constantini M. dictum *Helena*, et inde nunc *Elne*. Conf. ad c. 26, n. 6.

3. *Ad arma consternati;* vide ad II, 47, n. 3. — *Ruscino* opp. non longe a Perpiniano (*Perpignan*) situm, a quo dictum *le gouvernement de Roussillon*. Confer ad cap. 26, n. 6.

perlatum erat : quum perinde, ac si Alpes jam transisset, Boii, sollicitatis Insubribus [1], defecerunt ; nec tam ob veteres in populum romanum iras, quam quod nuper, circa Padum, Placentiam Cremonamque colonias in agrum gallicum deductas [2] ægre patiebantur. Itaque, armis repente arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non agrestis modo multitudo, sed ipsi triumviri romani [3], qui ad agrum venerant assignandum, diffisi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint, C. Lutatius, C. Servilius, T. Annius. Lutatii nomen haud dubium est ; pro C. Servilio et T. Annio, Q. Acilium et C. Herennium habent quidam annales : alii P. Cornelium Asinam et C. Papirium Masonem. Id quoque dubium est, legati, ad [4] expostulandum missi ad Boios, violati sint, an in triumviros agrum metantes impetus sit factus. Mutinæ quum obsiderentur, et gens, ad oppugnandarum urbium artes rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, segnis intactis assideret muris ; simulari cœptum de pace agi. Evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra jus modo gentium, sed violata etiam, quæ

Cap. XXV. 1. *Boii, sollicitatis Insubribus ;* vide ad V, 34, n. 9. — *Nec tam ob veteres in populum romanum iras,* quam tamen solam causam memorat Polyb. III, 40, n. 8.

2. *Placentiam Cremonamque colonias... deductas* hoc anno. Conf. Liv. Epit. XX ; Vellei. I, 14, et inpr. ad totum h. l. Polyb. III, 40. — Sigonius ait, has colonias deductas fuisse P. Cornelio, Ti. Sempronio consulibus pridie Kal. Januar. ; sed Drakenb. negat, si quidem ea deductio Gallos a Romanis detraxit, id fieri potuisse, quum non ante Kal. Mart. hi novi consules magistratum inierint. Nisi forte putandum est, pridie Kalend. Januar. M. Livio, L. Æmilio adhuc coss. legem de coloniis deducendis latam, et conscriptos colonos fuisse ; demum vero deductos fuisse, quum jam e magistratu exierint, et sub novorum consulum auspiciis. Ed.

3. *Triumviri romani* coloniis deducendis. Confer ad III, 1, n. 6.

4. *Ad expostulandum,* ad exprobrandam factam Romanis a Boiis injuriam, sive ad res repetendas ; Doer, *Triumviros* ipsos, *colloquium* postulantes, a Boiis comprehensos tradit

data in id tempus erat, fide, comprehenduntur; negantibus Gallis, nisi obsides sibi redderentur [5], eos dimissuros. Quum hæc de legatis nuntiata essent, et Mutina præsidiumque in periculo esset, L. Manlius prætor [6], ira accensus, effusum agmen ad Mutinam ducit. Silvæ tunc circa viam erant, plerisque incultis: ibi, inexplorato profectus, in insidias præcipitatus, multaque cum cæde suorum ægre in apertos campos emersit [7]. Ibi castra communita; et, quia Gallis ad tentanda ea defuit spes, refecti sunt militum animi, quamquam ad C cecidisse [8] satis constabat. Iter deinde de integro cœptum, nec, dum per patentia loca ducebatur agmen, apparuit hostis; ubi rursus silvæ intratæ, tum postremos adorti, cum magna trepidatione ac pavore omnium, octingentos milites occiderunt, sex signa ademere. Finis et Gallis territandi, et pavendi Romanis fuit, ut e saltu invio atque impedito evasere. Inde, apertis locis facile tutantes agmen, Romani Tanetum, vicum propinquum Pado [9], contendere. Ibi se munimento ad tempus, commeatibusque fluminis et Brixianorum Gallorum [10] auxilio, adversus crescentem in dies multitudinem hostium, tutabantur.

XXVI. Qui tumultus repens postquam est Romam

Polyb. l. l. Confer et infr. ad XXVII, 21, 7, et XXX, 19, n. 5.

5. *Nisi obsides sibi redderentur*, quos Polyb. l. l. traditos dicit in exitu ejus belli, quod descripsit II, 22-35.

6. *L. Manlius prætor;* confer cap. 17. — *Effusum agmen;* vid. ad I, 14, n. 7. — *Plerisque incultis*, scil. locis, quod voc. alii addunt. — *Inexplorato;* vide ad I, 41, n. 10.

7. *In apertos campos emersit* e saltibus. Confer ad VI, 14, n. 6.

8. *Ad C. cecidisse* e MSS Gud. recepi cum Stroth. etsi forte ob illud *multa cæde* leg. *ad D*, vel *ad DC*. In reliquis MSS *cecidisse, ad cladisse, accedisse, accecidisse, accidisse, occidisse, accessisse*. In edd. Med. *accisas res* (vide ad III, 10, 9), quod servarunt edd. seqq. Mox *DCC milites occiderunt* 10 MSS. — Nostri quoque *septingentos* tuentur. Ed.

9. *Tanetum vicum p. Pado*, inter Parmam et Mutinam (hodie *Tanedo*), τὴν Τάννητος καλουμένην κώμην Pol. III, 40.

10. *Brixianorum Gallorum;* vide ad V, 35, n. 1.

perlatus, et punicum insuper gallico bello auctum Patres acceperunt, C. Atilium prætorem cum una legione romana[1], et quinque millibus sociorum, delectu novo a consule conscriptis, auxilium ferre Manlio jubent: qui sine ullo certamine (abscesserant enim metu hostes) Tanetum pervenit. Et P. Cornelius, in locum ejus, quæ missa cum prætore fuerat, transcripta legione nova, profectus ab urbe sexaginta longis navibus[2], præter oram Etruriæ Ligurumque, et inde Salyum montes[3], pervenit Massiliam, et ad proximum ostium Rhodani[4] (pluribus enim divisus amnis in mare decurrit) castra locat: vixdum satis credens, Hannibalem superasse Pyrenæos montes. Quem ut de Rhodani quoque transitu agitare animadvertit, incertus, quonam ei loco occurreret, necdum satis refectis ab jactatione maritima[5] militibus, trecentos interim delectos equites, ducibus Massiliensibus et auxiliaribus Gallis, ad exploranda omnia, visendosque ex tuto hostes præmittit. Hannibal, cæteris metu aut pretio pacatis, jam in Volcarum pervenerat agrum, gentis validæ[6]. Colunt autem circa

Cap. XXVI. 1. *Una legione romana* altera earum, quæ Scipioni erant datæ (vide ad cap. 17): unde *in locum ejus transcripta* (translata, substituta, novo delectu habito, nisi leg. *conscripta*, vel *scripta*) *legio nova*.

2. *Profectus ab Urbe LX longis navibus* (conf. ad cap. 17, n. 5), non itinere pedestri. Idem tradit Polybius III, 41.

3. *Salyum montes;* vide ad V, 34, n. 7, et confer Strabonem, IV, 1, p. 181.

4. *Ad proximum ostium Rhodani*, τὸ Μασσαλιωτικὸν apud Polyb. III, 41. De ostiis Rhodani, in æstuario divisis, parvasque formantibus insulas, confer Plin. III, 4, seu 5, et Strab. IV, 1, § 8, p. 183.

5. *Ab jactatione maritima*, navium in mari, quæ et fatigaverat milites, et nauseam iis creaverat. Confer ad cap. 48, n. 5. — *Trecentos delectos equites*, CCCC MSS Harl. et Polyb. III, 41; ex quo etiam *ducibus Massiliensjum auxiliaribus Gallis* conjici posse monet Drak.

6. *In Volcarum agrum, gentis validæ;* noti *Volcæ Tectosages* et *V. Arecomici*, seu Aricomici et Aricomisci. Illorum oppida Narbo Martius (hod. *Narbonne*), Tolosa (hodie *Toulouse*), Leucato, Carcasso, et, cap. 24 memorata, Illiberis et Ruscino: horum Ne-

utramque ripam Rhodani: sed, diffisi citeriore agro arceri Pœnum posse, ut flumen pro munimento haberent, omnibus ferme suis trans Rhodanum trajectis, ulteriorem ripam amnis armis obtinebant. Cæteros accolas fluminis[7] Hannibal, et eorum ipsorum quos sedes suæ tenuerant, simul perlicit donis ad naves undique contrahendas[8] fabricandasque: simul et ipsi trajici exercitum, levarique quam primum regionem suam tanta urgente hominum turba cupiebant[9]. Itaque ingens coacta vis navium est, lintriumque temere ad vicinalem usum paratarum; novasque alias primum Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus[10]: deinde et ipsi milites, simul copia materiæ, simul fa-

mausus (hodie *Nimes*), et Vindomagus. Confer Strab. IV, 1, § 12-14, pag. 186-189. Is et pag. 186, dicit, Volcas non *circa utramque ripam Rhodani*, sed ultra illum, ἐπὶ θάτερα μέρη τοῦ ποταμοῦ *colere*, scil. agros, h. e. habitare. Conf. ad I, 1, n. 3. — Mox forte leg. *ulteriorem ripam amnis armati obtinebant;* Gron.: vel vox *amnis* del. Drak. et Stroth.

7. *Cæteros accolas fluminis et* eos, *quos eorum ipsorum*, vel ex his ipsis (confer Drak. et ad XLI, 9, n. 5), sc. Volcis, non traxerat insania popularium in ulteriorem ripam ad resistendum Hannibali, sed *sedes suæ tenuerant*, detinuerat οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, qui Volcarum remanserant cis flumen, sedis amore retenti; Gron. et Stroth. Conf. ad V, 54, n. 1. *Quos sedes suæ tenuerant* inversa constructione dictum putat Doer. pro vulgari: qui sedes suas tenuerant, h. e. qui in sedibus suis permanserant. Libri variant, et pronom. *suæ* ex optimis MSS primus addidit Stroth. suadentibus Gron. et Drak. — Hic *Büttner* Observ. Livian. pag. 48, Gronovium impugnat, quod contra leges grammaticas, non tamen contra sensum, verba *eorum ipsorum* ad prius *Volcarum* retulerit, quum non nisi ad posterius nomen *accolas* referri queant. Quare ipse, ut loco medeatur, e conjectura elicit *Volcarum ipsorum*, quæ lectio in *eorum* forsan corrumpi potuit. Ed.

8. *Ad naves undique contrahendas*, etc.; confer Polyb. III, 42.

9. *Tanta urgente hominum turba*, tanquam grave onus premente incolas, qui victum et res necessarias tantæ hominum multitudini suppeditare debebant; Doer. — *Coacta vis navium;* vide ad XXXII, 2, n. 4. — *Temere*, sine arte et certo consilio, *ad vicinalem usum paratarum*, quibus non ad longinquam navigationem, sed ad res in vicina loca deportandas utebantur; Stroth. ad merces inpr. ultro citroque devehendas; Sigon. Conf. Polyb. l. l. *Lintres* forte *pontones* Gallorum, noti e Cæs. B. C. III, 29.

10. *Cavabant ex singulis arboribus*, μονόξυλα πλοῖα apud Polyb. qualibus barbari americani et insulani Oceani meridionalis utuntur; Stroth.

cilitate operis inducti, alveos informes[11] (nihil, dummodo innare aquæ, et capere onera possent, curantes) quibus se suaque transveherent, raptim faciebant.

XXVII. Jamque omnibus satis comparatis ad trajiciendum, terrebant ex adverso hostes, omnem ripam equis virisque obtinentes[1] : quos ut averteret, Hannonem, Bomilcaris filium, vigilia prima noctis, cum parte copiarum, maxime Hispanis, adverso[2] flumine ire iter unius diei jubet; et, ubi primum possit, quam occultissime trajecto amni, circumducere agmen, ut, quum opus facto sit, adoriatur ab tergo hostem. Ad id dati duces Galli edocent, inde millia quinque et viginti ferme supra, parvæ insulæ circumfusum amnem, latiorem, ubi dividebatur, eoque minus alto alveo, transitum ostendere. Ibi raptim cæsa materia ratesque fabricatæ, in quibus equi, virique, et alia

11. *Alveos informes;* vid. ad I, 4, not. 9.

Cap. XXVII. 1. *Omnem ripam equis virisque* (ut mox *equi, virique, et alia onera*) *obtinentes* ex editt. quibusdam antt. restitui; vide ad V, 37, n. 3 (*equis virisque immensum obtinentes loci*). Alii e MSS *equites virique*. Quæ voces forte glossatori debentur : nam Livius scripsisset potius *omnem r. equitibus virisque obtinentibus*, vel per exegesin *hostes, equites virique, omnem ripam obtinentes;* Doer.

2. *Adverso flumine ire* (ut doctius *adversa ripa* cap. 31 pr. nos : *an dem Strom hinauf;* Stroth.) *iter unius diei jubet... duces Galli edocent, inde millia quinque et viginti ferme* passus (v. ad IX, 24, n. 2) *supra* (supera parte, ut in fine c. *parte superiore*, et contr. *infra*), *parvæ insulæ c. amnem..... transitum ostendere*, etc.; cf. omnino Polyb. III, 42; *edocent* e MSS Flor. recepit Drak. pro vulg. *educunt*, quod delendum putabat Gron; ut *ostendere* dictum esset pro *ostenderunt*. « At duces non *ostendunt* transitum, sed per eum ducunt. Quod incommodum etiam gravius premit τὸ *edocent*, ut *ostendere* sit infinitivus. Et quid redundantius dici potest, quam *duces dati edocent, amnem transitum ostendere?* Non vidi ineptiorem verbositatem. Ego *educunt* simpl. intelligo : sursum ducunt adverso flumine. Sed nec placet *latiorem transitum;* quin dici vix potest. Quid, si *transitum ostendere* glossema sit, a perturbato librario vel lectore additum? *Latiore* certe malim, quod *alveo* jungatur. Forte et leg. *ostendentem*, scil. amnem; » Bauer. — *Büttner* (obs. pag. 50) quoque dat *educunt*, et punctum ante *supra* ponit : immo conjicit, *duces Galli*, educentes *inde... ferme, supra parvæ... ostendere*. Quæ lectio ipsi admodum place-

onera trajicerentur. Hispani sine ulla mole[3], in utres vestimentis conjectis, ipsi cetris suppositis[4] incubantes, flumen tranavere. Et alius exercitus, ratibus junctis trajectus, castris prope flumen positis, nocturno itinere atque operis labore fessus, quiete unius diei reficitur, intento duce ad consilium opportune exsequendum. Postero die profecti ex loco edito fumo significant, se transisse[5], et haud procul abesse. Quod ubi accepit Hannibal, ne tempori deesset[6], dat signum ad trajiciendum. Jam paratas aptatasque habebat pedes lintres: equites fere propter equos nantes navium agmen, ad excipiendum adversi impetum fluminis, parte superiore transmittens, tranquillitatem infra trajicientibus lintribus præbebat. Equorum pars magna nantes loris a puppibus trahebantur, præter eos, quos instructos frenatosque, ut extemplo egresso in ripam equiti usui essent, imposuerant in naves.

XXVIII. Galli occursant in ripam[1] cum variis ululatibus cantuque[2] moris sui, quatientes scuta super

ret, « nisi, inquit, critica juberet, testatiora præferri venustis. » Ed.

3. *Sine ulla mole*, difficultate. Cf. ad I, 38, n. 4.

4. *Cetris suppositis;* vide ad c. 21, not. 6.

5. *Ex loco edito fumo significant se transisse:* sic et Polyb. III, 43, non vero *ex loco edito:* nam ita scripsi, suadentibus Cler. et Str. pro: *profecti ex loco, prodito fumo s. s. t.* In uno MSS est *ex loco debito:* et *propinquo fumo* conj. Gron.

6. *Ne tempori deesset;* vide ad III, 46, n. 3. — *Navium agmen*, majora navigia, οἱ λέμβοι, *transmittens equites* iis impositos, *propter* (prope, juxta, *neben*, ut IX, 2; XXV, 23; XXVI, 8; XXVIII, 46; XXXIV, 32; XLIV, 3, et aliis locis, quæ laudavit Drak. ad Ep. Liv. XLIX) *equos nantes, parte superiore, ad excipiendum* frangendumque tum equis, tum lembis, *adversi impetum fluminis, præbebat tranquillitatem lintribus infra t.*, quæ lintres, τὰ λεπτὰ τῶν πορθμείων, vel τὰ μονόξυλα πλοῖα, ita facilius tutiusque transmitti poterant. Confer Polyb. III, 43, qui etiam *equos nantes e puppibus* lemborum, et ex utroque earum latere *loris tractos* dicit; ut mox Livius: *Equorum pars magna nantes* (conf. ad I, 41, n. 1), quæ verba suspecta reddunt superiora *propter equos nantes.*

Cap. XXVIII. 1. *Galli occursant in ripam;* Gron. Sed et *quo* et *ubi* occursarint, quæri dicique potest; Bauer.

2. *Cum variis ululatibus cantuque,*

capita, vibrantesque dextris tela : quanquam et ex adverso terrebat tanta vis navium cum ingenti sono fluminis, et clamore vario nautarum et militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, et qui ex altera ripa trajicientes suos hortabantur [3]. Jam satis paventes adverso tumultu [4] terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis. Mox et ipse aderat [5], ancepsque terror circumstabat, et e navibus tanta vi armatorum in terram evadente, et ab tergo improvisa premente acie. Galli, postquam, utroque vim facere conati [6], pellebantur, qua patere visum maxime iter, perrumpunt, trepidique in vicos passim suos diffugiunt. Hannibal, cæteris copiis per otium trajectis, spernens jam gallicos tumultus, castra locat. Elephantorum trajiciendorum varia consilia fuisse credo : certe variata memoria [7] actæ rei. Quidam, con-

confer Polyb. III, 43, et vide ad X, 26, not. 8. — *Quatientes scuta super capita;* confer XXXVIII, 17, et ad Sil. III, 346, 348.

3. *Qui ex altera ripa t. suos hortabantur*, postquam duce Hannone jam fluvium trajecerant.

4. *Adverso tumultu*, qui ex adverso, vel in conspectu, et ante oculos erat, ut contra *clamor ab tergo*. Similiter *adversa vulnera* et al., quibus *aversa* opponuntur. Conf. ad II, 23, n. 5.

5. *Mox et ipse aderat* Hanno. « Sed *et ipse* castra ceperat. Cur ergo additur *ipse?* Forte leg. *ipsis*, scil. Gallis: sicut castra eorum ceperat, ita nunc ipsos, in ripa stantes, aggrediebatur; » Bauer. Confer ad V, 43, n. 5. — Adversus Bauerum *Büttner* Observ. pag. 52, *ipse* defendit. Nihil enim mutato opus est; quippe *clamor* et *Hanno* contraria videri debent, in hanc sententiam : « Primum *clamor* pervenit ad Gallos ab Hannone castra capiente, mox *ipse* quoque advenit. » Confer XXVII, 32; XXXI, 21; XLIV, 45. Ed. — *Anceps terror*, v. I, 25, n. 4.

6. *Utroque vim facere conati* (in eos, qui jam transierant cum Hannone Rhodanum, quique nunc transibant) e MSS Cantabr. et Crev. recepi cum Stroth. suadente Jac. Gron. pro vulg. *ultro vim f. c.* In MSS Flor. *utroque*. Bauer. et Duk. jungunt *ultro pellebantur*, et ille *ultro* accipit pro *ipsi*, vel ita, ut et notio *insuper* in eo lateat (non modo vim facere non poterant, sed insuper, ipsi quoque, e contrario pellebantur); hic pro *insuper*, non exspectantes, ut V, 37, not. 1, et apud Suet. Tib. 11. Confer supr. ad I, 5, n. 6. Contra Drak. *ultro vim facere* dici h. l. monet, qui hostem primi aggrediantur.

7. *Certe variata* varie exposita, varia et diversa est (confer ad I, 43,

gregatis ad ripam elephantis, tradunt, ferocissimum ex iis, irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem, ut quemque timentem altitudinem destituerat vadum, impetu ipso fluminis in alteram ripam rapiente. Cæterum magis constat, ratibus trajectos [8]. Id ut tutius consilium ante rem foret, ita, acta re, ad fidem pronius est. Ratem unam, ducentos longam pedes [9], quinquaginta latam, a terra in amnem porrexerunt: quam, ne secunda aqua deferretur, pluribus validis retinaculis parte superiore ripæ religatam, pontis in modum humo injecta constraverunt, ut belluæ audacter velut per solum ingrederentur. Altera ratis, æque lata, longa

n. 20), *memoria*, narratio, historia, *actæ rei*. Similiter XXVII, 27, n. 6. *Quæ variant auctores*, hoc est varie tradunt. — *Ferocissimum ex iis, quum rectorem* suum, a quo *irritatus* fuerat, *in aquam refugientem*, et ibi *nantem* (sed τὸ *nantem* est potius glossa) persequeretur, reliquum post se elephantorum *gregem traxisse*, effecisse, ut sequeretur, ita ut, prouti cuique, *altitudinem* aquæ reformidanti, *vadum*, quo pedes figeret, recesserat, eum *ipse fluminis impetus in alteram ripam* sponte *raperet*; Doer. Id non satis patet, quum potius verisimile sit, eos hoc impetu secundo flumine delatos esse; Stroth. Sed cogita impetum fluminis navium equorumque agmine fractum, et ad ripam ulteriorem impulsum. Verba autem *quemque timentem altitudinem* non satis eleganter dicta videntur; et pro *nantem* cum Bauero forte leg. *nando*, vel *nans*: etsi participia sæpe ἀσυνδέτως junguntur, quod monet Schæfer. — Walchius tamen, Emend. pag. 82, dubitat an jungi liceat ἀσυνδέτως duo præsentis participia, quorum alterum designet rem infectam, alterum perfectam; conjicitque *nando insequeretur*. Ex adversa parte stat *Büttner*, Observ. p. 53, et vulgatam acriter defendit, coll. II, 48; sensus est: qui refugium quærens in aquam natabat. Ed.

8. *Cæterum magis constat, ratibus trajectos* esse elephantos, etc; eamque rationem solam, sed non eodem modo, tradit Polyb. III, 46. — *Ut*, quemadmodum, *id consilium tutius foret*, non tum, quum Hannibal id ageret, sed omnino, si quis alius tale quid moliretur; Bauer. — *Ad fidem pronius est*, facilius ad credendum, vel ad probabilitatem propius accedit, ut Cic. Natura Deor. III, 40, et Div. I, 5, dicit, *ad veritatis similitudinem propensius est*.

9. *Ratem unam CC longam pedes*, δύο πλέθρα apud Polyb. III, 46, qui pro 2 ratibus memorat 3 pontes ex ratibus junctos. — *Per solum*; « Forte leg. *per solidum*, et mox *transgressi essent*, nisi confudit tempora, ut in simili re Thucyd. II, 34; ubi et, quid tum in sepeliendis militibus factum, et universe ac semper factum sit, mix-

pedes centum, ad trajiciendum flumen apta, huic copulata est: et quum elephanti, per stabilem ratem, tanquam viam, prægredientibus feminis, acti, in minorem applicatam transgressi sunt; extemplo resolutis, quibus leviter adnexa erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus[10] ad alteram ripam pertrahitur: ita primis expositis, alii deinde repetiti ac trajecti sunt. Nihil sane trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur: primus erat pavor, quum, soluta ab cæteris rate[11], in altum raperentur. Ibi, urgentes inter se, cedentibus extremis ab aqua, trepidationis aliquantum edebant; donec quietem ipse timor[12] circumspectantibus aquam fecisset. Excidere etiam sævientes quidam in flumen; sed, pondere ipso stabiles, dejectis rectoribus, quærendis pedetentim vadis, in terram evasere.

XXIX. Dum elephanti trajiciuntur, interim Han-

tis temporibus narrat. Loquitur, ac si rem omnino, ut fieri soleat, non, ut tum gerebatur, describat, et tamen reliqua tempora *adnexa erat*, etc., aliud suadent; » Bauer.

10. *Actuariis aliquot navibus*, h. e. quæ simul velis remisque aguntur, aut quæ facile remis poterant *agi* (v. Non.), et vel majores erant, vel minores. Vid. Scheffer. de Re nav. II, 2. — *Repetiti*, post alios petiti, *nachgeholt;* Bauer.

11. *Soluta ab cæteris rate:* « a quibusnam? A cæterisne elephantis? Non patitur voc. *soluta*. Ab hominibus ergo; etsi alios non posuit: qui tamen in verbis prioribus subintelliguntur, quæ ab aliis acta exponant. An *a certis*, scil. hominibus, quibus id datum negotii esset? Utrumque otiosum videtur. An *soluta altera rate* legimus?» Bauer. Si Polyb. III, 46, contuleris, probabile fit, non in his verbis, sed in superioribus vitia latere, et legendum esse: *et quum elephanti, per stabiles rates* (illas duas), *tanquam viam, p. f., acti, in* (duas) *minores applicatas* (non stabiles, sed mobiles, firmiter quidem inter se colligatas, ad *cæteras* vero, sive duas stabiles, ita, ut *vincula, quibus leviter iis essent annexæ, extemplo resolvi possent*) *transgressi sunt*, etc. Forte et Livius per errorem, aut alios sequutus auctores, unam tantum ratem fuisse mobilem putavit, ideoque dixit *minorem applicatam*, et deinde *soluta rate ab cæteris*, duabus stabilibus. — *In altum* h. l. de fluvio, proprie de mari. — *Aliquantum edebant* junge. — Creverius legit *trepidationem aliq.* quod multis exemplis tuentur viri docti, a Dukero laudati ad Liv. I, 16, n. 8: sed vulgata apud nostrum multo frequentius, immo semper occurrit. Ed.

12. *Donec quietem ipse timor fecisset*, fecisset, ut quiescerent, quieti consisterent; Doer. — *Stabiles;* vide ad cap. 5, n. 10.

nibal numidas equites quingentos ad castra romana miserat speculatum, ubi et quantæ copiæ essent, et quid pararent. Huic alæ equitum missi, ut ante dictum est[1], ab ostio Rhodani trecenti Romanorum equites occurrunt. Prælium atrocius, quam pro numero pugnantium, editur. Nam præter multa vulnera cædes etiam prope par utrimque fuit: fugaque et pavor Numidarum Romanis, jam admodum fessis, victoriam dedit. Victores ad centum sexaginta[2], nec omnes Romani, sed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. Hoc principium simul omenque belli, ut summæ rerum prosperum eventum[3], ita haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam, Romanis portendit. Ut, re ita gesta, ad utrumque ducem sui redierunt, nec Scipioni stare sententia poterat[4], nisi ut ex consiliis cœptisque hostis et ipse conatus caperet; et Hannibalem incertum, utrum cœptum in Italiam intenderet iter[5], an cum eo, qui primus se obtulisset romanus exercitus, manus consereret, avertit a præsenti certamine Boiorum legatorum regulique Magali adventus[6]; qui se duces itinerum, socios pe-

Cap. XXIX. 1. *Ut ante dictum est*, cap. 26. — *Prælium atrocius quam pro numero*, etc.; v. ad VII, 33, n. 2.

2. *Victores ad CLX*, immo CXL. Conf. Polyb. III, 45. — *Victi amplius ducenti;* vide ad III, 64, not. 5. — Vulgo editur *ducentis;* sed nostram lectionem habent duo scripti Gronov. inspecti, Mureti liber, unus Hearnii codex, et tres nostri. Et sic passim Liv.: subintelligitur enim τὸ *quam*. Ed.

3. *Summæ rerum prosperum eventum;* vide ad III, 5, n. 6.

4. *Nec* (et non) *Scipioni stare sententia poterat;* vide ad IV, 13, n. 6. Post *sententia* excidisse voculam *alia*, sensumque esse : nec in alia nunc Scipio acquiescere poterat sententia; putat Doer. Sufficit vocem *alia* suppleri ob seq. *Nisi ut*, et *stare* hoc sensu quidem dicitur (vide ad III, 36, n. 11), non vero *stat mihi sententia*.

5. *Cœptum in Italiam intenderet iter;* vide ad IV, 19, n. 1.

6. *Boiorum legatorum regulique Magali adventus* ex Gallia circumpadana, *qui*, etc.; conf. Polyb. III, 44. Is *Magilon* vocat : sed literæ *a* et *i* commutantur sæpe in barbaricis nominibus, ut *Masinissa* et *Masanissa* (vel *Massanissa* et *Massanassa*, seu *Masanâssa;* vide ad Sil. XVI, 117).

riculi fore, affirmantes, integro bello[7], nusquam ante libatis viribus, Italiam aggrediendam censent. Multitudo timebat quidem hostem, nondum obliterata memoria superioris belli: sed magis iter immensum Alpesque[8], rem fama utique inexpertis horrendam, metuebat.

XXX. Itaque Hannibal, postquam ipsi sententia stetit[1] pergere ire, atque Italiam petere, advocata concione, varie militum versat animos[2] castigando adhortandoque. *Mirari se, quinam pectora semper impavida repens terror invaserit. Per tot annos vincentes eos stipendia facere; neque ante Hispania excessisse, quam omnes gentesque et terræ eæ, quas duo diversa maria*[3] *amplectantur, Carthaginiensium essent. Indignatos deinde, quod, quicumque Saguntum obsedissent, velut ob noxam, sibi dedi postularet populus romanus, Iberum trajecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum*[4]. *Tum nemini visum id longum, quum ab occasu solis ad exortus intenderent iter. Nunc, postquam multo majorem partem itineris emensam cernant, Pyrenæum saltum inter ferocissimas gentes superatum, Rhodanum, tantum amnem, tot millibus Gallorum prohi-*

*Mithridates* et *Mithradates*, Ἀνδοβάλης et *Indibilis*, *Hampsicora* et *Hampsacoras*, Κατάνη et *Catina*; Gr. *Matali* et *Macoli* h. l. plerique MSS.

7. *Integro bello* (vide ad II, 5, n. 1), *nusquam ante libatis viribus*, imminutis prælio, vel tentatis. — *Multitudo*, milites Hannibalis.

8. *Iter immensum Alpesque*, iter i. trans Alpes, *rem fama*, ob famam, propter ea, quæ de Alpibus, hujusque itineris difficultatibus narrando audita erant, *utique* (vide ad II, 30, n. 1) *inexpertis*, iis, qui hæc nondum experti fuerant, *horrendam*. Confer Sil. III, 477 seq.

Cap. XXX. 1. *Ipsi sententia stetit*; vide ad IV, 13, n. 6.

2. *Varie militum versat animos c. a.*; vide ad II, 45, n. 6. Conf. similis oratio Hannibalis ap. Polyb. III, 44, et Sil. III, 503 seq.

3. *Duo diversa maria*, Mediterr. et Oceanus; Doer.

4. *Liberandumque orbem terrarum*, scilicet servitute, qua eum opprimere cupiant Romani. — *Ab occasu solis ad exortus* (al. *ortum*; forte *exortum*)

*bentibus, domita etiam ipsius fluminis vi, trajectum, in conspectu Alpes habeant, quarum alterum latus Italiæ sit* [5]*; in ipsis portis hostium* [6] *fatigatos subsistere: quid Alpes aliud esse credentes, quam montium altitudines? Fingerent altiores Pyrenæi jugis. Nullas profecto terras cœlum contingere, nec inexsuperabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes. Pervias paucis esse* [7]*; exercitibus invias? Eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sublime elatos Alpes transgressos: ne majores quidem eorum indigenas; sed advenas Italiæ cultores has ipsas Alpes ingentibus sæpe agminibus cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tuto transmisisse. Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, quid invium aut inexsuperabile esse? Saguntum ut caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse?*

*intenderent iter;* vide ad IV, 19, n. 1.

5. *Quarum* (Alpium) *alterum latus Italiæ sit*, scil. latus, sive pars sit, et ad eam pertineat, ut cap. 49. *Naves, cujus ipsi classis essent;* Gron. Similiter XXVIII, 8, *quod suorum fuisse finium satis probabant;* XXXVII, 55, *ea civitatis Rhodiorum essent* (ei subjecta essent, seu parerent); XXI, 11, n. 8, et XXII, 20 pr. *Terra hostium erat*, ab iis occupata; XXII, 20 ext. *ditionis imperiique romani facti sunt;* XXII, 54, n. 6; XXIII, 35, n. 1, *Hannibalis Apuliam factam.* Confer XXIII, 27, n. 5; ad III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5.

6. *In ipsis portis hostium*, in aditu, seu finibus Italiæ, terræ hostilis, ut al. *in limine* vel *in vestibulo*, v. c. *castrorum* XXV, 17; *urbis* XXXVI, 22. *Siciliæ* apud Cic. Verr. V, 67.

7. *Pervias paucis esse:* nam modo *legatos* Boiorum (vide cap. 29 extr.) *Alpes transgressos.* Easdem vero *exercitibus invias* existimari? Respondet orator: Gallorum *ingentia sæpe agmina Alpes tuto transmisisse* (confer V, 34, 35), et *militi armato nihil invium, aut exsuperabile esse.* Orator a minori ad majus progreditur, et dubia, nude posita, exemplis refutat. Oratoria autem vis et affectus augetur interrogatione, minuiturque, si ex emend. Stroth. legeris *pervias paucis esse, nec exercitibus invias.* Vox tamen *invias* primum adjecta in ed. Mediol. unde Gron. conj. *pervias paucis esse; non exercitibus?* — *Legatos non pennis* in *sublime elatos*, forte *sublimes;* Ern. Malim *sublime latos;* Schæf. Confer Schelleri Obss. pag. 193. — *Ingentibus sæpe agminibus.* Quoties Galli Alpes ante hoc tempus superaverint vid. supra ad lib. V, 34, et Polyb. II. Ed.

*Romam, orbis terrarum caput*[8], *petentibus quidquam adeo asperum atque arduum videri, quod incœptum moretur? Cepisse quondam Gallos ea, quæ adiri posse Pœnus desperet*[9]. *Proinde, aut cederent animo atque virtute genti, per eos dies toties ab se victæ; aut itineris finem sperent campum interjacentem Tiberi ac mœnibus romanis.*

XXXI. His adhortationibus incitatos corpora curare, atque ad iter se parare jubet. Postero die, profectus adversa ripa[1] Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non quia rectior ad Alpes via esset, sed, quantum a mari recessisset, minus obvium fore[2] Romanum credens: cum quo, prius quam in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere. Quartis castris ad Insulam pervenit[3]: ibi Isara Rhodanusque amnes,

8. *Romam, orbis terrarum caput:* prolepsis, haud bene conveniens Hannibali; Stroth. A decoro illa laudatio abit, et magis a vero; Ruben. Elect. I, 25. Sed orator potius magna arte rem primum auget, ut, quantum ex *incœpto* hoc gloriæ redundet ad Pœnos, appareat; mox vero minuit (*cepisse quondam Gallos*, etc.), ne animus militum frangatur.

9. *Ea, quæ adiri posse Pœnus desperet;* h. e. Romam, ut ap. Cic. Cat. IV, 4, *qui hæc delere conati sunt;* Str. — *Genti* (Gallis) *per eos dies toties ab se victæ;* vide cap. 23-28. — *Campum* Martium.

Cap. XXXI. 1. *Profectus adversa ripa* (vid. ad XXI, 27, n. 2) *Rhodani,* potius Isaræ. Conf. ad cap. hoc et sq. Polyb. III, 49, 50, ibique Schweigh.

2. *Minus obvium fore* (vide ad I, 40, n. 1) *Romanum credens,* hoc est, quia crederet: nam in partic. latet vis causalitatis; Stroth. — Plurimi habent *minus obviam;* sed nostra lectio concinnior MSS nititur, et in quibusdam nostris Regg. invenitur; quare perplacet. Ed.

3. *Quartis castris ad Insulam pervenit,* ubi hodie est Lugdunum, et *Arar* (hodie *Saone*) *Rhodanusque confluunt:* sed Hannibal, qui transiisse Rhodanum videtur paululum infra Avenionem, inde vix *quartis castris* ad Lugdunum pervenire potuit; Str. Ego pro vulg. *Arar* reposui *Isara* (qui fluvius fines *Allobrogum* præterlabitur (confer not. 5), et infra Viennam urbem miscetur Rhodano: unde, ni fallor, est hodie *Isère,* non *Oise,* qui amnis in Sequanam influit) re ita postulante, et suadentibus Jac. Gron., Cluvero Ital. ant. I, 33, pag. 363-8. Mandajorso in Actis Acad. Paris. eleg. lit. tom. III, pag. 93 seq.; tom. V, pag. 198 seq.; Schweigh. ad Polyb. III, 49, not. 6; XXX, 50, not. 1, et Matthiæ in Obss. ad Livii lib. XXI, qui docet, regionem designari, quæ a meridie Isara, a septemtr. Rhodano,

diversis ex Alpibus [4] decurrentes, agri aliquantum amplexi, confluunt in unum: inde mediis campis Insulæ nomen inditum. Incolunt prope Allobroges [5], gens jam inde nulla gallica gente opibus aut fama inferior; tum discors erat: regni certamine ambigebant [6] fratres: major, et qui prius imperitarat, Brancus nomine, minore ab fratre et cœtu juniorum, qui jure minus, vi plus poterant, pellebatur. Hujus seditionis peropportuna disceptatio quum ad Hannibalem rejecta [7] esset, arbiter regni factus, quod ea senatus principumque sententia fuerat, imperium majori restituit. Ob id meritum commeatu copiaque rerum omnium, maxime vestis, est adjutus, quam infames frigoribus Alpes præparari cogebant. Sedatis certaminibus Allobrogum,

et ab oriente Alpibus cincta sit. Iidem viri docti plures difficultates, quibus narratio Liv. in hoc et seq. cap. premitur, removere conati sunt.

4. *Diversis ex Alpibus*, ex diversis Alpium partibus, *decurrentes confluunt in unum* locum: quæ *divortia* (forte *devortia*; vide ad I, 51, n. 2) *aquarum* dicuntur XXXVIII, 45. Jugum montis, seu fons aquarum fluminumque, quæ inde decurrentia dividuntur in brachia. Similiter *divortium itinerum* XLIV, 2, n. 4. Confer Drak. ad XXXVIII, 45, n. 3; Oudend. ad Luc. II, 404; Cerda ad Virg. Æn. IX, 379; Manut. ad Cic. ad Att. V, 20. *Arar* ex Vogeso oritur, quæ Alpium pars habetur. Confer Strab. IV, 186. — *Agri aliquantum*, al. *aliquantulum*. Confer ad II, 39, n. 1. Mox *inde* ante *mediis* inserui auctore Jac. Gron., quia in multis MSS est *in mediis*.

5. *Incolunt prope* (conf. ad I, 1, n. 3) *Allobroges*, populus Galliæ Narbonensis, a lacu Lemano ad Isaram Rhodani accola, cujus oppida erant Geneva, Cularo (h. *Grenoble*) et Vienna. *Gens...gente*, vide I, 3, not. 8. — *Jam inde*, jam tum, ut I, 2, et III, n. 36. Ita Stroth. perperam, ni fallor, impr. h. l. ob verba seq. *tum discors erat*. Forte leg. *jam diu*, vel *inde* loco motum, et supra ante *mediis* ponendum. Confer not. 4.

6. *Regni certamine ambigebant* (ut *de regno ambigere*, h. e. certare, XL, 15, n. 3; confer ad XXI, 10, n. 11, et XXXV, 33, n. 2.) *Fratres*, etc.; cf. Polyb. III, 49, n. 50. Ubi Schweigh. jam monuit, Polybium satis diserte ab Allobrogibus eos distinguere; credi tamen posse, varias fuisse Allobrogum gentes. Mox *poterat* in omnibus fere MSS omnibusque edd. ante Drakenb. prob. Stroth. ut ad remotius *fratre* referatur. Confer ad III, 72, n. 3.

7. *Disceptatio ad Hannibalem rejecta*; vide ad II, 22, n. 4. — *Quod ea senat. sent. fuerat*. Ante Gronovium legebatur: *quod erat senatus sententia futurum*; sed ille ex optimorum codd. auctoritate nostram le-

quum jam Alpes peteret, non recta regione[8] iter instituit, sed ad lævam in Tricastinos flexit[9]: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud usquam impedita via, priusquam ad Druentiam flumen pervenit. Is et ipse alpinus amnis[10] longe omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est: nam quum aquæ vim vehat ingentem, non tamen navium patiens est: quia nullis coercitus ripis, pluribus simul, neque iisdem alveis fluens, nova semper vada novosque gurgites (et ob eadem pediti quoque incerta via est), ad hæc saxa glareosa[11] volvens, nihil stabile, nec tutum ingredienti præbet; et tum, forte

ctionem protulit, quam recepere Crev. et Drakenb. Ed.

8. *Recta regione*, recta regionis vel per regionem hanc via, ut *recto flumine* apud Virg. Æn. VIII, 57, et al.

9. *Ad lævam in Tricastinos flexit*, etc., quod iter haud memorat Polyb., at Sil. III, 466 seq., et Ammian. XV, 28. Livius regionem designat, quæ non Hannibali, sed sibi, aut cuivis Italo *ad lævam* esset: mos est enim historicis, ut nonnunquam dextram sinistramque non ab hostium parte, sed a sua designent; Stroth. coll. cap. 5 (ubi vid. not. 2), lib. XXVII, 48, et Tac. Ann. II, 8. *A læva* emend Lips. in Epist. ad Belgas I, 93, ut Rhodanum non iterum transierit, sed ad lævam reliquerit, et ab eo flexerit in Tricastinos. Idem, vel *ad dextram*, leg. putabat Drak. *Tricastini, Vocontii*, seu Vocuntii et *Tricorii* (vide Strab. IV, pag. 185, et 203) inter Rhodanum et *Druentiam* (hodie *Durance*), in Delphinatu, habitabant. — *Tetendit*; v. ad IV, 19, n. 1.

10. *Is et ipse Alpinus amnis*, in Alpibus oriundus (in *Mont Genèvre*) æque ac Isara, Arar et Rhodanus, qui propior ostiis, inter Avenionem et Arelate, Druentiam recipit, et inde, quod non minus rapidus (ῥοδανὸς) est, nomen accepit. — *Difficillimus transitu*, etc.; conf. Sil. III, 468 seq. Non nisi ad Cabellionem (hod. *Cavaillon*) *navium patiens est*. — *Nullis ripis*, nisi valde planis et tenuibus. — *Neque iisdem alveis*; conf. seqq. Mox *faciens* post *gurgites* addunt edd. Mediol. et seqq.; sed verbum *volvens* ad omnia sufficit, et *vada ad gurgites volvere* bene dicitur amnis, qui volvendo arenas facit vada hac, illac gurgites; Gron.

11. *Saxa glareosa*: al. *glomerosa* et *globosa*, ut XXXVIII, 29. *Glareasve*, aut *glareasque* conj. Gr. haud improb. Drak. Non satis intelligi potest, quomodo *saxa* dicantur *glareosa* (*kiesicht*), nisi intelligas, vel in saxorum modum ac magnitudinem compactam temere glaream (*Kies*), vel saxa minutiora ad lapillorum vel glareæ modum; Stroth. Confer ad XLI, 27, n. 7. — Glaream Stephanus definit minutissimos lapillos qui in fluviorum ripis, vel maris littoribus reperiuntur; aut potius terram fabulosam

imbribus auctus, ingentem transgredientibus tumultum fecit[12], quum super cætera trepidatione ipsi sua atque incertis clamoribus turbarentur.

XXXII. P. Cornelius consul triduo fere post, quam Hannibal ab ripa Rhodani movit, quadrato[1] agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus: cæterum, ubi deserta munimenta, nec facile se tantum prægressos assequuturum videt; ad mare ac naves rediit, tutius faciliusque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurus. Ne tamen nuda auxiliis romanis Hispania esset, quam provinciam sortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum adversus Hasdrubalem misit; non ad tuendos tantummodo veteres socios, conciliandosque novos, sed etiam ad pellendum Hispania Hasdrubalem. Ipse cum admodum exiguis copiis Genuam repetit[2], eo, qui circa Padum erat, exercitu[3] Italiam defensurus. Hannibal ab Druentia campestri maxime itinere ad Alpes cum bona pace incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, quanquam fama prius (qua incerta in majus vero ferri solent) præcepta res erat[4], tamen ex propinquo visa montium altitudo[5], nivesque cælo prope immixtæ, tecta informia imposita rupibus, pe-

hujusmodi minutis lapidibus plenam. Edit.

12. *Tumultum fecit*, confusionem animorum et perturbationem, ut cap. 48 pr.; Doer. Cf. ad XXI, 16, n. 5.

Cap. XXXII. 1. *Quadrato agmine;* vid. ad II, 6, n. 3. — *Prægressos.* Sic dedit Gronov. magis proprie et eleganter, quam, quod legebatur antea, *progressos.* Ed.

2. *Repetit Genuam*, quod Ligurum emporium forte appulerat, quum oram Ligurum præternavigaret. Vid. c. 26.

3. *Eo, qui circa Padum erat, exercitu*, cui L. Manlius et C. Atilius prætores præerant. Vide cap. 25, 26, et ad cap. 39, n. 3. Mox verba *ad Alpes* in omnibus edd. ante Stroth., et plerisque MSS perperam post illa *cum bona pace*, sed in 2 optimis MSS ante ea leguntur.

4. *Tum quanquam fama prius præcepta res erat;* vide ad VII, 26, n. 5. *Prius* redundat, aut sign. ante quam eo venissent; Bauer. Confer ad IX, 23, n. 1. — *Incerta in majus vero ferri;* vide ad IV, 1, n. 6.

5. *Montium altitudo*, etc.; confer

cora jumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaliaque omnia rigentia gelu, cætera visu, quam dictu, fœdiora, terrorem renovarunt. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani; qui, si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stragemque dedissent. Hannibal consistere signa jubet; Gallisque ad visenda loca præmissis[6], postquam comperit, transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia præruptaque, quam extentissima potest valle, locat. Tum per eosdem Gallos, haud sane multum lingua moribusque abhorrentes, quum se immiscuissent colloquiis montanorum, edoctus interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta; luce prima subiit tumulos, ut ex aperto[7] atque interdiu vim per angustias facturus. Die deinde simulando aliud, quam quod parabatur, consumpto, quum eodem, quo constiterant, loco castra communissent, ubi primum degressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus igni-

Sil. III, 477 seq. — *Montium*, Alpium, quarum plures sunt partes. — *Jumenta torrida frigore*, ut cap. 40 extr. *Præusti (halberfrorne) artus, membra torrida gelu;* XL, 45 pr. *Hiems arbores deusserat;* apud Plin. III, 20, *Præustis in transitu Alpium nive membris*, et passim *uri, aduri, amburi, torreri*, καίεσθαι, ἀποκαίεσθαι, etc., de frigore, plantas cutemque hominis amburente, vel macerante et lædente. Cf. ad Tacit. Ann. XIII, 35, n. 5, et Sil. IV, 68. Mox *inanimaliaque* e MSS et priscis edd. restitui; *inanimaque* edd. Mediol. et seqq. ex emend. Vallæ; *inanimataque* conj. Gron. et *inanimantiaque* Drak.

6. *Gallisque ad visenda loca præmissis*, legatis Boiorum, qui se hujus itineris duces fore professi fuerant; Sigon. Conf. cap. 29. — *Transitum ea*, scil. parte *non esse;* vide ad III, 70, n. 2. — *Confragosa omnia;* vide ad V, 26, n. 1.

7. *Ex aperto*, ut *in aperto* I, 33; XXII, 4; XXIII, 46; XXXVI, 17, *locis apertis*. XXXIII, 7; XXXIV, 46; ἐν καθαρῷ apud Hom. Il. VIII, 491; ἐμφανῶς ap. Polyb. III, 50, 8; quibus cf. totum h. l. Sic et *campi aperti* XXXVIII, 41, qui XXIV, 14, n. 4, dicuntur *puri* (sine silvis, virgultis collibusque) *ac patentes*, XXVII, 18; *plani*, XXII, 24, n. 40; *planum*, et al. *æqui campi* vel *æquum*. Confer ad V, 38, n. 4. — *Vim*, al. *viam*. Mox

bus, quam pro numero manentium, in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, et maxima parte peditum, ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro[8], raptim angustias evadit; iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit.

XXXIII. Prima deinde luce castra mota, et agmen reliquum incedere cœpit. Jam montani signo dato ex castellis[1] ad stationem solitam conveniebant; quum repente conspiciunt alios, arce occupata sua, super caput imminentes, alios via transire hostes. Utraque simul objecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit[2]. Deinde ut trepidationem in angustiis, suoque ipsum tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quidquid adjecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, perversis[3] rupibus

*constiterant* et *communissent*, scilicet Pœni, et *sensit* Hannibal. Al. *constiterat* et *communisset*, forte rectius.

8. *Cum expeditis, acerrimo quoque viro;* vide ad I, 7, n. 6. — *Angustias evadit*, ut XXXVIII, 2. *Ex* iis *vadit*, exit, elabitur, apud Polybium, l. l. διῆλθε τὰ ςενὰ, et cap. 51, δύνυε τὰς δυσχωρίας.

Cap. XXXIII. 1. *Ex castellis* (vide ad V, 5, 2) *ad stationem solitam*, ad saltum. — *Arce sua* junge; *sua super capita* conj. Sigon., et, ne τὸ *sua* redundet, *arce summa*, vel *subito* Bauer. Sed *arce sua* eodem sensu dictum, quo supra *statio solita*, et *saltus* in *tumulis*, quem Galli *interdiu obsidere* solebant. — *Via*, forte *infra;* Gron. intell. e superioribus *via per angustias*.

2. *Immobiles parumper eos defixit*, eleganter exprimit imaginem hominum, præ stupore, statuarum instar, sine omni motu in uno eodemque loco stantium; Doer.; vide ad III, 47, n. 9. Ad seq. conf. Polyb. III, 51.

3. *Perversis* (in) *rupibus*, in inviis, *juxta* (vide ad V, 6, n. 3) per *invia discurrunt*, ut *assueti*, nisi malis *ad* vel *in* (quæ præpos. excidisse videtur) *invia ac devia* loca *assueti, discurrunt;* vel potius *perversis rupibus decurrunt*, quod quidam MSS habent. *Perversis rupibus*, infestis, incommodis, ut ap. Sen. de Ira I, 16. *Perversa induenda magistratui vestis* (cf. Cerda ad Virg. Æn. VII, 584), aut potius transversis seu obliquis, ut cap. 34 : *occursantes per obliqua montani;* Stroth. *Perversis* inepta et vere perversa lectio; Doer. *Per transversæ rupis juxta invia ac devia* conj. Gron., et *percursis*, vel potius *transversis;* Bauer. Forte leg. *præcelsis rupibus*, vel *satis ad perniciem fore rati perculsis, rupibus... decurrunt*. — Longa est hoc loco Walchii disputatio, Emend. pag. 12, qui tandem concludit monendo non dubitandum esse quin Livius scripserit : « *diversi* rupibus, juxta *invio* ac *devio* adsueti, decurrunt. « Sed hanc conje-

juxta invia ac devia assueti discurrunt. Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur; plusque inter ipsos (sibi quoque tendente[4], ut periculo prius evaderet), quam cum hostibus, certaminis erat. Equi maxime infestum agmen faciebant[5], qui et clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant, et icti forte aut vulnerati adeo consternabantur, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent: multosque[6] turba, quum præcipites deruptæque utrimque angustiæ essent, in immensum altitudinis dejecit, quosdam et armatos: sed ruinæ maximæ modo[7] jumenta cum oneribus devolvebantur. Quæ quanquam fœda visu erant, stetit parumper tamen Hannibal, ac suos continuit, ne tumultum ac trepidationem augeret. Deinde postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequidquam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco; et, quum impetu ipso fudisset hostem, suis quoque tumultum

cturam non recipit *Büttner*, Observ. pag. 55; eamque sic emendat: « *diversi*, seu *per diversa* (ex) rupibus, juxta *in* invia ac devia adsueti, decurrunt; » aut etiam: « juxta devia ac invia, adsueti decurrunt; » id est, per diversas partes, juxta invias ac devias. Locus sane intellectu difficillimus, etsi *perversis* referas ad ipsos hostes. Ed.

4. *Sibi* (pro se, *für sich*, *für seine Person*) *quoque tendente*, *ut periculo* (*periculum* in uno MS) *prius* (f. *prior*) *evaderet*; conf. ad librum IV, cap. 7, n. 6.

5. *Infestum agmen faciebant*; vide ad I, 7, n. 7. — *Repercussæ valles*, i. e. a quibus, per quas sonus, voces repercuterentur: nisi *repercussæ* est pro simpl. *percussæ*, more fere ejus ætatis; Bauer.

6. *Multosque turba*, turbæ tumultus et perturbatio; Doer. *Multos*, scil. lixas et calones, quibus mox *armati* opponuntur: nam tumultus accidit circa impedimenta; Gron.

7. *Ruinæ maximæ modo*, in modum maximæ ædificiorum ruinæ; Str. Conf. ad IV, 33, n. 5. Sic et *modo* X, 44, n. 2; XXI, 63, n. 11; XXVII, 4, 48; XXVIII, 11; XXIX, 2. *Maxime* conj. Duker. et Bauer., ut sit ferme, pæne, potissimum. Verbum *devolvebantur*, quod in MS Flor. ab alia manu adscriptum est, delere malebat Gronovius, ut omnia a *dejecit* penderent.

auxit. Sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur: nec per otium modo, sed prope silentio, mox omnes traducti. Castellum inde[8], quod caput ejus regionis erat, viculosque circumjectos capit, et captivo frumento ac pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primo perculsis, nec loco magnopere impediebantur, aliquantulum eo triduo viæ confecit.

XXXIV. Perventum inde ad frequentem cultoribus alium[1], ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, sed suis artibus[2], fraude, deinde insidiis est prope circumventus. Magno natu principes castellorum oratores ad Pœnum veniunt; *alienis malis, utili exemplo, doctos,* memorantes, *amicitiam malle, quam*

8. *Castellum inde* (Allobrogum πόλιν apud Polyb.) *viculosque circumjectos capit;* confer ad V, 5, 2. Mox in MSS et primis edd. legitur *et captivo ac pecoribus,* unde Valla et alii reposuere *et captivorum pecoribus;* sed Strothius, quem sequuti sumus, *et captivo frumento ac p.* ex Polyb. III, 51, εἰς δὲ τὸ μέλλον ἔσχε μὲν καὶ σίτου καὶ θρεμμάτων ἐπὶ δυοῖν καὶ τρισὶν ἡμέραις εὐπορίαν. Vulgatam lect. *et captivorum pecoribus* recte damnat Bauer., quærens: quinam illi captivi? aut quorsum attinebat capi, ut pecoribus eorum alerentur milites, quum satis foret, pecora capta esse? Nec tamen placet conjectura ejus *et vicorum p.* Ern. conj. *captivis.* Forte leg. *et raptis eorum pecoribus.* Plura excidisse suspicabatur Gron. quia Polyb. verbis præc. tradiderit, Hannibalem recepisse numerum ingentem equorum, jumentorum hominumque, a montanis adductorum. Idem Gron. non male mox emend. *et quia nec montani prælio perculsi, nec loca m. impediebant.* « Ante *montanis* excidisse videtur *a,* et *impetu* post *primo:* aut illi sunt absoluti ablat., et *primo* sign. statim ab initio; » Bauer. — *Aliquantum viæ;* vide ad II, 39, n. 1.

Cap. XXXIV. 1. *Ad frequentem cultoribus* (vide ad X, 11, n. 3), *ut inter montana* (conf. ad VIII, 30, n. 7) *populum,* δῆμον, pagum. « Aut pleonasmus est *cultorum* a *populo* distinctorum, aut *populus* notat locum, regionem, vicos, hominum genus, aut leg. *locum;* » Bauer. — Non video cur vir doctus hoc loco hæserit; nam planus est sensus; *populus* significat hominum congregationem, quæ utrum sit magna, annon, nihil interest. Hæc igitur natio de qua nunc agitur, frequens erat cultoribus; quasi dicat Livius: populus frequens colebat has montis partes; nam sæpe in montibus occurrunt arva cultissima. Ed.

2. *Sed suis artibus,* h. e. quibus, vel qualibus ipse uti solebat, scil. *fraude,* simulata primum societate et promissis, *deinde insidiis,* ex quibus undique

*vim experiri Pœnorum: itaque obedienter imperata facturos: commeatum, itinerisque duces, et ad fidem promissorum obsides acciperet.* Hannibal nec temere credendo, nec aspernando[3], ne repudiati aperte hostes fierent, benigne quum respondisset, obsidibus, quos dabant, acceptis, et commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus, nequaquam, ut inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti et equites erant: ipse post cum robore peditum, circumspectans sollicitusque omnia[4], incedebat. Ubi in angustiorem viam ex parte altera subjectam jugo insuper imminenti ventum est, undique ex insidiis barbari a fronte, ab tergo coorti, cominus eminus petunt: saxa ingentia in agmen devolvunt: maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa peditum acies haud dubium fecit, quin, nisi firmata extrema agminis[5] fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum est: nam, dum cunctatur Hannibal demittere agmen[6] in angustias,

barbaros mox coortos dicit. Cæterum ad hoc cap. conf. Polyb. III, 52.

3. *Hannibal nec temere credendo, nec aspernando... quum respondisset*, pro *credens* et *aspernatus;* vide ad I, 8, not. 4. — *Obsidibus, quos dabant;* vide ad III, 21, not. 3. — *Nequaquam, ut inter pacatos* (vide ad II, 59, n. 5), *incomposito agmine:* ita multi MSS et edd. antt. ut *nequaquam incomposito* jungantur. Confer Polyb. Vulg. *composito*, eadem sententia, sed durius expressa: *nequaquam duces eorum sequitur, ut inter pacatos*, a quibus nihil metuitur, fieri solet et potest, scil. negligenter, ordinibusque solutis (conf. XXVII, 28), sed *agmine composito*, instructo (ut II, 49 pr.), et ad pugnandum parato, pugnæ magis quam itineri apto. Conf. ad XXIV, 24, n. 2.

4. *Circumspectans sollicitusque omnia;* vide ad I, 25, n. 5. Alii *sollicitus*, quod tum paulo durius positum pro *sollicite... in angustiorem viam*, etc. Φάραγγά τινα δύσβατον καὶ κρημνώδη apud Polyb. — *Jugo insuper imminenti*, desuper, supra eos.

5. *Firmata extrema agminis* (universi exercitus procedentis), et mox *ad extremum periculi;* confer ad II, 56, n. 4.

6. *Agmen demittere in angustias*, ut καθιέναι apud Polyb. III, 70, n. 11; III, 92, n. 7. *Dimittere* in omnibus fere MSS et edd., præter Gron.,

quia non, ut ipse equitibus præsidio erat, ita peditibus quidquam ab tergo auxilii reliquerat; occursantes per obliqua montani, perrupto medio agmine, viam insedere : noxque una Hannibali sine equitibus atque impedimentis acta est.

XXXV. Postero die, jam segnius incursantibus barbaris, junctæ copiæ [1], saltusque haud sine clade (majore tamen jumentorum, quam hominum pernicie) superatus : inde montani pauciores jam, et latrocinii magis quam belli more, concursabant, modo in primum, modo in novissimum agmen, utcumque aut locus opportunitatem daret [2], aut progressi morative aliquam occasionem fecissent [3]. Elephanti, sicut præcipites per arctas vias magna mora agebantur, ita tutum ab hostibus, quacumque incederent (quia insuetis adeundi propius metus erat), agmen præbebant.

Crev. et Drak. « *Agmen* peculiariter pedites, at mox totus exercitus : nempe equites (cum elephantis impedimentisque) præmissi erant; dum vero montani carpunt extremum agmen peditum, *Hannibal*, ne illud deserat, *cunctatur* primum peditum *agmen*, ubi ipse erat in fronte, *dimittere in angustias*, ut propius inhæreat equitum vestigiis : sed, dum ita cunctatur, equitibus longius progressis, divellitur universum agmen, ita ut *montani per obliqua occursantes* (vide ad IX, 35, n. 3), *perrupto medio agmine*, inter equites jam prægressos, et pedites etiamnum cunctantes, *viam insiderent;* » Stroth. *Perrupto* ex emend. Sigon. *Erupto* in omnibus fere MSS et edd. antt. *Interrupto* conj. Gron.

Cap. XXXV. 1. *Junctæ copiæ*, equites in primo agmine, pedites in extremo locati. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. III, 53. — *Pernicie* forte delendum; Bauer. — *Concursabant;* v. ad XXVII, 18, n. 7.

2. *Utcumque* (prout, ut XXVI, 42, n. 8, et XXXII, 9 extr.) *aut locus opportunitatem daret* (vide ad I, 11, n. 1) : nam barbari, qui superiora obtinebant loca, in Pœnos, in convalle procedentes, saxa devolvebant; vide Polyb. *Ut cuique* edd. ante Crev. *Daret* et *fecissent* pro indicativo : nam *ut* est *prout;* Bauer.

3. *Aliquam occasionem fecissent;* vide ad I, 11, not. 1. — *Præcipites*, proni ad lapsum in locis declivibus et præcipitibus; Doer. *Præcipites*, per ardua ac declivia, quin prærupta sæpe, ducebantur; Bauer. *Principes* male conj. Gron. Malim *sicut, præcipue per arctas vias, magna mora agebantur.* — Creverio videretur vox *præcipites* melius ad vias, quam ad elephantos referri. Quo accedit Walchius, Emend. pag. 83, referens cod. Flor.

Nono die in jugum Alpium perventum est, per invia pleraque[4] et errores, quos aut ducentium fraus, aut, ubi fides iis non esset, temere initæ valles a conjectantibus iter, faciebant. Biduum in jugo stativa habita; fessisque labore ac pugnando quies data militibus: jumentaque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in castra pervenere. Fessis tædio tot malorum nivis etiam casus, occidente jam sidere Vergiliarum[5], ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta, quum, signis prima luce motis, segniter agmen incederet, pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret, prægressus signa Hannibal in promontorio quodam[6], unde longe ac late prospectus erat, consistere jussis militibus Italiam ostentat, subjectosque alpinis montibus circumpadanos campos: *mœniaque eos tum transcendere non Italiæ*

hanc lectionem, *sicut per arctas præcipites vias*, quam non contemnendam arbitratur; sic infra *novo periculoso itinere*, XLIII, 1, et *recta expedita via*, XLIV, 43. Mihi non displicet *præcipue*, quod per compendium mutari in *præcipites* facillime potuit. Ed. — Causa *magnæ moræ* potissimum in *arctis viis* quærenda.

4. *Per invia pleraque* argutiore cum brevitate dictum pro: per loca, quorum pleraque essent invia, ut mox *per omnia nive oppleta*, h. e. per loca, quæ tota nive oppleta essent; Bauer. — *Ubi fides iis non esset*, non haberetur, sed contra ac ducere ipsi volebant, exercitus *valles* prius non cognitas *temere iniret*, sine certo consilio, prout ipse conjecerat iter; Str. Confer ad II, 46, n. 3.

5. *Occidente jam sidere Vergiliarum*, al. *Virgiliarum*, quæ vulgo *Pleiades* dicuntur. Conf. Polyb. III, 54. Earum ortus (cosmicus X Cal. Mai. heliacus incipiens Non. Mai. plenus VI Id. Mai.) æstatem, et occasus (cosmicus incipiens a XIII Cal. Nov. plenus VI, vel III Id. Nov.) hiemem inchoare credebatur; vid. Plin. II, 47; XVI, 25, seu 42; XVIII, 25, 26, 27, 29, seu 59, 60, 66, 67, 69; Colum. XI, 1, 2, 6; Jani ad Hor. Od. IV, 14, 21, et *Hermanns Handbuch der Mythologie*, t. III, p. 325-338.

6. *In promontorio* (al. *promuntorio*) *quodam*, jugo Alpium prælto, in altum non, ut plerumque in mare) prominente. *Promontorium* h. l. locus eminens, procurrens, quod *promuntorium* magis audit, quum *promontoria* ad mare sint; Bauer. Græcis etiam ἄκρας nonnunquam montes mediterraneos dici monet Str. — *Mœniaque*, propugnacula, *Italiæ*, ut apud Polyb. III, 54: ἀκροπόλεως φαίνονται διάθεσιν ἔχειν αἱ Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας. — *Eos tum transcendere*, scil. *dicit*, quod latet in *ostentat*; Stroth. Recte;

*modo, sed etiam urbis romanæ. Cætera plana, proclivia fore: uno aut summum altero prælio*[7] *arcem et caput Italiæ*[8] *in manu ac potestate habituros.* Procedere inde agmen cœpit; jam nihil ne hostibus quidem, præter parva furta per occasionem, tentantibus. Cæterum iter multo, quam in ascensu fuerat (ut pleraque Alpium ab Italia[9] sicut breviora, ita arrectiora sunt), difficilius fuit. Omnis enim ferme via præceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se[10] a lapsu possent, nec, qui paululum titubassent, hærere affli-

vel verbum *ostentare* (ut synon. *ostendere*) primum valet monstrare, et deinde, ad verba *mœniaque*, etc., repetendum, significare, indicare, dicere.

7. *Uno aut* ad *summum*; certe *(wenn es hoch käme, höchstens*; gallice, *au plus), altero prælio*, ut passim in Liv. et Cic. vid. Gron. et Duk. *summo* MSS omnes. *Ad summum* edd. antt.

8. *Arcem et caput Italiæ*, vide ad I, 55, n. 6.

9. *Pleraque Alpium ab Italia* (vide ad VIII, 17, n. 5) *sicut breviora*, minus alta, *ita adrectiora sunt*, magis prærupta; Str. Sic *recta saxa*, c. 36 pr., et *rectæ rupes* XXXVIII, 20. Ubi *placide adclivis collibus* opponuntur. Al. *arctiora*; ut mox *via angusta*, et apud Polyb. III, 54, οὔσης γὰρ ϛενῆς καὶ κατωφερεῖς τῆς καταβάσεως, τῆς δὲ χιόνος ἄδηλον ποιούσης ἑκάϛοις τὴν ἐπίβασιν (unde *via lubrica*), πᾶν τὸ παραπεσὸν τῆς ὁδοῦ καὶ σφαλὲν ἐφέρετο κατὰ τῶν κρημνῶν.

10. *Sustinere se a lapsu* non: erigere, vel attollere se lapsos, sed: cavere sibi a lapsu, continere se, quo minus laberentur (conf. ad II, 44, n. 6; Cic. Acad. Quæst. IV, 15, 17, et, quod h. l. geminum est, infr. XXII, 2, *Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere poterant*), et mox cum Drak. leg. *hærere affixi vestigio suo*, ut III, 68. *Hærere affixi concionibus*, et cap. seq. *Lubrica glacie non recipiente vestigium*: nam prementes vestigium vix dici potuerint *affligi ei*, h. e. firmiter in illud impingi (XXIV, 34), et, si *afflicti* genuinum sit, certe nihil aliud significare potest quam *affixi*, firmiter insistentes; Str. Ita vero eos, qui *a lapsu se sustinere* nequeant, haud discrepare ab iis, qui, dum paululum titubent, firmiter vestigio suo insistere non possint, monet Doer. Isque, suadente Creverio, τὸ *nec* ponit ante *hærere*, hoc sensu: *nec* ii, qui *afflicti* essent, h. e. trusi, impulsi ab aliis, et ad terram prostrati, in loco, quo incedebant, se tenere possent: nam desuper statim devolvebantur præcipites; cui sententiæ egregie respondent seqq. *aliique super alios*, etc. Recte, opinor: sed forte ne sic quidem τὸ *nec* transponendum. *Affigere aliquid terræ*, seu *ad terram*, est ferro vel clavo, fibula aliove vinculo terræ adnectere (ut IV, 19; VIII, 7; XXIX, 2); et προσπερονᾶν καὶ προσηλοῦν τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ σῶμα in Plat. Phæd. et Plut. Sympos. VIII, 2; sed *affligere* terræ vel solo (ut *undæ* XXIV, 34, et *parietibus* XLI,

cti vestigio suo; aliique super alios, et jumenta et homines, occiderent.

XXXVI. Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis saxis [1], ut ægre expeditus [2] miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Natura locus jam ante præceps [3], recenti lapsu terræ, in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ibi quum, velut ad finem viæ, equites constitissent, miranti Hannibali, quæ res moraretur agmen, nuntiatur, rupem

18, ubi pro vulg. *affigunt* a Drak. repositum *affligunt*), cum vi et impetu humi prosternere, terræ allidere, προσσουδίζειν, vel σύδει ἐρείδειν.

Cap. XXXVI. 1. *Rectis saxis;* vide ad cap. 35, n. 9.

2. *Expeditus miles;* v. V, 16, n. 2.

3. *Natura locus jam ante præceps, recenti lapsu terræ, in pedum mille admodum* (fere, prope, circiter; vel prorsus, si curatius computes, ut XXII, 24; XXIII, 46; XXVII, 30; XXXIV, 13; XL, 59; XLII, 65; XLIII, 11; et *nullus admodum* XXIII, 29, n. 7; XL, 59, n. 1) *altitudinem abruptus erat:* in optimis MSS *lapsu terræ impeditus dum ille admodum a. a. e.*, at in recentissimis et interpolatis codd. *lapsu terræ impeditus* (invius, impediens viatores; conf. ad IX, 43, n. 6) *in miram* vel *mirandam admodum a.* Hoc, quod desumptum videtur e Cic. Verr. V, XXVII, probant Sigon. et Str. Nos servavimus emend. Vallæ, quam firmat Polyb. III, 54; σχεδὸν ἐπὶ τρία ἡμιστάδια τῆς ἀπορρῶγος (abruptæ rupis) καὶ πρὸ τοῦ μὲν σύσης, τότε δὲ καὶ μᾶλλον ἔτι προσφάτως ἀπερρωγυίας. Ibi Schweig. hæc notavit: « Si stadium æquivalet 625 pedibus rom., erunt tria semistadia pedes $937\frac{1}{2}$, adeoque passus $187\frac{1}{2}$. Quod vero Livius spatium, qua recens abruptus prorsus locus erat, *in altitudinem* accepit, non *in longitudinem*, id nec ex Polybio sumpsit, et prorsus ridiculum absurdumque videtur: in *altitudinem* sæpe tota rupes, non modo per mille pedum spatium, abrupta intelligi debet. Idem Livius *virgulta ac stirpes circa eminentes* in rupe suo ex ingenio, aut ex fabulosa aliorum traditione, non ex Polybio, nec ex loci natura hausit. Quid quod cap. 37, in summis Alpium jugis, ubi ne virgulta quidem crescunt, et nil nisi nuda rupes est, nive plerumque, humo nusquam operta (τῶν γὰρ Ἄλπεων τὰ μὲν ἄκρα καὶ τὰ πρὸς τὰς ὑπερβολὰς ἀνήκοντα τελέως ἄδενδρα καὶ ψιλὰ πάντ' ἐστὶ, διὰ τὸ συνεχῶς ἐπιμένειν τὴν χίονα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος· τὰ δ' ὑπὸ μέσην τὴν παρώρειαν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν ὑλεφόρα καὶ δενδροφόρα καὶ τὸ ὅλον οἰκήσιμά ἐστιν, Polyb. III, 55, quæ expressit Liv. cap. 37 extr.), *immanes* etiam *arbores* inducit, et *lignorum ingentem struem:* nempe his opus erat ad ornandam fabulam, quam sicco pede prudens Polybius transit, de *rupe incendio torrefacta*, et *infuso aceto putrefacta.* » Hanc fabulam, quam et narrant Plut. in vita Hannibalis, ac Sil. III, 640 seq. (ubi tamen nulla fit

inviam esse. Digressus deinde[4] ipse ad locum visendum: haud dubia res visa, quin per invia circa, nec trita antea, quamvis longo ambitu, circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit: nam quum super veterem nivem intactam[5] nova modicæ altitudinis esset, molli nec præaltæ nivi facile pedes ingredientium insistebant. Ut vero tot hominum jumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem, fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur: tetra ibi luctatio erat[6]; ut a lubrica glacie, non recipiente

mentio rei maxime mirabilis, aceti, quo infuso ardens refrixerit rupes, et magis putrefacta sit), ob easdem aliasque rationes in dubium vocavit Matthiæ in Obss. ad Liv. lib. XXI, pag. 40 seq., sed defendit Bœttiger in Ephemerid. Brunsvic. ann. 1793. Monet etiam Ernesti, acetum fuisse potum militarem, et hinc non mirum esse, tantam ejus copiam Pœnis suppetiisse. Appianus, bello Hannib. 4, tradit: χιόνος τε πολλῆς οὔσης καὶ κρύους, τὴν μὲν ὕλην τέμνων τε καὶ κατακαίων, τὴν δὲ τέφραν σβεννὺς ὕδατι καὶ ὄξει (cineres exstinguendo aqua et aceto), καὶ τὴν πέτραν ἐκ τοῦδε ψαφαρὰν γιγνομένην, σφύραις σιδηραῖς θραύων καὶ ὁδοποιῶν· ἡ καὶ νῦν ἐςιν ἐπὶ τῶν ὁρῶν ἐντριβὴς καὶ καλεῖται δίοδος Ἀννίβου.

4. *Digressus deinde*, etc. *Degressus* emend. Bauer. Sed vide ad Tac. Ann. IV, 74, n. 4. — *Haud dubia res visa, quin.....circumduceret agmen*, circumducendum esset, circumducere vellet ac deberet: neque enim potuit; et est metonymia consequentis, ut XXIV, 22. *Censere repeti*, scilicet oportere, et XXXVII, 53, n. 6. *Dabat, restituebat* pro dare volebat, offerebat: neque enim dedit extemplo; Bauer. Conf. ad III, 21, n. 3. Necesse ipsi videbatur, ut circumduceret agmen: nam de re agenda, non acta, sermo est, et remedium difficultatis, in qua erant, exponitur; Gron. et Str. Minus apte Doer.: aperte intelligebat, fieri non posse, quin, etc. Illi explicationi et sequentia magis respondent, et facta. Polybius III, 54 extr.: τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐπεβάλετο (statuit) περιελθεῖν τὰς δυσχωρίας· ἐπιγενομένης δὲ χιόνος καὶ ταύτην ἀδύνατον ποιούσης τὴν πορείαν, ἀπέςη τῆς ἐπιβολῆς.

5. *Nam quum super veterem nivem intactam* (v. ad II, 12, n. 11) *nova*, etc. Confer ad hæc et seqq. Polyb. III, 55; *injecta nova* emend. Doer. *Fluentemque tabem* (al. *labem*) *liquescentis nivis*, humorem fœdum et lutulentum e nive liquefacta et tepefacta; Ern. Alias *tabum* tali sensu: aut est abstr. pro concr. nix tabescens; Bauer. Sic mox *tabida nive*, sensim liquescente. Confer ad IV, 30, n. 4.

6. *Tetra ibi luctatio erat*, etc. Cf. omnino Polyb. III, 55, *ut* (ὁπότε) *a lubrica glacie, non recipiente vestigium* (οὐ δυνάμενοι τὴν κάτω χιόνα διακόπτειν), *et in prono citius pedes fallente* (ita recte, opinor, Drak. emend. vulg. *pede se fallente*), scilicet corruerant (ἐπιπολὺ κατωφερῶν ὄντων

vestigium, et in prono citius pedes fallente, et, seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent, ipsis adminiculis prolapsis, iterum corruissent (nec stirpes circa, radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti posset, erant); ita in levi tantum glacie, tabidaque nive volutabantur. Jumenta secabant; interdum etiam, tum infimam ingredientia nivem, et prolapsa jactandis gravius in connitendo ungulis, penitus perfringebant: ut pleraque, velut pedica capta, hærerent in durata et alte concreta glacie.

XXXVII. Tandem, nequidquam jumentis atque hominibus fatigatis, castra in jugo posita, ægerrime ad id ipsum loco purgato: tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit! Inde ad rupem muniendam[1], per quam unam via esse poterat, milites ducti, quum

τῶν χωρίων), *et* præterea, *seu manibus in assurgendo, seu genu se adjuvissent* (ὁπότε πεσόντες βουληθεῖεν ἢ τοῖς γόνασιν ἢ ταῖς χερσὶ προσεξερείσασθαι πρὸς τὴν ἐξανάστασιν), *ipsis adminiculis prolapsis* (ἅμα πᾶσι τοῖς ἐρείσμασιν, scilicet manibus genibusque, quibus *in assurgendo se adjuverant*, non firmatis in vestigio, sed, ut in lubrico, elusis ac fluentibus, *indem selbst diese Stützen ausgleiteten;* Gron. et Doer.), *iterum corruerant* (nam ita cum Drak. videtur leg. pro *corruissent, ita in levi,* lubrica, *glacie*), *tabidaque nive volutabantur tantum* (τότε καὶ μᾶλλον ἐπέπλεον, in lubrico vacillabant, velut supernatantes: *sie rutschten nur*): *jumenta* vero *secabant* lubricam glaciem, vel *nivem infimam* veteremque (τὰ δ' ὑποζύγια διέκοπτεν, ὅτε πέσοι, τὴν κάτω χιόνα κατὰ τὴν διανάστασιν), *interdum etiam, tum infimam ingredientia nivem* pondere ac mole corporum sarcinarumque, *et*, tum (vide ad I, 35, n. 1), *prolapsa jactandis gravius in connitendo* (ita leg. ex emend. Fabri pro *continendo*), scilicet ut se erigerent (ut apud Cic. de Fin. V, 15, et apud Polyb. κατὰ τὴν διανάστασιν), *ungulis, penitus perfringebant*, ita *ut pleraque, velut pedica capta* (laqueis, seu compedibus, quibus feræ avesque majores capiuntur; conf. ad Tac. Ann. IV, 25, n. 2), *hærerent in durata et alte concreta glacie*, διακόψαντα δὲ ἔμενε μετὰ τῶν φορτίων οἷον καταπεπηγότα, διά τε τὸ βάρος καὶ διὰ τὸ πῆγμα τῆς προϋπαρχούσης χιόνος. Ita jam alii intpp. emendarunt hunc locum, vulgo fœde corruptum, et verba *nec stirpes circa... erant*, quæ Livius, rei magis explanandæ causa, Polybianis adjecit, parenthesi incluserunt. — Plura si videre vacat, conf. Walchii (Em. pag. 83 seqq.) et Buttneri (Obs. p. 57 seqq.) notas, qui hujus loci superiorem explicationem tuentur. Ed.

Cap. XXXVII. 1. *Ad rupem muniendam* (vide ad V, 19, n. 9) τὴν

cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt: eamque (quum et vis venti apta faciendo igni coorta esset) succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt[2]. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam, deduci possent. Quatriduum circa rupem consumptum, jumentis prope fame absumptis: nuda enim fere cacumina sunt[3], et, si quid est pabuli, obruunt nives. Inferiora valles et apricos quosdam colles habent, rivosque prope silvas, et jam humano cultu digniora loca. Ibi jumenta in pabulum missa, et quies muniendo fessis hominibus[4] data triduo. Inde ad planum descensum, etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis.

XXXVIII. Hoc maxime modo in Italiam perventum est[1], quinto mense a Carthagine nova (ut quidam

ῥάχιν, dorsum, seu jugum montis; confer Polyb. III, 55.

2. *Ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt*, etc.; vide ad cap. 36, n. 3. *Acetum saxa rumpit infusum, quæ non ruperit ignis antecedens*, Plinius, XXIII, 1, extr. sec. 27, ubi vid. Hard. Vide excursum ad calcem hujus voluminis. Ed. — *Molliuntque clivos*, eos descendentibus molliores, sive faciliores reddunt, unde *clivus mollis* apud Virg. Georg. III, 293, et al. qui facile ascendi, vel per quem facile descendi potest; Doer. Τοῖς μὲν ὑποζυγίοις καὶ τοῖς ἵπποις ἱκανὴν ἐποίησε πάροδον apud Polyb. Sic et *mollire collem* dixit Cæs. B. G. VII, 46, ac *molle et clementer editum jugum* synon. Tac. Germ. I, et *clivum lenem* Livius; vide ad lib. II, c. 50, n. 9, et ad Silium, IV, 489.

3. *Nuda enim fere cacumina* Alpium *sunt*, etc. Vide ad cap. 36, n. 3. *Nuda*, ut ψιλὰ apud Polyb., sine arboribus, virgultis et pascuis. Hinc et *via nuda* decurrentium de colle, qui propr. ita nudus est, XXVII, 42, n. 2.

4. *Muniendo fessis hominibus*, conf. not. 1. — *Etiam* (forte *et jam*) *locis mollioribus et accolarum ingeniis*; vid. ad IX, 13, n. 2.

Cap. XXXVIII. 1. *In Italiam perventum, quinto mense* post profectionem *a Carthagine Nova* (nisi hæc verba cum *perventum* jungere malis, quam cum *Alpibus superatis*), *XV die Alpibus superatis*: utrumque tradit Polyb. III, 56. Confer infra XXVII, 39; n. 3; XXXI, 7, n. 2; Appian. b. Hannib. 4, et 52. Nono die in jugum Alpium pervenit, et biduum ibi stativa habuit; quatriduo autem circa rupem muniendam consumpto, ad inferiora pervenit; vide cap. 35 et 37.

auctores sunt), quinto decimo die Alpibus superatis. Quantæ copiæ transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores constat: qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt; qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum [2]. L. Cincius Alimentus [3], qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor me moveret, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribusque additis: cum his octoginta millia peditum, decem equitum, adducta in Italiam (magis affluxisse verisimile est; et ita quidam auctores sunt [4]): ex ipso autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit [5], triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equorum et aliorum jumentorum amisisse, in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum. Id quum inter omnes constet [6], eo magis miror ambigi, quanam

— *Ut quidam auctores sunt*, vide ad II, 58, n. 1.

2. *Qui minimum, XX millia peditum* (XII m. Afrorum et VIII m. Hispanorum), *sex equitum:* sic Polyb. III, 56, et, ut is dicit, Hannibal ipse in columna Lacinii inventa.

3. *L. Cincius Alimentus;* vide ad VII, 3, n. 4. Mox *scribit* post *cum his* iterant edd. omnes ante Drak. Multi MSS illud ignorant, et vox *auctor* (qui prodidit) hoc verbum sensu complectitur; Gron. — *Affluxisse*, illam militum multitudinem in Italia ad hunc numerum excrevisse adjunctis, qui ibi *affluerent*, novis militibus; Doer. *Affluere* de multitudine hominum, et copiis gregatim accurrentibus, XXXV, 3 pr. et XXXIX, 31. Confer ad Tac. Ann. II, 76, n. 1.

4. *Et ita quidam auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1.

5. *Postquam Rhodanum transierit, XXXVI m. hominum* (XXXVIII Polyb. III, 60). — *Amisisse*, scilicet in Alpibus trajiciendis (confer ad cap. 23, n. 1), *in Taurinis* (vide ad V, 34, n. 8), *in Italiam degressum:* id reposui, grammatica ita postulante, pro vulg. *digresso* vel *degresso;* nisi malis *amissa degresso*, vel potius, quia τὸ *in* a pluribus MSS abest, cum Lips. in Epist. ad Belgas I, 93, *amisisse. E Taurinis....in Italiam degressum, quum inter omnes constet*, etc. Idem mox malebat *quæ Galliæ proxima gens erat*, ut sensus sit, eam gentem Galliæ in illo tractu proximam Italiæ fuisse, et origine quidem Ligures, sed situ Gallos Taurinos Liguricæ originis faciunt Strab. IV, 6, n. 6, pag. 204, et Plin. III, 17, sive 21; sed Taurasiam gallicum opp. Appian. b. Hannib. 5 pr.

6. *Id quum inter omnes constet* (vid. ad IX, 2, n. 1), scilicet Hannibalem

Alpes transierit; et vulgo credere[7], Penino, atque inde nomen et jugo Alpium inditum, transgressum. Cœlius[8] per Cremonis jugum[9] dicit transisse: qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per Salassos montanos ad Libuos Gallos deduxissent. Nec verisimile

per Taurinos in Italiam venisse. Conf. Polyb. III, 60, et XXXIV, 10, n. 18, ubi vide Schweigh. — *Quanam* parte *Alpes transierit* Hannibal. De dissensu vett. scriptt. confer Hard. ad Plin. III, 17, seu 21; Lips. Epist. ad Belgas Cent. I, ep. 93, et *Folard* ad Polyb. III, 60, qui quidem Polybius, teste Strab. lib. IV, extr., 4 transitus Alpium memoravit, per Ligures, Taurinos, Salassos et Rætos. Confer supra V, 34 et 35.

7. *Et vulgo credere*, scilicet *omnes*, ex præc. membro, aut, quod huic facile includitur, *homines*, ut apud Cic. ad Div. XVI, 10, *vulgo loquebantur;* Gron. *Vulgum* emend. Lips. et recte, opinor, mox *ei jugo Alpium* Gron. prob. Drak. et Stroth. *inde* a Pœnis eorumque transitu. *Penino* Drak. pro vulg. *Pennino*. Τὸ Ποίνινον dixit Strab. IV, 6, 7, et XI, p. 205, et 208. *Alpium fores* (al. *fauces*, *Pœninas* Plin. III, 17, seu 21. Τὰς Ποινὰς Ptol. II, 12. VALLIS POENIN Grut. Inscr. pag. 376, n. 6. *Peninum* non a Pœnis nomen accepisse, neque, ut mox Livius docet, a deo aliquo, etsi DEO PENINO legatur in inscr. apud Spon. de ignotis diis pag. 22, sed a *pen*, quod hodieque Aremoricis, Galliæ populis, vertex et caput dicatur, putat Hard. ad Plin. loco laudato. Confer mox not. 12; Cuper. apoth. Hom. pag. 16; Spon. Miscell. pag. 85; Leibnitz. rer. Brunsvic. scriptt. tom. I, pag. 45.

8. *Cœlius*, L. Cœlius Antipater, Annalium rom. scriptor, Polybii fere æqualis circa anno Urbis 624, tertia fere post L. Cincium Alimentum ætate; Stroth. Confer Ind. et Cic. Or. II, 12; de Legg. I, 2, de Div. I, 24; Valer. Max. I, 7, 6; Voss. de Hist. lat. I, 4; Pigh. Ann. ad an. 434. Scriptor non mediocris famæ apud antiquos, qui, ut ait Cicero loco laudato, paululum se erexit, et addidit historiæ majorem vocis sonum. Gracchanis temporibus vixit; bellique hujus Hannibalici res scripserat; de quo nihil ad nos venit. Adrianus hunc Sallustio præferebat, Ciceronis sententia fortasse ductus. Ed.

9. *Cremonis jugum* non aliunde notum. *Centronis jugum* conj. Glareanus. *Centrones* populus alpinus. Cf. omnino Strab. IV, 6, 6, 7 et 11, pag. 204, 205 et 208. Sed Lips. Epist. ad Belgas I, 93, hæc notavit: « *Centronum* tunc potius dixisset. Levis mihi suspicio, ne *Grejonis*, vel *Grajonis jugum* sit vera lectio: quod a *Graiis Alpibus* (vide ad librum V, cap. 34, n. 5) non alludit, et Plinius ibi *Graios* populos locavit. Germanicæ originis vox est, et *Grawi* dicti fuere; hodieque is mons *Graw-Alp* tabulis quibusdam inscriptus. » Idem mox pro vulg. *per saltus montanos* conj. *per Salyas* (vide ad lib. V, c. 34, n. 7), vel *Salassos montanos*. Posterius probavere Cluverius et alii. *Salassi* potens et bellicosa natio in Alpibus Graiis et Pedemontanis, quorum caput *Augusta Prætoria*, hodie *Aosta*. De iis locus class. Strab. IV, 6, 7, pag. 205. De *Libuis* vide ad V, 35, n. 2, et de toto h. l. ad V, 35,

est, ea tum ad Galliam patuisse itinera; utique, quæ ad Peninum ferunt, obsepta gentibus[10] semigermanis fuissent: neque, Hercule, montibus his[11] (si quem forte id movet) ab transitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ jugi ejus, norunt nomen inditum; sed ab eo[12], quem, in summo sacratum vertice, Peninum montani appellant.

XXXIX. Peropportune ad principia rerum Taurinis, proximæ genti, adversus Insubres motum bellum erat[1]. Sed armare exercitum Hannibal, ut parti alteri auxilio esset (in reficiendo maxime sentientem contracta ante mala), non poterat. Otium etenim ex labore, copia ex inopia[2], cultus ex illuvie tabeque, squalida et prope efferata corpora varie movebant. Ea P. Cornelio consuli causa fuit, quum Pisas navibus venisset[3], exercitu a Manlio Atilioque accepto tirone, et in novis ignominiis trepido, ad Padum festinandi,

n. 4; vol. II, p. 191 Edit. nost. Ed. — *Utique*, certe; vid. ad II, 30, n. 1.

10. *Gentibus semigermanis*, quæ lingua forte, vel moribus similiores essent Germanis, quam Gallis.

11. *Montibus his* Peninis, *si quem forte id movet*, scil. quod *Penini* vocantur, et hoc nomen a *Pœnis* descendere videtur; Stroth. Mox in MSS et antt. edd. ante Froben. legitur *ab transitu Pœnorum nullo sed uno, vel acri incolæ:* unde Gronov. conj. *ab t. P. ullo Sedunoveragri*, vel *Seduni Veragri* (ut *Celtiberi* et *Tauroscythæ*, mixtæ in unam gentes), vel *Seduni et Veragri*. Has gentes alpinas jungunt Cæs. Bell. Gall. III, 1, et Plin. III, 20. Οὐαράγροι dicuntur Strab. IV, 6, 6, p. 204. Veragrorum opp. *Octodurus* (hod. *Martigni*), de quo v. Cæs. l. l.

12. *Sed ab eo* deo, vel heroe, *quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant*, vel *Pennum*, judice Cluver. Germ. I, 26; *sed ad eo* in uno MS, unde Stroth. conj. *sed a deo, quem*, etc., vel potius *sed a deo, in summo vertice sacrato, quem Peninum*, etc. In quibusdam libris *verticem*, probante Lips. l. l. ubi monet, barbaro ritu montes eorumque vertices et capita fuisse sacra (conf. idem ad Tac. Histor. I, 2), et *pinnas*, aut *pennas* locorum vertices etiam nunc Belgis appellari. Conf. not. 7.

Cap. XXXIX. 1. *Taurinis adversus Insubres* (vide ad V, 34, n. 8 et 9) *motum bellum;* conf. Polyb. III, 60. — *In reficiendo* se, quum se recrearet otio.

2. *Otium etenim ex labore, copia ex inopia* (conf. ad IV, 31, n. 1) *corpora varie movebant*, afficiebant, ut XXV, 26, n. 2.

3. *Quum Pisas navibus venisset* Ge-

ut cum hoste nondum refecto manum consereret. Sed quum Placentiam consul venit, jam ex stativis moverat Hannibal; Taurinorumque unam urbem[4], caput gentis ejus, quia volentes in amicitiam non veniebant, vi expugnarat: junxissetque sibi, non metu solum, sed etiam voluntate, Gallos accolas Padi, ni eos, circumspectantes defectionis tempus, subito adventus consulis oppressisset. Et Hannibal movit ex Taurinis, incertos, quæ pars sequenda esset, Gallos præsentem se sequuturos ratus. Jam prope in conspectu erant exercitus, convenerantque duces[5], sicuti inter se nondum satis noti, ita jam imbutus uterque quadam admiratione alterius: nam Hannibalis et apud Romanos, jam ante Sagunti excidium, celeberrimum nomen erat: et Scipionem Hannibal eo ipso, quod adversus se dux potissimum lectus esset, præstantem virum credebat. Et auxerant inter se opinionem[6], Scipio,

nua (vide c. 32), *exercitu a Manlio Atilioque accepto tirone* (cf. cap. 25, 26, 32), *et in novis ignominiis trepido,* ob et post clades a Gallis nuper acceptas; conf. cap. 25, 26. — *Moverat;* conf. ad II, 3, n. 2.

4. *Taurinorumque unam urbem*, Taurasiam, *caput gentis*, etc.; confer ad V, 34, n. 8; Polyb. III, 60, et Appian. Bell. Hann. cap. 5. — *Quia volentes in amicitiam non veniebant:* ita quidam MSS pro vulg. *volentis* et *veniebat;* vide ad III, 47, n. 1. *Volentes,* non inviti, sponte, ut XXXVII, 27, n. 3, et al. passim: sæpe etiam optantes, cupientes, desiderantes, ut *volentibus novas res* XXI, 50 extr. XXII, 22; *volenti consuli* XXXVIII, 15, n. 3; *consules Græciam et Asiam volebant* XXXVIII, 46, n. 7; et gr. θέλοντες. Conf. ad Tacit. Ann. I, 59, n. 1, et Sil. XI, 442. — *Incertos... præsentem.* Male omnino qui dant *incertus* et *præsertim:* hæsitabant adhuc Galli utrum sua referret, partem Romanorum an Pœnorum sequerentur. Quos præsentia sua motum iri haud frustra existimabat dux peritissimus bellorum. Ed.

5. *Convenerantque duces* « Scipio et Hannibal, non sane inter se, neque ad colloquium, sed tantum in eamdem regionem, ut haud multum inter se abessent, mox acie conflicturi. Mox *sicut, ita* pro *quidem*, sed, ut XXIV, 22, n. 4. » Bauer. — Apud multos legere est, *sicut uterque... imbutus uterque.* Male. Ed.

6. *Et auxerant inter se opinionem; Scipio* majorem de se, vel virtutum suarum opinionem attulerat Hannibali, *quod*, ab eo *relictus* ante paucos dies *in Gallia* circa Rhodani transitum, (cf. cap. 32), et tum mari a Massilia

quod, relictus in Gallia, obvius fuerat in Italiam transgresso Hannibali; Hannibal et conatu tam audaci trajiciendarum Alpium, et effectu. Occupavit tamen Scipio Padum trajicere[7], et, ad Ticinum amnem motis castris, prius, quam educeret in aciem, adhortandorum militum causa, talem orationem[8] exorsus est:

XL. « Si eum exercitum, milites, educerem in aciem, « quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui « apud vos. Quid enim adhortari referret, aut eos equi« tes, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen « egregie vicissent[1], aut eas legiones, cum quibus fu« gientem hunc ipsum hostem sequutus, confessionem « cedentis[2] ac detrectantis certamen pro victoria ha« bui? Nunc, quia ille exercitus, Hispaniæ provinciæ « scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis « rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque ro« manus voluit, ego, ut consulem ducem adversus Han« nibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario « certamini obtuli[3]: novo imperatori apud novos mi« lites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli, neve

in Etruriam, tum terra ab etrusco mari ad Alpes profectus, *obvius fuerat Hannibali*, quippe qui audiverat, et navigationem illam longam difficilemque, et hunc tractum ingentem esse, exercitibusque vix pervium; *Hannibal*, etc. Cf. Polyb. III, 61.

7. *Occupavit Scipio Padum trajicere;* vide ad I, 14, n. 3.

8. *Talem orationem;* conf. Polyb. III, 64.

Cap. XL. 1. *Qui equitatum hostium ad Rhodanum flum. egregie vicissent;* vide cap. 29. Eleganter plusquamperf. haud raro pro imperf., vel perfecto, et subjunctivus pro indicativo linguæ vernaculæ ponitur, ac vice versa; Doer. Pro *egregie*, quod e conjectura Vallæ repositum, quidam MSS *ægre*, et Pal. opt. *non ægre*, quod probat Gronov. ad XXXIII, 6, ut sit facile, non magno molimento et labore. Cf. ad IV, 20, n. 10, et XXXIII, 6, n. 2.

2. *Confessionem cedentis*, etc., eleganter pro: pavorem, quem cedendo, etc., publice declaravit hostis; Doer. Conf. XXXVII, 31. — *Cum fratre Cn. Scipione* (vide cap. 32) *meis* sub *auspiciis* (vide ad V, 46, n. 9): nam Scipio consul Hispaniam sortitus erat provinciam; vide cap. 17 pr. 32, et 41 pr.

3. *Me huic voluntario* (propr. *voluntarie*, vel *voluntarius*) *certamini obtuli* (conf. cap. 32); nam ipsi Hispania provincia evenerat, non Italia.

« hostem ignoretis, cum iis est vobis, milites, pugnan-
« dum, quos terra marique priore bello vicistis : a
« quibus stipendium per viginti annos exegistis : a qui-
« bus capta belli præmia, Siciliam ac Sardiniam, habe-
« tis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque
« animus, qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc
« illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi
« sunt : nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam
« detrectavere [4], eos, duabus partibus peditum equi-
« tumque in transitu Alpium amissis, quum plures
« pæne perierint, quam supersunt, plus spei nactos
« esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis
« corporibusque, quorum robora ac vires vix susti-
« nere vis ulla possit. Effigies, immo umbræ hominum,
« fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi ac de-
« bilitati inter saxa rupesque. Ad hæc [5], perusti artus,
« nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quassata
« fractaque arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc
« equite, cum hoc pedite pugnaturi estis : reliquias
« extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil
« magis vereor, quam ne, vos quum pugnaveritis,
« Alpes vicisse Hannibalem videantur. Sed ita forsitan

— *Novos milites*, qui maximam partem non Scipioni primum, sed Manlio Atilioque traditi fuerant. Conf. c. 32 et 39.

4. *Incolumi exercitu pugnam detrectavere ;* conf. cap. 29. — *Duabus partibus amissis* ex tribus : unde mox pro *pæne* Ruben. conj. *plane*, et Gron. *fœde :* Strothius autem *duplo* ante *plures* excidisse putabat, vel, ut et alii, omnia illa *quum plures.....supersunt* glossam redolere. Sed mihi videtur Livius mitigare velle, quod forte auxerat nimis, ut *pæne* sit quasi *utique*, *certe :* forte et mox legend. *supersint ;* Bauer. — Mihi videtur posse defendi τὸ *pæne* hoc modo : supra, c. 38, dicitur Hannibal, postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum amisisse. Eodem cap. L. Cincius scribit octoginta millia peditum, decem equitum, in quo numero Gallos Liguresque comprehendit. Ergo re vera supererant, id est, in exercitu erant plures copiæ, quam perierant. Ed. — *At enim*, etc. ; conf. ad III, 39, n. 8. — *Fame, squalore enecti ;* vid. ad II, 23, n. 3.

5. *Ad hæc* (vide ad II, 23, n. 3) *perusti artus* (Pall. tres *præusti ;* Ed.), *membra torrida gelu ;* vid. ad cap. 32,

« humanorum, fame interficere : licuit victricem clas-
« sem in Africam trajicere, atque intra paucos dies sine
« ullo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus
« precantibus; emisimus ex obsidione; pacem cum
« victis fecimus; tutelæ deinde nostræ duximus[7], quum
« africo bello urgerentur. Pro his impartitis[8], furiosum
« juvenem sequentes, oppugnatum patriam nostram
« veniunt. Atque utinam pro decore tantum hoc vo-
« bis, et non pro salute, esset certamen! Non de pos-
« sessione Siciliæ ac Sardiniæ[9], de quibus quondam
« agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum : nec
« est alius ab tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus,
« hosti obsistat; nec Alpes aliæ sunt[10], quas dum su-
« perant, comparari nova possint præsidia : hic est
« obstandum, milites, velut si ante romana mœnia
« pugnemus. Unusquisque se non corpus suum, sed
« conjugem ac liberos parvos armis protegere putet :
« nec domesticas solum agitet curas, sed identidem
« hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus se-
« natum populumque romanum; qualis nostra vis vir-

7. *Tutelæ nostræ deinde duximus*, scil. eos esse, ad tutelam nostram eos pertinere putavimus (eos adjuvandos tuendosque duximus); Gron. Pro : in tutela nostra eos esse, ut Soph. Œd. ἀλλ' οὐ Κρέοντος προστάτου γεγράψομαι, Bauerus. Confer ad I, 6, n. 4, *quum africo bello urgerentur;* vid. ad cap. 1, n. 5. In eo utique Romani permiserant, ut Pœni ad illud milites in Italia mercede conducerent, utque socii sui Pœnis commeatum apportarent : miserant etiam legatos, qui pacem inter Pœnos Afrosque rebelles componerent, neque in fidem ditionemque suam receperant civitates africas, quæ in eam se commiserant. Sed iidem mercatores italos, carceribus a Pœnis jure inclusos, quia commeatum subvexerant hostibus ipsorum, remitti jusserant, et deinde a mercenariis invitati bellum indixerant Pœnis : quas injurias orator h. l. prudenter silentio prætermittit; vide ad cap. 1, n. 6; Polyb. III, 83; Appian. de Reb. Sic. II, 3, et Pun. c. 5, p. 96, et 310, ed. Schweigh.

8. *Pro his impartitis*, beneficiis in Pœnos collatis. *Impartitis* rectius scribitur quam *impertitis*.

9. *De possessione Siciliæ ac Sardiniæ*, etc.; vide ad cap. 1, n. 6.

10. *Nec Alpes aliæ sunt*, quarum transitus hostes ita moretur, ut, *dum eas superent*, interea a nobis *comparari possint nova præsidia*. — *Fortu-*

« tusque fuerit, talem deinde fortunam illius urbis « ac romani imperii fore. »

XLII. Hæc apud Romanos consul. Hannibal, rebus prius[1], quam verbis, adhortandos milites ratus, circumdato ad spectaculum exercitu, captivos montanos vinctos in medio statuit; armisque gallicis ante eorum pedes projectis, interrogare interpretem jussit, ecquis, si vinculis levaretur, armaque et equum victor acciperet, decertare ferro vellet? Quum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent, et[2] dejecta in id sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret. Ut cujusque sors exciderat, alacer, inter gratulantes gaudio exsultans, eum sui moris tripudiis[3] arma raptim capiebat. Ubi vero dimicarent, is habitus animorum[4] non inter ejusdem modo con-

*nam illius urbis*, forte *ipsius*; Gron. — Tan. Faber vocem *illius* expungit; cujus sententiam non rejiciebat Doujatius : malo Gronovii conjecturam. Summam hujus orationis, et illius quæ sequitur, apud Polyb. invenies, III, 64. Cf. quoque hic finem orationis a Pompeio habitæ, Luc. VII, 369 sq. Ed.

Cap. XLII. 1. *Hannibal rebus prius*, exemplo quodam fortitudinis ante militum oculos edito; Doer. Ad seqq. conf. Polyb. III, 62.

2. *Dejecta in id*, in eam rem, vel ob id (ut *in hæc obsides accepti* XXXIII, 30; *pecuniam in stipendium pendere* XXXIII, 46, et forte *in Hispaniam imperium accipere* XXVI, 18, n. 3), *sors esset*, conjecta, scil. in sitellam, seu situlam (ut apud Cæs. Bell. Civ. I, 6, et *conjicere sortem* apud Cic. pro Ligar. 7) in qua sortes miscentur (παλλόνται), vel suffragia tabellis inscripta, ut ex qua, eo facto, *excidunt*, seu *exeunt*, et ducuntur, ὁ κλῆρος et χρησμὸς ἐκπίπτει, ἐξορρύει, ἐρύεται. (Confer ad XLV, 15, n. 5; Wessel. ad Diodor. t. I, p. 286, t. II, p. 319; Schol. Aristoph. Equit. 1084; Plut. Crass. p. 552; Hom. Il. III, 325; Callim. Hymn. in Jov. 62.) Vasculum illud, in quod sortes conjiciuntur *sitella* dicitur XXV, 3; XLI, 18, et al. *urna*, *cista*, *cistula*, ὑδρία.

3. *Cum sui moris tripudiis*, etc.; v. ad X, 26, n. 8.

4. *Is habitus animorum* (ἡ διάληψις) *erat*, ita affecti (ut cap. 43 pr.) commotique sunt animi non modo Gallorum montanorum, *et ejusdem conditionis*, hoc est, captivorum, sed etiam Pœnorum, qui huic spectaculo affuerant, *ut* omnes *non magis vincentium*, qui virtute, *quam bene*, fortiter, *morientium*, qui gloriosa morte multis magnisque æruminis liberati essent, fortunam prædicarent, et superstites captivi suam conditionem deplorarent, Pœni autem eos miserarentur; vide Polyb. III, 62, qui tamen duos tantum dimicasse, et alterum periisse,

ditionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgo, ut non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudaretur.

XLIII. Quum sic aliquot[1] spectatis paribus affectos dimisisset, concione inde advocata, ita apud eos loquutus fertur[2] : « Si, quem animum in alienæ sortis « exemplo paulo ante habuistis, eumdem mox in æsti- « manda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites : « neque enim spectaculum modo illud, sed quædam « veluti imago vestræ conditionis erat. Ac nescio, an « majora vincula[3], majoresque necessitates vobis, quam « captivis vestris, fortuna circumdederit. Dextra læva- « que duo maria[4] claudunt, nullam, ne ad effugium « quidem, navem habentibus : contra Padus amnis, « major Padus ac violentior Rhodano : ab tergo Alpes

alterum vicisse dicit, non, ut Livius, cap. 43 pr. *aliquot paria* pugnasse, et certamina eorum *spectata* esse. Morem fuisse Pœnis, captivos per paria compositos inter se decertare cogendi, docet Casaub. ad Suet. Aug. 13.

Cap. XLIII. 1. *Quum sic aliquot* pro vulg. *Dum* ediderim, suadentibus Gronovio et Bauero.

2. *Ita apud eos loquutus fertur;* cf. Polyb. III, 63.

3. *Majora vincula,* arctiora, graviora; impedimenta fugæ (cf. X, 41, n. 2), vel mala, ærumnas, periculа. Metaphora h. l. a *vinculis capt.* ducta. —*Majores necessitates,* graviores causas, cur fortiter pugnare necesse sit.

4. *Dextra lævaque duo maria* (vid. ad V, 33, n. 3) *claudunt* nobis, scil. *effugium* (quod ex seqq. ad superiora intelligendum est, ut similia I, 23, n. 7; I, 56, n. 7; II, 30, n. 3; II, 33, n. 3; XXI, 52 extr.; XXIII, 15, n. 1; XXIII, 16, n. 7; XXV, 41, n. 5; XXX, 7, n. 3; XXXIII, 31, n. 4; XXXV, 17, n. 1; XLII, 30 pr. Cf. ad Tac. Ann. II, 20, n. 2), *nullam, ne ad* hoc *quidem effugium, navem habentibus: contra,* h. e. ex adverso, ante (id ex uno MS reponendum pro vulg. *circa*), *Padus amnis, ab tergo Alpes urgent:* ita difficultates, antea generatim significatæ, per partes enumerantur, sc. quæ obstent ab utroque latere, a fronte et a tergo; Strothius. Quidam minori distinct. post *circumdederit* pro majori posita, vel τὸ *claudunt* delendum, vel verba *dextra lævaque duo maria claudunt* parenthesi includenda putant. Sed partium enumeratione novum potius aperiri membrum, bene monet Stroth. Ejus tamen explicatio neutiquam nobis satisfacit. Baueri nota est: « Aut *habentes* lege, aut *habemus;* nisi post, vel ante *claudunt* excidit *aditum,* immo *viam.* » Probabilius suspicere, post *claudunt* excidisse *it*, h. e. *iter;* Schæf. Forte legendum *claudunt viam ne ad effugium,* etc.

« urgent, vix integris vobis ac vigentibus[5] transitæ. « Hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi « primum hosti occurristis. Et eadem fortuna, quæ « necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea « victoribus proponit, quibus ampliora homines ne ab « diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam « tantum ac Sardiniam, parentibus nostris ereptas, « nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen am- « pla pretia essent. Quidquid Romani tot triumphis « partum congestumque possident, id omne vestrum « cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam « mercedem, agite, cum diis bene juvantibus arma ca- « pite. Satis adhuc in vastis Lusitaniæ Celtiberiæque « montibus, pecora consectando, nullum emolumen- « tum tot laborum periculorumque vestrorum vidi- « stis[6]. Tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipen- « dia facere, et magna operæ pretia mereri, tantum « itineris per tot montes fluminaque, et tot armatas « gentes emensos. Hic vobis terminum laborum for- « tuna dedit : hic dignam mercedem emeritis stipen- « diis dabit[7]. Nec, quam magni nominis bellum est, « tam difficilem existimaritis victoriam fore. Sæpe et « contemptus hostis cruentum certamen edidit, et « inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt :

5. *Vigentibus transitæ;* vide ad II, 10, n. 3. — *Et eadem fortuna;* « Lege *at eadem fortuna :* nam præmia jam periculis opponit : certe *et* pro *at* positum (conf. ad XXIII, 44, n. 4) : mox autem ante *Quidquid Romani*, etc. supple *nunc vero*, vel : at hæc sola non sunt, sed etiam ; et *triumphis* accipe pro *victoriis*, sc. quia Romani in triumpho et per triumphum solebant pecuniam captivam in ærarium ferre. » Bauer.

6. *Satis adhuc... vidistis*, satis diu et multum.

7. *Hic dignam mercedem* vobis *dabit emeritis stipendiis*, bello confecto. — *Perlevi momento victi sunt;* vide ad V, 49, n. 4. — Eamdem sæpe apud antiquos sententiam reperire est ; verbi gratia, Justin. VI, 3 : « Tot bellis ac sæculis quæsitum imperium, brevis momenti culpa subverteret » ; Claud. in Ruf. II, 49 : « Eheu ! quam brevibus pereunt ingentia causis ! » En. —

« nam, dempto hoc uno fulgore nominis romani, « quid est, cur illi vobis comparandi sint? Ut viginti « annorum militiam vestram cum illa virtute, cum « illa fortuna taceam, ab Herculis columnis[8], ab oceano, « terminisque ultimis terrarum, per tot ferocissimos « Hispaniæ et Galliæ populos, vincentes huc perveni- « stis. Pugnabitis cum exercitu tirone, hac ipsa æstate « cæso[9], victo, circumsesso a Gallis, ignoto adhuc duci « suo, ignorantique ducem[10]. An me, in prætorio pa- « tris[11], clarissimi imperatoris, prope natum, certe « eductum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem « eumdem non alpinarum modo gentium, sed ipsa- « rum, quod multo majus est, Alpium, cum semestri « hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si « quis, demptis signis, Pœnos Romanosque hodie os- « tendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus « sit consul[12]. Non ego illud parvi æstimo, milites, « quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos « ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus; cui

*Viginti annorum militiam* elatorie dicit pro XVIII, serviens causæ; Sigon.

8. *Ab Herculis columnis*, Calpe et Abyla (hodie *Gibraltar* et *Ceuta*), *terminisque ultimis terrarum* versus occidentem. Cf. ad Sil. I, 141, 142.

9. *Hac ipsa æstate cæso*, etc.; vid. cap. 25. Paulo ante *pugnantibus* operarum vitio legitur in ed. Drakenb. et Ern.

10. *Ignoto adhuc duci suo, ignorantique* (in plerisque edd. *ignoranteque* forma usitatiore) *ducem;* conf. not. 12 et 13.

11. *In prætorio patris... eductum;* conf. ad I, 39, n. 10, et VI, 42, n. 7. — *Desertore exercitus sui*, invidiose de Scipione, qui maximam exercitus sui partem in Hispaniam miserat; vid. cap. 32. — *Demptis signis*, aquilis romanis, et Pœnorum vexillis; neque enim aliis notis tum distinguerentur: nam, quamvis *arma* differrent, tamen, his demptis, nudos quis vultus dignosceret Afrorum et Italorum? Bauer.

12. *Utrius exercitus sit consul*, i. e. tam parum ipse novit exercitum suum; Stroth. Multum autem valet ad animos militum duci conciliandos, eosque ad virtutem excitandos, si quisque notus est duci, *virtutis spectatori ac testi*, qui pro meritis omnes vel præmiis, vel pœnis afficere potest, et nomine ciere; quod indicant seqq. *Non ego illud parvi æstimo*, etc. Conf. n. 10; VIII, 39, n. 1; XXVI, 44, n. 3; XXVII, 14, n. 3; Polyb. X, 13; ad Sil. I, 454, et IX, 245 sq.

« non idem ego, virtutis spectator ac testis, notata « temporibus locisque referre sua possim[13] decora. « Cum laudatis a me millies donatisque, alumnus prius « omnium vestrum, quam imperator, procedam acie « adversus ignotos inter se ignorantesque.

XLIV. « Quocumque circumtuli oculos, plena om- « nia video animorum ac roboris; veteranum peditem, « generosissimarum gentium equites frenatos et infre- « natos[1], vos socios fidelissimos fortissimosque, vos « Carthaginienses, quum ob patriam, tum ob iram « justissimam pugnaturos. Inferimus bellum[2], infe- « stisque signis descendimus in Italiam, tanto auda- « cius fortiusque pugnaturi, quanto major spes, major « est animus inferentis vim, quam arcentis. Accendit « præterea animos, et stimulat dolor, injuria, indi- « gnitas : ad supplicium depoposcerunt me ducem « primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppu- « gnassetis; deditos ultimis cruciatibus affecturi fue- « runt. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia « suique arbitrii facit : cum quibus bellum, cum qui-

13. *Referre sua possim decora*, præclara facinora memorare, ut III, 12 pr. *Cum* vobis, militibus *laudatis a me millies* pro concione, *donatisque, alumnus omnium vestrorum*, in castris, inter vos, et a vobis educatus, *procedam* in *acie* (nisi leg. *in aciem*, ut VIII, 9 pr. et XXV, 21) *adversus ignotos inter se* ducem et exercitum, *ignorantesque* se invicem. Conf. not. 10. — Operæ pretium videtur hic cum Livio Lucanum conferre, lib. VII, 287 sqq. Cæsar ante pharsalicam pugnam hæc ad milites dicit : « Cujus non militis ensem Agnoscam? cælumque tremens quum lancea transit, Dicere non fallar quo sit vibrata lacerto. » Non ea emphasi, quæ rhetorem redolet, utitur Hannibal; sed veram imperatoris laudem præ se fert, qui omnes exercitus sui inclytos viros noscit. Ed.

Cap. XLIV. 1. *Generosissimarum gentium equites frenatos*, Hispanos et Carthaginienses, *et infrenatos* Numidas, qui, ut hodie Mauri in Africa, equos non frenis, sed virga regunt (v. ad Sil. I, 215 sq.) : τὴν κεχαλινωμένην ἵππον, καὶ τοὺς Νομαδικοὺς ἱππεῖς ap. Polyb. III, 65. Conf. cap. 46, n. 4. *Infrenati* h. l. infreni, frenis non utentes : at XXXVII, 20, frenati, et ib. *infrenare*, frena dare et imponere. *Nudi frenis, infrenatique manipli* ap. Sil. IV, 314.

2. *Inferimus bellum, infestisque signis* (vide I, 13, n. 2) *descendimus*

« bus pacem habeamus, se modum imponere[3] æquum
« censet : circumscribit includitque nos terminis[4] mon-
« tium fluminumque, quos ne excedamus : neque eos,
« quos statuit, terminos observat. Ne transieris Ibe-
« rum : ne quid rei tibi sit cum Saguntinis. Ad Iberum
« est Saguntum. Nusquam te vestigio moveris. Parum
« est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et
« Sardiniam adimis; etiam Hispanias? et inde cessero,
« in Africam transcendes : transcendes autem, dico?
« duos consules hujus anni, unum in Africam, alte-
« rum in Hispaniam miserunt[5]. Nihil usquam nobis
« relictum est, nisi quod armis vindicarimus. Illis ti-
« midis et ignavis licet esse[6], qui respectum habent,
« quos suus ager, sua terra, per tuta ac pacata itinera
« fugientes, accipient : vobis necesse est fortibus vi-

*in Italiam;* hæc sunt synonyma. Nos: *wir führen einen offensiven Krieg, und sind als der angreifende Theil in Italien gekommen;* Stroth.

3. *Se mod. impon.;* v. IX, 14, n. 4.

4. *Circumscribit includitque nos terminis,* etc.; vide ad cap. 2, n. 9. Sequitur dialogus oratorius, in quo Romanus dicit *ne transieris... Saguntinis,* et *nusquam te vestigio moveris,* quibus respondet Pœnus. — *Ad Iberum est Saguntum :* « Verba Pœni, quorum sensus est : Neque transeo Iberum, fœdus servans; sed, quod ex fœdere meum est, occupo. Quum Iberus sit finis nostri imperii, in nostra parte est Saguntum : namque *ad,* i. e. cis *Iberum est Saguntum.* Prudenti autem consilio dixit Livius *ad Iberum,* quum neque *cis Iberum,* neque *trans Iberum,* sine ambiguitate dicere posset. Namque *cis Ib.* neque Romanus, neque Hannibal, jam Alpes transgressus, dicere poterat : et *trans Iber.* adversari visum esset verbis fœderis *ne transieris Iberum.* Neque contradictionem in fœdere tam manifestam aperuisset, quam oculis subjicere vult Hannibal : *ne trans. Ib... ne quid rei tibi sit cum Saguntinis,* non transgresso Iberum. » Stroth. — *Et* si *inde cessero,* etc. quod *si* etiam quidam libri inserunt.

5. *In Hispaniam miserunt,* non *misisti :* nam finita apostrophe sermonem iterum ad milites dirigit; Stroth. — *Nisi quod armis vindicarimus;* suspicari possis *vindicabimus;* sed futurum, quod dicitur exactum, ἀορίστως et modestius rem exprimit.

6. *Illis timidis et ignavis licet esse* (ut mox *vobis necesse est fortibus viris esse* per appositionem, ut passim *licet esse, contigit esse,* et *satis est esse fideli,* etc. quam dictionem doctam multis exemplis illustravit Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIV, 64), *qui respectum habent,* h. e. perfugium (qui habent, quo respiciant, et fiduciæ, et, si res exigat, auxilii gratia; Gronov.: quibus a tergo fugæ copia datur, *die*

« ris esse, et, omnibus inter victoriam mortemve certa « desperatione abruptis [7], aut vincere, aut, si fortuna « dubitabit [8], in prælio potius, quam in fuga, mortem « oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatum- « que in animo est, iterum dicam, vicistis : nullum « morte telum [9] ad vincendum homini ab diis immor- « talibus acrius datum est. »

XLV. His adhortationibus quum utrinque ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum jungunt [1], tutandique pontis causa castellum

*den Rücken frey haben;* Doer.). Conf. IX, 23; XLII, 46; Cic. Phil. V, 18; X, 4; XI, 11. *Receptum* non male forsan edd. a Mogunt. ad Gron. h. e. qui sciunt, quo se recipiant : quo sensu tamen et nostram lectionem cepit Bauer. — *Quod suum agrum, suam terram... fugientes accipient* invenire est in Ber. et Hearnii N. Displicuisse videtur librariis duobus singularibus *suus ager, sua terra* addi verbum plurale, quod apud Liv. frequens est. Ed.

7. *Omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis*, dum nihil medium inter victoriam et mortem, ne dubia quidem spe potestis sperare, sed necesse est, de his omnibus desperare; Stroth. *Abrupta* dicuntur alibi ancipitia, prærupta, præcipitia, periculosissima; Ern.

8. *Si fortuna dubitabit*, cunctabitur, morabitur; vel potius dubia, seu incerta erit victoria, ut fere *non ultra dubitatum* (dubius prælii eventus fuit) apud Tac. Ann. II, 80. Incerta erit victoria, immo vix obtinenda; inclinabit ad hostes; Bauer. *Titubabit* conj. Ern. — Verbum *dubitare* illustravit Gronov. ad Senecam epist. 114. Ed.

9. *Nullum morte telum ad vincendum homini ab diis i. acrius datum est*, ut Sil. II, 576, *telum ingens contra aspera mors est*, et XI, 186 sq. *nullo nos invida tanto Armavit Natura bono, quam janua mortis Quod patet, et vita non æqua* (iniqua, misera) *exire potestas;* apud Senec. Herc. Œt. 111, *miser non est, qui mori potest.* Sic et *necessitas ultimum et maximum telum* sup. IV, 28, et *telum acerrimum* III, 55 pr. et III, 69 pr. Conf. ad III, 50, n. 1; Sil. XIII, 883 sq. et Polyb. III, 63. In MSS pro *morte telum* est *contemptum* et *contemptu*, sine commodo sensu : unde intpp. varia vel conjecere, vel substituere. Valla : *nullum incitamentum*, etc. J. Fr. Gronov. et Drak. eodem sensu *nullum momentum*, etc. (Cui voci τὸ *acrius* non satis convenit). Andreas et alii : *nullum contemptu*, Grævius *null. contemptu sui*, et Stroth. *null. contemptu mortis.* — *Acrius telum datum est.* Jac. Gron. *nullum eo telum*, et Doering. *nullum enim telum... acrius datum est.* Quod nos reposuimus, ad lectionem MSS propius accedit. Baueri nota est : « Si *momentum* est occasio, copia, tempus commodum, *acre* est quasi præcisum undique, arctum, unice aptum, præcise datum, *genau abgepasst.* Sed notare potest stimulum, incitamentum, monitum, nutum. »

Cap. XLV. 1. *Ponte Ticinum jun-*

insuper imponunt. Pœnus, opere occupatis hostibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum populi romani agros mittit. Gallis parci quam maxime jubet, principumque animos sollicitari ad defectionem. Ponte perfecto, traductus romanus exercitus in agrum Insubrium[2] quinque millia passuum a Victumulis consedit. Ibi Hannibal castra habebat; revocatoque propere Maharbale atque equitibus, quum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum præmonitumque ad cohortandos milites ratus, vocatis ad concionem certa præmia pronuntiat, in quorum spem pugnarent. *Agrum sese daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisque velit, immunem ipsi, qui accepisset, liberisque: qui pecuniam, quam agrum, maluisset, ei se argento satis facturum: qui sociorum cives carthaginienses fieri vellent, potestatem facturum: qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cujus suorum popularium mutatam secum fortunam esse vellent*[3]. Servis quoque dominos prosequutis libertatem[4] pro-

*gunt*, ut *rate* cap. 47, proprie ripas ejus. Conf. Polyb. III, 64; *ponte..... pontis*; vide ad I, 3, n. 8. — *Insuper imponunt*; conf. ad cap. 1, n. 6.

2. *In agrum Insubrium*; vid. ad V, 34, n. 9. — *A Victumulis* ex uno cod. recepi; in reliquis MSS et edd. antt. *vicotumulis*; in recentt. *Victumviis* e conj. Rubenii, et cap. 57, ubi alius tamen locus est, tum demum ab Hannibale captus, qui jam nunc ad Victumulos castra habebat; Stroth. Ἐν Οὐερκέλλοις χρυσωρύχιον ἦν· κώμη δ' ἐστὶ πλησίον Ἰκτουμούλων καὶ ταύτης τῆς κώμης· ἄμφω δ' εἰσὶ περὶ Πλακεντίαν, Strab. V, 1, 12, p. 218. *Ictimulorum aurifodinæ in Vercellensi agro* apud Plin. XXXIII, 4, seu 21, ubi in quibusdam MSS exstat *Victimilarum* et *Victimuliarum*. Itaque vel apud Strab. et Plin. Οὐϊκτουμούλων, *Victumulorum*, legendum crediderim, vel h. l. *ab Ictimulis*, seu *Ictumulis*, et cap. 57 *ad Ictumulos*, seu *Victumulos*: nam ibi aut idem, qui hic, designatur locus, aut certe non alius, quam qui Straboni memoratur, quoniam uterque *prope Placentiam* fuit.

3. *Ne cujus suorum popularium fortunam mutatam esse vellent secum*, cum sua. *Dass sie ihr Glück mit keinem ihrer Landsleute zu vertauschen geneigt seyn würden*; Doer.

4. *Libertatem proponit* servis, promittit: ut paulo ante *certa præmia pronuntiat*. Utrumque verbum passim

ponit, binaque pro his mancipia dominis se redditurum. Eaque ut rata scirent fore, agnum læva manu, dextera silicem retinens[5], si falleret, Jovem cæterosque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Tum vero omnes, velut diis auctoribus in spem suam quisque acceptis[6], id moræ, quod nondum pugnarent, ad potienda sperata rati, prælium uno animo et voce una poscunt.

XLVI. Apud Romanos haudquaquam tanta alacritas erat, super cætera recentibus etiam territos prodigiis: nam et lupus intraverat castra[1], laniatisque obviis ipse intactus evaserat; et examen apum in arbore prætorio imminente consederat. Quibus procuratis[2], Scipio, cum equitatu jaculatoribusque expeditis profectus ad castra hostium, exque propinquo copias, quantæ et cujus generis essent, speculandas, obvius

significat polliceri præmia, etc., proprie ostendere alicui, ut ad ea merenda inducatur, vel merituro *pronuntiare*. Sic *proponere*, lib. XXIII, 15; XXXIX, 17; Suet. Aug. 42 (ubi *promittere* et *proponere* sunt synon.); *pronuntiare* apud Suet. Cæs. XIX, 26; Cal. 46; Galb. 16; Cic. Cluent. 29, (ubi conf. Græv.) *declarare munera*, ap. Cic. ad Div. II, 3, *ponere præmium* (græce τιθέναι ἆθλα), XLI, 23, et *indici præmium posuerunt* in c. Voss. XXXIX, 17 pr. ubi vide Drak. Cf. ad Sil. IV, 267, et XVI, 458. Similiter fere *ponere quæstionem*, hoc est, constituere, decernere, XLII, 22, n. 1, ubi Drakenborch. conj. *proposita*. Παραπλήσια· τοῖς νῦν ἆθλα προτιθεικέναι ... τὸ πάντων ἀνθρώπων γένεσθαι μακαριωτάτους, κρατήσαντας τῆς Ῥωμαίων εὐδαιμονίας apud Polyb. III, 63, quæ Livius amplificavit.

5. *Dextera silicem retinens*, etc. Confer ad I, 24, n. 14. *Secundum*, post, *precationem* (conf. ad I, 4, n. 1) *elisit*, percussit, fregit, rupit.

6. *Velut diis auctoribus in spem suam quisque acceptis*, velut quisque in spe, sibi ab Hannibale facta, deorum auctoritate confirmatus fuisset; Doering. Vox *quisque* arcte jungenda cum *omnes*, vel delenda; vel legendum *cuique*, aut *velut diis quoque auctoribus in s. s. a.*

Cap. XLVI. 1. *Lupus intraverat castra... et examen apum*, etc.; vide ad I, 31, n. 1, et Sil. VIII, 635, 638 sq.

2. *Quibus procuratis* prodigiis; vid. ad I, 20, n. 11. — *Exque propinquo*. Male esse collocatam particulam *que* censet Creverius, qui cum Gronovio legit *ad cast. hostium ex propinquo copiasque*. Ascensius primus edidit *ex colle propinquo ad copias;* quod

fit Hannibali, et ipsi cum equitibus ad exploranda circa loca progresso. Neutri alteros primo cernebant: densior deinde incessu tot hominum equorumque oriens pulvis signum propinquantium hostium fuit. Constitit utrumque agmen, et prælio sese expediebant. Scipio jaculatores et gallos equites[3] in fronte locat; Romanos, sociorumque quod roboris fuit, in subsidiis. Hannibal frenatos equites in medium accipit[4], cornua Numidis firmat. Vixdum clamore sublato, jaculatores fugerunt inter subsidia ad secundam aciem[5]: inde equitum certamen erat aliquandiu anceps; dein, quia turbabant equos pedites intermixti, multis labentibus ex equis, aut desilientibus, ubi suos premi circumventos vidissent, jam magna ex parte ad pedes

in corrigendis repetivit Aldus, et Juntas Moguntinique expresserunt. At non video cur nostra lectio sollicitanda sit; Scipio ibat ad castra hostium, ut ex propinquo ejus copias specularetur; planus est sensus. Ed.

3. *Scipio jaculatores et gallos equites*, qui leviores erant equitatu romano et sociorum, *in fronte locat, romanos* equites *sociorumque quod rob. fuit* (in equitatu) *in subsidiis*, ut apud Polyb. III, 65 (ubi cf. Schweigh.), προθέμενος τοὺς ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς ἅμα τούτοις Γαλατικοὺς ἱππεῖς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐν μετώπῳ καταστήσας, levem armaturam locavit ante gravem, gravemque in frontem direxit: nam μέτωπον in acie nonnunquam Polybio dicitur frons illius partis aciei, quæ stabilis est, et graviter armata.

4. *Hannibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat;* confer ad cap. 44 pr. Polyb. loc. laud. τὴν μὲν κεχαλινωμένην ἵππον καὶ πᾶν τὸ στάσιμον αὐτῆς κατὰ πρόσωπον τάξας, ἀπῆντα τοῖς πολεμίοις, in media acie ex adverso hosti frontique Scipionis opposuit, τοὺς δὲ Νομαδικοὺς ἱππεῖς ἀφ' ἑκατέρου τοῦ κέρατος ἡτοιμάκει πρὸς κύκλωσιν, ab utroque cornu præparavit ad cingendum hostem, et vel a lateribus, vel a tergo aggrediendum.

5. *Inter subsidia ad secund. aciem*, lege saltem *subsidia ac secund. ac.*, ut IV, 28; vel dele τὰ *inter subsidia*, quæ MS Cantabr. ignorat, ne prorsus eadem distinguantur, sed Livius paulo ante *in subsidiis*, et nunc *ad secundam aciem* dixerit variandi causa (ut VI, 8, et 23; XXIX, 36), Jac. Gronov. — Me fallit omnino, quæ sit hujus loci sollicitandi causa: plana enim, opinor, viderentur omnia, si is ordo verborum esset: *fugerunt ad secundam aciem inter subsidia*, id est, ad sec. aciem se receperunt, quæ erat *subsidia*. Porro nulla difficultas est in Livii verbis; sensus patet: jaculatores fugerunt *inter* subsidia, quæ stabant *ad* secundam aciem. Ed. — *Equitum* frenatorum, et Roman. sociorumque.

pugna ierat[6]; donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumvecti paululum, ab tergo se ostenderunt. Is pavor perculit Romanos, auxitque pavorem consulis vulnus, periculumque intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum[7]. Hic erit juvenis[8], penes quem perfecti hujusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Pœnisque appellatus. Fuga tamen effusa jaculatorum maxime fuit, quos primos Numidæ invaserunt. Alius confertus equitatus consulem in medium acceptum, non armis modo, sed etiam corporibus suis, protegens, in castra, nusquam trepide neque effuse cedendo[9], reduxit. Servati consulis decus Cœlius ad servum natione ligurem delegat. Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit[10].

XLVII. Hoc primum cum Hannibale prælium fuit; quo facile apparuit, et equitatu meliorem Pœnum

6. *Jam magna ex parte ad pedes pugna ierat* (in MSS *vierat*, unde forsan legend. *venerat*), ὁμοῦ γὰρ ἦν ἱππομαχία καὶ πεζομαχία διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρακαταβαινόντων ἀνδρῶν ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ Polyb. l. l. Conf. ad lib. III, 62, n. 9. — Notat Drakenb. magnam scriptorum partem dare hoc loco *magna ex parte anceps pugna erat*. Sed ex Put. dante *addes* pro *anceps*, acutos librarios struxisse *ad pedes*, quod omnes deinde secuti sunt; non male quidem. Ed.

7. *Periculumque* (consulis) *intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum*, a filio XVII annos nato. Confer ad XXVI, 18, n. 5; Flor. II, 6; Sen. de Ben. III, 33; Sil. IV, 454 sq. inpr. Polyb. X, 3, ubi Lælius testis advocatur hujus rei, quæ III, 65 in illius pugnæ narratione silentio prætermittitur, nisi potius hujus partem aliquam intercidisse recte suspicatur Schweigh.

8. *Hic erit juvenis*, etc.; ita optimi MSS pro vulg. *erat*, probb. Gronovio, Drak. et Stroth., tanquam vividius et præsentius, quia sit futura pars narrationis, etsi rei gestæ præteritæ, ut apud Flor. II, 6, *hic erit Scipio, qui in exitium Africæ crescit*. Conf. supra VII, 1 pr. et Ov. Fast. II, 386. Perperam autem Stroth. jungebat *hic juvenis Africanus appellatus erit*. Imo: *juvenis*, qui postea *Africanus appellatus* est. Itaque ob particip. *appellatus* non restituendum vulg. *erat* suadente Doering.

9. *Effuse sequendo*; vide ad I, 14, n. 7. — *Cœlius* (vide ad c. 38, n. 8) *decus ad servum delegat*; vid. ad VI, 28, n. 3.

10. *Fama obtinuit*: evincit, sc. hoc. At conf. ad I, 4, n. 9.

esse, et ob id campos patentes, quales sunt inter Padum Alpesque, bello gerendo Romanis aptos non esse. Itaque proxima nocte, jussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota, festinatumque ad Padum est; ut ratibus, quibus junxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu atque insectatione hostis, copias trajiceret. Prius Placentiam pervenere, quam satis sciret Hannibal ab Ticino profectos : tamen ad sexcentos moratorum[1] in citeriore ripa, segniter ratem solventes, cepit. Transire non potuit pontem, ut extrema resoluta erant, tota rate in secundam aquam labente. Cœlius auctor est, Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse; ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint[2] : nam neque equites, armis equisque salvis, tantam vim fluminis superasse verisimile est, ut jam Hispanos omnes inflati transvexerint

Cap. XLVII. 1. *Ad sexcentos moratorum* (vide ad XXIV, 41, n. 2), etc. Cf. Polyb. III, 66. — *Ut*, postquam, vel simul ac, *extrema resoluta erant, tota rate*, ponte (ut græce σχεδία tam navigium quam pons est), *in secundam aquam labente*, in aquam secum secundo flumine abripientem pontem, seu ratem; Stroth. *Secunda aqua* dicitur, quæ non ad ripas est, sed in medio gurgite; Ern. *Vi secundæ aquæ* conj. Gronov. — Infra XXIX, 7, « Naves mari secundo misit »; apud Virg. Georg. III, 447, « Secundo defluit amni. » *Secundus* hic et sæpius alibi dicitur de his quæ fluxum, cursumve habent. Ed.

2. *Ea peritis amnis ejus vix fidem fecerint*, vix se probaverint, vix poterunt persuaderi; Gronov. Passive dictum pro *probentur;* Ern. Confer Duker. ad Flor. III, 16, n. 6. — *Ut*, licet, etsi (vide ad II, 38, n. 3) *jam hispanos...utres*, more ipsorum. Cf. cap. 27. — *Pro ut jam.* J. H. Vossius conjecit *etiamsi*, sed vulgatam tuetur Walchius, Em. p. 86 sqq., ubi plura collegit exempla, quæ ad firmandam rem pertineant; v. c. inf. XXXIV, 32; XLII, 12; Quint. Curt. V, 8, 12. — *Petenda fuerant.* Aliquot Gronoviani, omnes nostri, teste Creverio, *fuerint.* « Nam in ea re, quæ non ponatur pro vera, sed ex qua concessa et data aliquid inferatur absurdi, modus potentialis eleganter et proprie usurpatur. Cætera hujus periodi nequidquam sollicitat Gronovius. » Ed.

utres; et multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerant, qua exercitus[3] gravis impedimentis traduci posset. Potiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate jungendo flumini inventum tradunt; ea cum Magone[4] equites Hispanorum expeditos præmissos. Dum Hannibal, circa flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, trajicit gravius peditum agmen, interim Mago equitesque ab transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hostes contendunt. Hannibal paucis post diebus sex millia a Placentia castra communivit, et postero die, in conspectu hostium acie directa, potestatem pugnæ fecit.

XLVIII. Insequenti nocte cædes in castris romanis, tumultu tamen quam re major[1], ab auxiliaribus Gallis facta est. Ad duo millia peditum, et ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Hannibalem transfugiunt : quos Pœnus benigne alloquutus, et spe ingentium donorum accensos, in civitates quemque suas, ad sollicitandos popularium animos dimisit. Scipio, cædem eam signum defectionis omnium Gallorum esse ratus, contactosque eo scelere[2], velut injecta rabie, ad arma ituros, quanquam gravis adhuc vulnere erat, tamen quarta vigilia noctis insequentis, tacito agmine profectus ad Trebiam fluvium, in loca altiora[3] lucosque impeditiores equiti castra movet. Minus, quam ad Ticinum, fefellit; missisque Hannibal primum Numidis, deinde omni equitatu, turbasset utique novissimum agmen, ni aviditate prædæ in va-

3. *Qua* (parte) *exercitus*, etc.; ut *ea cum Magone*, etc.

4. *Cum Magone;* apud Polyb. l. l. cum Hasdrubale.

Cap. XLVIII. 1. *Tumultu tamen quam re major;* vide ad c. 31, n. 12. Ad rem confer Polyb. III, 67.

2. *Contactosque eo scelere;* hoc est, pollutos, contaminatos; v. ad librum II, cap. 5, n. 3. Ed.

3. *In loca altiora* (γεωλόφους, tumulos, apud Polyb.) *lucosque:* ita in MS Gud. In reliquis *locusque*, et in plerisque edd. *collesque* ex emend.

cua romana castra Numidæ devertissent. Ibi dum, perscrutantes loca omnia castrorum, nullo satis digno moræ pretio tempus terunt, emissus hostis de manibus est: et quum jam transgressos Trebiam Romanos, metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt[4], citra flumen interceptos. Scipio, nec vexationem vulneris in via jactanti[5] ultra patiens, et collegam (jam enim et revocatum ex Sicilia audierat) ratus exspectandum, locum, qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communiit. Nec procul inde Hannibal quum consedisset[6], quantum victoria equestri elatus, tantum anxius inopia, quæ per hostium agros euntem, nusquam præparatis commeatibus, major in dies excipiebat, ad Clastidium[7] vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, mittit. Ibi quum vim pararent, spes facta proditionis: nec sane magno pretio, numis aureis quadringentis, Dasio brundusino, præfecto præsidii, corrupto,

Vallæ.—*Devertissent;* al. *divertissent*, male; vide ad I, 51, n. 2. Cf. Polyb. III, 68.

4. *Paucos moratorum occiderunt;* conf. ad c. 47, n. 1.

5. *Vexationem vulneris in via jactanti* ipsum, vel vulnus, ob asperitatem: nisi legend. *jactati;* ut *jactatio cicatricis*, vel itineris XXIX, 32, et *vulneris* XXX, 19, et in simili loco Curt. VI, 1 pr. (*jactationem vulnerum haud facile tolerantem*). Conf. ad cap. 26, n. 5. *Jactantis* multi MSS et edd. vett. *Ingravescentis* emend. Doer.

6. *Nec procul inde Hannibal quum consedisset*, intervallo quinque mill. pass. et Trebia fluvio inter utraque castra interjecto. Conf. Polyb. III, 68, qui et *inopiam* ejus a Gallis sublevatam dicit.

7. *Ad Clastidium*, hod. *Chiavigo*, vel *Chiasteggio*. *Vicus* dicitur h. l. et Γαλατικὴ κώμη Plut. in Marcello, pag. 300; sed oppidum inf. XXXII, 29; et Polyb. II, 34; III, 69; Galliæ tribuitur XXIX, 11; XXXII, 31, et a Plut. Marcell. pag. 300, et Liguriæ inf. XXXII, 29; nisi ibi cum Sigonio et Cellar. Geogr. ant. II, 9, legend. *Caristum*. Galli certe Cisalpini a Liguribus distinguuntur XXI, 58 pr. XXVII, 49; XXXIX, 2, et al. Sed Clastidium in dubiis utriusque gentis finibus fuisse positum, vel hanc Liguriæ partem inter Apenninum et Padum Livii tempore ad Galliæ Cisalpinæ provinciam pertinuisse, suspicabatur Cluver. Ital. Ant. I, 10, p. 79. Ad rem conf. Polyb. III, 69.—*Mittit* milites, partem copiarum. Dura ellipsis, et forte excidit una alteraque vox. — *Numis aureis*. Atticis pares hi fue-

traditur Hannibali Clastidium. Id horreum fuit Pœnis sedentibus ad Trebiam[8]. In captivos ex tradito præsidio, ut fama clementiæ in principio rerum colligeretur, nihil sævitum est.

XLIX. Quum ad Trebiam terrestre constitisset bellum[1], interim circa Siciliam insulasque Italiæ imminentes, et a Sempronio consule, et ante adventum ejus, terra marique res gestæ. Viginti quinqueremes, cum mille armatis ad depopulandam oram Italiæ a Carthaginiensibus missæ, novem Liparas, octo insulam Vulcani tenuerunt; tres in fretum avertit æstus. Ad eas conspectas a Messana duodecim naves ab Hierone, rege Syracusanorum, missæ, qui tum forte Messanæ erat, consulem romanum opperiens, nullo repugnante captas naves Messanam in portum deduxerunt. Cognitum ex captivis, præter viginti naves, cujus ipsi classis essent[2], in Italiam missas, quinque et triginta alias quinqueremes Siciliam petere ad sol-

runt, id est, didrachmales; Romæ nondum signari aurum cœptum erat. Quadringenti numi æquabant pondere 12 marcas nostrates cum 4 unciis. Ed.

8. *Sedentibus ad Trebiam*, ut paulo ante *consedisset* in castris, stativis; castra posuisset. Conf. ad IX, 44, n. 7.

Cap. XLIX. 1. *Terrestre constitisset bellum*, substitisset, quiesceret, ut XXII, 32, et XXXV, 4. Eodem sensu cap. 48 extr. dictum, Pœnos *sedisse ad Trebiam*. Confer Gron. Obss. IV, 26, pag. 418. — *Novem* naves *tenuerunt* (vide ad I, 1, n. 8) *Liparas*, forte *Liparam* (h. *Lipari*), vel plur. pro sing. positus, quoniam insula et oppidum ejus idem habuere nomen. Lipara princeps est et maxima insularum, quæ Liparææ, seu Liparenses ab illa, et propter ventos ignesque subterraneos Æliæ et Vulcaniæ, vel Hephæstiades vocantur; et quas plerique numero septem, at Appian. Bell. civ. V, 105, quinque, Ptolem. quindecim, et Isidorus novem fuisse tradunt. Inter Liparam et Siciliam est Hiera, κατ' ἐξοχὴν dicta *Vulcani insula*, Ἱερὰ Ἡφαίστου, Vulcania, h. *Volcano*, sacra præ reliquis Vulcano, et templo ejus ornata; quamvis et cæteræ Vulcano assignantur, in primis Lipara : unde Livius cap. 51, *Vulcani insulas* dixit. Conf. ad Sil. XIV, 56 seq.; Strab. VI, 2, n. 10, 11, p. 275 seq. al. 424; Plin. III, 9, seu 14; Diodor. V, 7-10; Heyn. ad Virg. Æn. I, Exc. I, et ad VIII, 416 seq. Cæterum de argumento hujus cap. non nisi perpauca dixit Polyb. III, 41 et 61.

2. *Naves, cujus ipsi classis essent*, vide ad cap. 30, n. 5.

licitandos veteres socios. Lilybæi occupandi præcipuam curam esse : credere eadem tempestate, qua ipsi disjecti forent[3], eam quoque classem ad Ægates insulas dejectam. Hæc, sicut audita erant, rex M. Æmilio prætori, cujus Sicilia erat provincia, perscribit, monetque, Lilybæum firmo teneret præsidio. Extemplo et circa a prætore[4] ad civitates missi legati tribunique, qui suos ad curam custodiæ intenderent[5] :

3. *Eadem tempestate, qua ipsi disjecti forent,* dispersi, *eam quoque classem ad Ægates insulas* (vide ad cap. 10, n. 8) *dejectam,* ut XXIII, 40 et 34 extr. ubi vulgo male legitur *ejicitur,* et Gron. monet, naufragos tantum *ejici;* at *dejici,* qui summa re salva vi ventorum, seu tempestate vertantur, et depellantur a cursu, vel a medio mari ad inferiorem partem. Sic *ejici* scilicet per tempestatem XXXIII, 41; XLIV, 28 (de fuga navali), et XLIV, 19, ubi Gron. et Drak. conj. *rejectos,* hoc est, relatos, quia *ejici* propr. dicantur naufragi, aut qui sint tempestate ablati eo, ubi nondum fuerint, nec quo tetenderint. (Sed obstat ibi vox *bis.*) Confer ad Tac. Ann. II, 24, n. 2, et de verbo *disjecti* ad Tac. Ann. I, 32, n. 7; et II, 13, n. 9. Hinc et infra XXXVIII, 56, *disjecta tempestate statua* pro : membra statuæ diffracta dispersaque; nisi leg. *dejecta,* scilicet de basi vel monimento. Confer ibi Drak. At *dejicere præsidium,* etc. XXVIII, 7; XLIV, 35 al. est ejicere, expellere. — *M. Æmilio.* Sic ediderunt Drakenb. et Creverius, quum multi dederint *rex Messanæ Æmilio,* aut *Messana,* quod in Gronoviorum edd. legere est. Verum quoniam non modo Flor. omittit *Messanæ,* sed etiam Put. consentiens insuper legit *M. Æmilio,* non dubitandum est, quin ita sit edendum. Ed. — *Æmilio prætori* hujus anni; Sigon. et Pigh. « Sed Sempronius consul hoc anno Africam cum Sicilia sortitum, et in Siciliam profectum scribunt Liv. cap. 17, 50, et Polyb. III, 41, 61. Unde non absurde quis colligat, Æmilium anno superiore præturam gessisse, ac Siciliam provinciam habuisse, et in ea ex more Sempronium consul. successorem exspectasse. Potest tamen vera esse sententia Sigonii et Pighii. Livius autem non nisi per occasionem prætores aliquot hujus anni nominat: et forte, lib. XX, de comitiis eorum egerat. Verum ne comitia quidem prætorum anni seq. memorat : qua in re diligentia illius desiderari potest. » Duk.

4. *Extemplo et circa a prætore* (id ex MS Flor. a. m. sec. reposui cum Stroth. prob. Drak.) *ad civitates missi legati,* confer ad I, 4, n. 11, et I, 9, n. 1. Vulgo *circa prætorem,* id est, circa eum locum, ubi prætor erat; Stroth. Gron. jungebat *legati circa prætorem,* hoc est, qui circa illum erant, eumque honoris causa assectabantur relictis præsidiis suis. Confer Intpp. Suet. Cæs. 27, et Broukh. ad Tibull. I, 3, v. 87. Vulgo tamen ita dici *qui circa aliquem sunt,* ut οἱ περὶ τὸν Πλάτωνα loquendi modo apud Græcos usitatissimo, monet Drak.

5. *Qui suos ad curam custodiæ intenderent,* ad intentiorem custodiam

ante omnia Lilybæum teneri; ad apparatum belli, edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent: ubi signum datum esset, ne quis moram conscendendi faceret; perque omnem oram quidam[6] ex speculis prospicerent adventantem hostium classem. Simul itaque (quanquam de industria morati cursum navium erant Carthaginienses, ut ante lucem accederent Lilybæum) præsensum tamen est, quia et luna pernox erat[7], et sublatis armamentis veniebant; extemplo datum e speculis signum, et in oppido ad arma conclamatum est, et in naves conscensum. Pars militum in muris portarumque in stationibus, pars in navibus erant: et Carthaginienses, quia rem fore haud cum imparatis cernebant, usque ad lucem portu se abstinuerunt, demendis armamentis eo tempore aptandaque ad pugnam classe absumpto. Ubi illuxit, recepere classem in altum, ut spatium pugnæ esset, exitumque liberum e portu naves hostium haberent. Nec Romani detrectavere

excitarent. — *Ante omnia Lilybæum teneri;* vide ad V, 25, n. 4. — *Socii navales;* vide ad IX, 38, n. 1.

6. *Perque omnem oram quidam*, etc. ex emend. Fabri reposuimus. Vulgo inepte pro *quidam* legitur *qui erant*, et τὸ *erant* ab omnibus fere MSS abest. Non male etiam Gron. conj. *p. o. o. uti ex s. prospicerent*, scilic. homines cujusque oræ, vel custodes ad id destinati. — Walchius in Emendat. pag. 89, defendit *qui erant ex speculis;* locum tamen magis explicandum quam emendandum ita assumit: « Legitima sane constructio, in qua nullus hæreret grammaticus, erat hæc, *perque om. or. qui erant in spec., ex spec. prospicerent.* Sed ab hac ratione Livius ita deflectit, βραχυλογίᾳ ductus, ut in electione præpositionis potius verbi, quod animo obversabatur, quam relativi rationem haberet. » Ea deinde confirmat exemplis, ablegans ad XXV, 2, n. 7; XXVII, 24, et alio. Ed.— Mox proprie dicendum erat: *Simul* ac *itaque præsensum est Carthaginienses* accedere (quod, *quamquam de industria... Lilybæum, præsensum tamen est, quia...veniebant*), *extemplo*, etc. Hæc brevius expressit Livius, ne verba *præsensum est* bis ponenda essent.

7. *Luna pernox erat*, vide ad V, 28, n. 5. — *Sublatis armamentis*, in altum elatis, ut procul conspici possent; Sigon. Contra mox *armamenta demere*, de Pœnis, ad pugnam navalem se expedientibus, ut XXVI, 38;

pugnam, et memoria circa ea ipsa loca gestarum rerum[8] freti, et militum multitudine ac virtute.

L. Ubi in altum evecti sunt, Romanus conserere pugnam, et ex propinquo vires conferre[1] velle: contra eludere Pœnus, et arte, non vi, rem gerere, naviumque, quam virorum aut armorum, malle certamen facere: nam ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebant: et, sicubi conserta navis[2] esset, haudquaquam par numerus armatorum ex ea pugnabat. Quod ubi animadversum est, et Romanis multitudo sua auxit animum, et paucitas illis minuit. Extemplo septem naves punicæ circumventæ; fugam cæteræ ceperunt. Mille et septingenti fuere in navibus capti, milites nautæque; in his tres nobiles Carthaginiensium. Classis romana incolumis, una tantum perforata navi, sed ea quoque ipsa reduce, in portum rediit. Secundum hanc pugnam[3], nondum gnaris ejus, qui Messanæ erant, Ti. Sempronius consul Messanam venit. Ei fretum intranti rex Hiero classem ornatam obviam duxit: transgressusque ex regia in prætoriam navem, gratulatus sospitem cum exercitu et navibus advenisse, pre-

XXXVI, 44, *componere, inclinare, contrahere, demittere. Armamenta* sunt antennæ, vela, mali, rudentes, remi, et omne instrumentum nauticum; unde et navis iis instructa dicitur *armata* (conf. ad IX, 40, n. 12): deinde instrumenta cujusve generis, ut XXVI, 43, n. 2.

8. *Circa ea ipsa loca gestarum rerum;* vide ad cap. 10, n. 8.

Cap. L. 1. *Vires conferre;* vide ad XXI, 1, n. 2. — *Eludere;* vide ad II, 48, n. 6. — *Sociis navalibus;* vide ad IX, 38, n. 1. — *Inopem milite.* Mirum si socii navales non erant milites; nisi milites solos carthaginienses cives, non socios intellexerit; aut socios fortasse, qui ducendis navibus idonei, cæterum ad pugnandum inutiles: id quod quibusdam magis verisimile; Glar. *Socios navales* hoc loco vocat eos qui nautica ministeria aliqua in navi obeunt. Ed.

2. *Conserta navis;* vide ad VI, 12, n. 7.

3. *Secundum hanc pugnam* (vide ad I, 4, n. 1), *nondum gnaris ejus,* scilicet pugnæ, ad Lilybæum commissæ. — *Fretum intranti* Siculum. — *Classem ornatam;* v. ad IX, 40, n. 12.

catusque prosperum ac felicem in Siciliam transitum, statum deinde insulæ, et Carthaginiensium conata exposuit : pollicitusque est, quo animo priore bello populum romanum juvenis adjuvisset [4], eo senem adjuturum. Frumentum vestimentaque sese legionibus consulis, sociisque navalibus gratis præbiturum. Grande periculum Lilybæo maritimisque civitatibus esse, et quibusdam volentibus novas res fore. Ob hæc consuli nihil cunctandum visum, quin Lilybæum classe peteret; et rex regiaque classis una profecti. Navigantes inde, pugnatum ad Lilybæum, fusasque et captas hostium naves, accepere.

LI. A Lilybæo consul, Hierone cum classe regia dimisso, relictoque prætore ad tuendam Siciliæ oram, ipse in insulam Melitam [1], quæ a Carthaginiensibus tenebatur, trajecit. Advenienti Hamilcar, Gisgonis filius, præfectus præsidii, cum paulo minus duobus millibus militum, oppidumque cum insula traditur : inde post paucos dies reditum Lilybæum, captivique et a consule et a prætore, præter insignes nobilitate viros, sub corona venierunt [2]. Postquam ab ea parte satis tutam Siciliam censebat consul, ad insulas Vulcani [3] (quia fama erat, stare ibi punicam classem) tra-

4. *Priore bello populum romanum juvenis adjuvisset;* confer XXIV, 4, et Polyb. I, 16. — *Grande periculum Lilybæo esse*, jam adesse a Pœnis, *et, quibusdam volentibus novas res,* quum quidam eas optarent (vide ad I, 52, n. 1; et XXI, 39, n. 4), *fore*, scilic. grande periculum, adhuc imminere Lilybæo. Ita exponere malim, quam cum Stroth. τὸ *volentibus* dupliciter capere, ut tam ad *novas res*, quam ad *fore* referatur, et altera vice significet *cupientibus*, altera *non invitis*. Idem tamen non male conj. *et a quibusdam*. Confer ad cap. 39, n. 4, ubi Gronov. monet, perperam deleri τὸ *fore* a Grutero, non cogitante se corrumpere elegantiam verbi *volentibus :* quare *volentibus fore* junxisse videtur.

Cap. LI. 1. *Insula Melite* inter Siciliam et Libyam, hodie *Malta;* vide ad Sil. XIV, 251; Diodor. V, 12; Cic. Verr. II, 72; IV, 46; Acta Apostol. XXVIII, 7.

2. *Sub corona venierunt;* vide ad II, 17, n. 3.

3. *Ad insulas Vulcani;* vide ad cap. 49, n. 1.

jecit. Nec quisquam hostium circa eas insulas inventus. Jam forte transmiserant ad vastandam Italiæ oram : depopulatoque vibonensi agro[4], urbem etiam terrebant. Repetenti Siciliam consuli exscensio hostium in agrum vibonensem facta nuntiatur : literæque ab senatu de transitu in Italiam Hannibalis, et, ut primo quoque tempore collegæ ferret auxilium, missæ traduntur. Multis simul anxius curis, exercitum extemplo in naves impositum[5], Ariminum supero mari misit : Sex. Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus[6] vibonensem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit : M. Æmilio prætori quinquaginta navium classem explevit : ipse, compositis Siciliæ rebus, decem navibus oram Italiæ legens, Ariminum pervenit : inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen, collegæ conjungitur.

LII. Jam ambo consules, et quidquid romanarum virium erat, Hannibali oppositum[1], aut illis copiis defendi posse romanum imperium, aut spem nullam

4. *Vibonensi agro*, parte agri Bruttiorum, cujus *urbs* olim dicta *Hippo*, vel potius Ἱππώνιον, postea *Vibo*, seu *Vibon*, et *Vibona Valentia*, hodie *Monte Leone* et *Bivona :* unde *Valentini* et *Vibonenses* dicti; vide XXXV, 40; Strab. VI, 1, 5, p. 256, al. 393; Plin. III, 5, seu 10; Græv. ad Cic. Ep. ad Att. III, 3. — *Exscensio*. Altera lectio est *excursio*, at minus bona; nam proprium est et Livio familiare hoc verbum, quoties de homine navibus egrediente agitur; gallice *faire une descente*. Ed.

5. *Exercitum extemplo in naves impositum, Ariminum* (hodie Rimini, opp. Umbriæ trans Apenninum ad oram maritimam situm, ubi mari Hadriatico miscetur *Ariminus* flum., hodie *Marecchia*). — *Supero mari* (vid. V, 33, n. 3) *misit;* confer Polyb. III, 61 et 68, qui tamen pedestri itinere exercitum eo missum tradit : unde Schweigh. suspicatur, jam Livium apud Polyb. III, 61, in codice suo ἐξώρμησε legisse pro ἐξώρκισε. Veriora autem eum docere potuisset Polybius, III, 68.

6. *Longis navibus;* vide ad cap. 17, n. 5. — *Oram Italiæ legens*, præternavigans, ut 35, 27, n. 3. Confer ad Tac. Ann. VI, 1, n. 1.

Cap. LII. 1. *Jam ambo consules... oppositum;* vide ad librum I, cap. 53, n. 1.

2. *Equestri prælio uno, et vulnere suo minutus;* fractus animo et viribus: quo sensu Apollon. 1 et 4, μινύθων πόθῳ et ἀμηχανίῃ, Lucianus vero de merc. cond. I, 342, μειοῦσθαι dixit;

aliam esse, satis declarabat. Tamen consul alter, equestri prælio uno, et vulnere suo minutus[2], trahi[3] rem malebat : recentis animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur. Quod inter Trebiam Padumque agri est, Galli tum incolebant; in duorum præpotentium populorum certamine, per ambiguum favorem, haud dubie gratiam victoris spectantes. Id Romani, ne quid modo moverent, æquo satis, Pœnus periniquo animo ferebat, ab Gallis accitum se venisse ad liberandos eos, dictitans. Ob eam iram, simul ut præda militem aleret, duo millia peditum et mille equites, Numidas plerosque, mixtos quosdam et Gallos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas jussit. Egentes ope Galli, quum ad id dubios servassent animos[4], coacti ab auctoribus injuriæ ad vindices futuros declinant : legatisque ad consulem missis, auxilium Romanorum terræ ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti, orant. Cornelio nec causa, nec tempus agendæ rei placebat : suspectaque ei gens erat, quum ob infida multa facinora, tum, ut alia vetustate obsolevissent[5], ob recentem Boiorum perfidiam. Sem-

Gron. Vox *uno* h. l. parum apta. *Victus* conj. Stroth. et *una* Sigon. Hoc si voluisset Livius, *simul* posuisset; Gron. Forte leg. *vano*.

3. *Trahi rem;* vide ad II, 61, n. 6. — *Recentis animi alter;* v. ad III, 62, n. 3. — *Ne quid modo moverent*, ut modo quieti essent, nec se jungerent Pœnis. Ad seqq. cf. Polyb. III, 69.

4. *Quum ad id dubios servassent animos;* vide ad II, 23, n. 3. — *Legatisque ad consulem missis*, scilicet Cornelium; forsan quia nihildum de Sempronii adventu sciebant Galli; Stroth. Malim intelligere Sempronium, quia in castris omnia solus agit (conf. Polyb. loco laudato) : nisi potius cum Drak. leg. *consules*. Confer tamen ad XXIV, 24, n. 1. — Quum alii alterum consulem intelligant, legerem libens cum Drak. *consules*. Etenim junxerant copias ; constatque ex sequentibus ambos de auxilio Gallis ferendo consultasse. Suspicor igitur olim per compendium scriptum fuisse *ad cons.* unde librarii aliud agentes dederunt *consulem*, quum esset *consules*. Aliter hanc difficultatem explanare tentat Gronovius, existimans unus appellatione ambos comprehendi, quasi subaudiatur *utrumque*. Eligat lector. Ed.

5. *Ut alia vetustate obsolevissent;* vide ad II, 38, n. 3. — *Ob recentem Boiorum perfidiam;* conf. cap. 25. —

pronius contra, continendis in fide sociis maximum vinculum esse primos, qui eguissent ope, defensos censebat. Tum, collega cunctante, equitatum[6] suum, mille peditum jaculatoribus ferme admixtis, ad defendendum gallicum agrum trans Trebiam mittit. Ii, sparsos et incompositos, ad hoc graves præda plerosque, quum inopinatos invasissent, ingentem terrorem cædemque ac fugam usque ad castra stationesque hostium fecere : unde multitudine effusa pulsi, rursus subsidio suorum prælium restituere. Varia inde pugna sequente[7], quanquam ad extremum æquassent certamen, major tamen hostium Romanis fama victoriæ fuit.

LIII. Cæterum nemini omnium major justiorque, quam ipsi consuli, videri; gaudio efferri[1], *qua parte*

*Continendis in fide sociis*, ad reliquos in fide socios continendos, *maximum vinculum esse defensos primos*, etc.; hoc est, defensionem eorum, qui primum ope eguissent.

6. *Equitatum suum*, etc. Τῶν μὲν ἱππέων τὸ πλεῖστον μέρος, πεζοὺς δὲ σὺν τούτοις ἀκοντιστὰς εἰς χιλίους, Polyb. III, 69. — *Ad hoc* (al. *hæc*) *graves præda;* vide ad II, 23, n. 3.

7. *Varia inde pugna sequente*, etc. Confer Polyb. III, 69. *Sequente* pro vulg. *sequentes* scripsi ex emend. Jac. Gron. *Cedentes sequentesque* conj. J. Fr. Gron. Mox junge : *major tamen fama victoriæ hostium*, de victis hostibus, *Romanis*, apud Romanos, *fuit;* hoc est, Romani tamen de victis hostibus magis gloriati sunt; Doer. Durior est ratio eorum, qui ad *hostium* ex seqq. *victoriæ fama* intelligunt. Alii hæc menda non carere facile putant animadverti. *Major tamen justiorque romanæ f. v. f.* conj. J. Fr. Gron. ut Livius scita verborum repetitione luserit; confer cap. seq. pr. *m. t. cum Romanis f. v. f.* (ut XXIII, 33, *tertia victoria cum Pœnis erat*) Jac. Gron. Vocem *cædes* post *hostium* inserebat Burm. Sed τὸ *major* ad *famam* referendum; confer verba seqq. — Burmanni conjecturam referens Drakenb. putat tale quid Livium voluisse; cui fidem facit Polyb. III, 69 : οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἀνέλυσαν ὀλίγους μὲν αὐτῶν ἀποβαλόντες, πλείους δὲ τῶν Καρχηδονίων διεφθαρκότες. Clericus, præfatus Livium brevitati studentem sæpe paulo obscuriorem fieri, locum integrum putat, et ita exponit : major tamen fama victoriæ fuit Romanis, quam fama victoriæ hostium; sed hanc obscuritatem a Livio Drak. rejic. Ed.

Cap. LIII. 1. *Gaudio efferri* cœpit, *ea* parte *se vicisse*. Ita et accusat. cum infin. excipit verbum *gaudere;* neque opus est, cum Stroth. ad *vicisse* intelligere *secum reputans* (confer ad II, 32, n. 6), et ne ad seqq. quidem : vide mox n. 3. Ad seqq. cf. Polyb. III, 70.

*copiarum alter consul victus foret, ea se vicisse. Restitutos ac refectos militibus animos: nec quemquam esse, præter collegam, qui dilatam dimicationem vellet: eum, animo magis, quam corpore, ægrum, memoria vulneris aciem ac tela horrere. Sed non esse cum ægro senescendum*[2]*: quid enim ultra differri aut teri tempus? Quem tertium consulem, quem alium exercitum exspectari? Castra Carthaginiensium in Italia, ac prope in conspectu Urbis esse. Non Siciliam ac Sardiniam victis ademptas, nec cis Iberum Hispaniam peti, sed solo patrio, terraque, in qua geniti forent, pelli Romanos.* « Quantum ingemiscant, inquit, « patres nostri, circa mœnia Carthaginis bellare soliti, « si videant nos, progeniem suam, duos consules con- « sularesque exercitus, in media Italia paventes intra « castra? Pœnum, quod inter Alpes Apenninumque « agri sit, suæ ditionis fecisse? » Hæc assidens ægro collegæ, hæc in prætorio prope concionabundus agere[3]: stimulabat et tempus propinquum comitiorum, ne in novos consules bellum differretur, et occasio in se unum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque, nequidquam dissentiente Cornelio, parari ad propinquum certamen milites jubet. Hannibal, quum quid optimum foret hosti, cerneret, vix ullam spem habebat, temere atque improvide quidquam consules acturos, quum alterius ingenium[4], fama prius, deinde

2. *Non esse cum ægro senescendum;* vide ad I, 22, n. 3.

3. *Concionabundus agere;* vide ad VIII, 33, n. 13. Ab his verbis pendent infinitivi præcedd. — *Ne in novos consules bellum differretur,* hoc est, in proximum annum; vide ad X, 31, n. 10. Sic *legati ad novos magistratus dilati,* hoc est, legatio eorum in proximum annum dilata, XLI, 8, *in spem impetrandi honoris dilati,* hoc est, spes et petitio honoris dilata, XXXIX, 32, *dilatus per frustrationem,* dilatum responsum ipsi dandum XXV, 25, n. 3; *differre aliquem* apud Tac. Hist. II, 71, et Cic. ad Div. V, 12. Confer ad Tac. Ann. XIII, 20, n. 7. Similiter *rejicere rem ad novos magistratus,* etc.; vide ad II, 22, n. 4.

4. *Alterius ingenium...re cogni-*

re cognitum, percitum ac ferox scirèt esse, ferociusque factum prospero cum prædatoribus suis certamine crederet; adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat. Cujus ne quod prætermitteret tempus, sollicitus intentusque erat, dum tiro hostium esset miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, dum Gallorum animi vigerent, quorum ingentem multitudinem sciebat segnius sequuturam, quanto longius ab domo traherentur. Quum ob hæc taliaque speraret propinquum certamen[5], et facere, si cessaretur, cuperet, speculatoresque Galli, ad ea exploranda, quæ vellet, tutiores, quia in utrisque castris militabant, paratos pugnæ esse Romanos retulissent, locum insidiis circumspectare Pœnus cœpit.

LIV. Erat in medio rivus, præaltis utrimque clausus ripis, et circa obsitus palustribus herbis, et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque : quem ubi equiti quoque tegendo[1] satis latebrosum locum circumvectus ipse oculis perlustravit : « Hic « erit locus, Magoni fratri ait, quem teneas. Delige « centenos viros[2] ex omni pedite atque equite; cum « quibus ad me vigilia prima venias. Nunc corpora « curare tempus est. » Ita prætorium missum[3]. Mox

*tum;* alii dant junctis vocibus *recognitum;* minus bene. Ed. — *Percitum,* vehemens, fervidum.

5. *Speraret propinquum certamen, et facere,* ipse committere illud, *si cessaretur* a Romanis, *cuperet;* Doer. Τὸ δὲ μέγιστον, πράττειν τι, καὶ μὴ πρεῖεσθαι διακενῆς τὸν χρόνον, etc. Polyb. III, 70.

Cap. LIV. 1. *Equiti quoque tegendo :* ita MSS, nisi quod in plurimis est *equites.* Vulgo : *ad equites quoque tegendos.* Conf. ad hæc et seqq. Polyb. III, 71.

2. *Delige centenos viros ex omni pedite atque equite,* equitatu; centum pedites, totidemque equites : Hannibal ipse eos delegit teste Polyb. loco laudato, nisi cum Casaubono ibi leg. σημηνάμενον pro σημηνάμενος.—Verba *curare corpus* h. loc. solennia sunt de militibus cibum sumentibus. Ed.

3. *Ita prætorium missum,* consilium bellicum, *der Kriegsrath ;* Stroth. *Prætorium mitti* vel *dimitti* (XXVI, 15; XXX, 5; XXXVII, 5) dicebatur, quum legati, tribuni, centuriones (primi pili), præfecti, et si qui alii

cum delectis Mago aderat. « Robora virorum cerno, « inquit Hannibal: sed, ut et numero etiam, non ani- « mis modo, valeatis, singulis vobis novenos ex tur- « mis manipulisque vestri similes eligite[4]; Mago locum « monstrabit, quem insideatis. Hostem cæcum ad has « belli artes habebitis. » Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis[5], Hannibal prima luce Numidas equites, transgressos Trebiam flumen, obequitare jubet hostium portis, jaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem; injecto deinde[6] certamine, cedendo sensim citra flumen pertrahere : hæc mandata Numidis. Cæteris ducibus peditum equitumque præceptum, ut prandere omnes juberent; armatos deinde, instratisque equis, signum exspectare. Sempronius, ad tumultum Numidarum primum omnem equitatum, ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum, postremo omnes copias ad destinatum[7] jam

circa imperatorem (in prætorio) esse consilii communicandi, aut imperiorum tesserarumque excipiendarum ergo solerent, ab imperatore dimittebantur, ac discedebant, ut et *mitti principia*, quum frequentia, quæ ibi esse soleret, diffluereret; Gron. Confer Lips. de mil. Rom. V, 2, n. 5; Gron. Obss. IV, 10; Oudend. ad Frontin. Strat. II, 5, 30; Schel. ad Polyb. castra pag. 147. *Prætorium* pro stipatoribus et comitibus Hannibalis, hunc locum perlustrantis, poni putabat Periz. de prætorio diss. II, pag. 120, 480, quod refellit Duk. *Præconium* quædam edd. antt. —Turnebus *præconium* intelligit hoc modo; præconem missum esse, qui juberet omnes corpora curare : sed Græcis erant præcones; Carthaginiensibus fuisse non constat. Quare legendum est *prætorium*, quod quidem plurimorum auctoritate nititur. Ed.

4. *Singulis vobis novenos... eligite;* recte, ut *mille equites, totidemque pedites* conficiantur : unde apud Polyb. III, 71, ἐννέα pro δέκα legendum videtur.

5. *Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis :* præter ἀσύνδετον notanda est etiam insolens dictio pro: *Magoni traditis, et cum eo dimissis;* Stroth. (Confer ad I, 33, n. 7.) *Magoni* potius est dativus *cui*, hoc est, ad Magonis imperium, ut sub Magonis imperio pugnarent : nos : *zum Commando des Mago;* Doer. Neutra ratio mihi satisfacit. Malim legere *Magonis*, vel *cum Magone dimissis*, vel *Magoni commissis.*

6. *Injecto deinde* hosti *certamine*, certandi cupiditate. Confer XXXIV, 4, n. 12.

7. *Ad destinatum jam ante consilio*, secundum id, quod jam ante ab eo

ante consilio, avidus certaminis, eduxit. Erat forte brumæ tempus, et nivalis dies in locis Alpibus Apenninoque interjectis, propinquitate etiam fluminum ac paludium prægelidis. Ad hoc raptim eductis hominibus atque equis, non capto ante cibo, non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil caloris inerat : et quidquid auræ fluminis appropinquabant [8], afflabat acrior frigoris vis. Ut vero refugientes Numidas insequentes aquam ingressi sunt (et erat pectoribus tenus aucta nocturno imbri), tum utique egressis rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentia essent [9], et simul lassitudine, procedente jam die, fame etiam deficere.

LV. Hannibalis interim miles, ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos, ut mollirent artus, misso [1], et cibo per otium capto, ubi transgressos flumen hostes nuntiatum est, alacer animis corporibusque arma capit, atque in aciem procedit. [2] Baliares

destinatum, decretum erat. Ex seqq. *certamen* intelligebat Stroth. Idem conj. *ut* pro *at;* et Gron. mox *certamen* pro *certaminis.* Is tamen *ad destinatum* etiam dictum videri putabat, ut *ad constitutum, ad condictum.* In quibusdam MSS et edd. legitur *consilium,* et in plerisque edd., sed in nullo MS, *locum* post *destinatum.* Confer ad hæc et seqq. Polyb. III, 72, quem Livius ad verbum exprimere solet. — *Ad hoc;* vide ad II, 23, n. 3.

8. *Quidquid* (vide ad VII, 32, n. 3) *auræ fluminis appropinquabant,* flumini gelidam exhalanti auram. — Alii *appropinquabat :* Glareano videtur hoc obscure dictum, quamquam sensus utcumque percipitur. Ed.

9. *Ut vix armorum tenendorum potentia essent,* scil. corpora, hoc est, arma tenere possent. *Potentia* est adject., non substant., ut putabat Stroth. Mox *et simul lassitudine e* 3 MSS edidit Drak. et *simul jejuni* Gron. In plerisque MSS legitur *et similitudine;* in quibusdam *et lassitudine;* in edd. antt. *et simul;* nec plus inest verbis Polyb. μόλις, ἕως τῶν μαστῶν οἱ πεζοὶ βαπτιζόμενοι, διέβαινον· ἐξ ὧν ἐκακοπάθει τὸ στρατόπεδον ὑπό τε τοῦ ψύχους καὶ τῆς ἐνδείας, ὡς ἂν ἤδη τῆς ἡμέρας προβαινούσης. Infra tamen : *contra jejuna fessaque corpora Romanis, et rigentia gelu torpebant.* Confer XXVIII, 15 pr.

Cap. LV. 1. *Oleo per manipulos, ut mollirent artus, misso;* ἠλείφοντο καὶ καθωπλίζοντο περὶ τὰ πυρὰ πάντες, Polyb. III, 72.

2. *Baliares* (vide ad cap. 21, n. 7) *locat ante signa levemque armaturam,* ut XXII, 4, et τοὺς λογχοφόρους Βα-

locat ante signa levemque armaturam, octo ferme millia hominum; dein graviorem armis[3] peditem, quod virium, quod roboris erat : in cornibus circumfudit decem millia equitum; et ab cornibus in utramque partem divisos elephantos statuit. Consul effusos sequentes equites[4], quum ab resistentibus subito Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato, revocatos circumdedit peditibus. Duodeviginti millia Romani erant[5], socium nominis latini[6] viginti; auxi-

λιαρεῖς apud Polyb. III, 72 et 83. Hinc *levemque* ex vet. libro Sigon. recepi pro vulg. *levem :* nam Baliares *levis* quidem fuisse *armaturæ*, sed *octo millium hominum* non confecisse, jam monuit Str. qui hinc ἀσύνδετον h. l. esse putat pro : *et reliquam levem armaturam*. Eodem sensu capienda loca (XXVIII, 14 ext.; XXVIII, 15 al.), ubi *velites* distinguuntur a *levi armatura*, cujus plura erant genera; v. ad XXVI, 4, n. 6. Mox tamen *Baliares* et *leves armaturæ* synon. dicuntur. Cæterum *levis* et *gravis armatura* aut *armatus* (ut XXVI, 5, n. 3, et XXXVII, 41) pro militibus leviter graviterque armatis.

3. *Graviorem armis peditem*, peditatum, περὶ δισμυρίους, Ἴβηρας καὶ Κελτοὺς καὶ Λίβυας. Glareanus *graviorem armis peditem* refert ad verbum *circumfundit* (ita enim legit); sed repetendum est ex præcedentibus, ut notat Drak.; non enim graviorem armis peditem circumfundit Baliaribus, sed locat deinde, id est, post Baliares. Id quoque volunt ipsa Polybii verba. Ed.

4. *Consul effusos sequentes equites* (ut cap. 54 extr. *refugientes Numidas insequentes*, nisi leg. *effuse*), *revocatos* (erant autem ad *quatuor millia*, ut Polyb. dicit, et mox Livius) *peditibus* (tert. casu) *circumdedit* ab utroque cornu, *quum ab resistentibus subito Numidis incauti exciperentur*, ignari, quid consilii caperent adversus Numidas, adsuetos, ἀποχωρεῖν μὲν εὐχερῶς καὶ σποράδην (facile, vel scite et sparsim, seu passim terga vertere), ἐπικεῖσθαι δὲ πάλιν ἐκ μεταβολῆς, fronte iterum conversa hostem petere et persequi) τολμηρῶς καὶ θρασέως· τὸ γὰρ τῆς Νομαδικῆς μάχης ἴδιόν ἐστι τοῦτο, Polyb. III, 72.

5. *Duodeviginti millia Romanis* (v. ad XXXV, 20, n. 3) *erant*, scilicet pedites; sed μυρίους ἑξακισχιλίους habet Polyb. qui etiam monet, quod mireris, quoties ob discrimen summæ rerum copias conjunxerint consules, plenum exercitum populi Rom. ex 16 M. peditum et 20 M. sociorum constitisse. Glareanus numerum 16 M. probat, quia legio tum temporis quaternum millium fuerit; vide cap. 17. Scipio autem, maxima exercitus sui parte in Hispaniam cum fratre missa, exiguas copias cum tribus Manlii Atiliique legionibus junxerat. Confer cap. XVII, 26; XXXII, 39.

6. *Socium nominis Latini;* confer ad I, 10, n. 2. Al. *nominisque*. Fuere et socii Italici generis (vide XXII, 13); qui tamen sub illis etiam comprehenduntur; Gron. Confer XXII, 7 et 37.

lia præterea Cenomanorum[7] : ea sola in fide manserat gallica gens. His copiis concursum est. Prælium a Baliaribus ortum est : quibus quum majore robore legiones obsisterent, deductæ propere in cornua leves armaturæ sunt[8]. Quæ res effecit, ut equitatus romanus extemplo urgeretur : nam quum vix jam per se resisterent decem millibus equitum quatuor millia[9], et fessi plerisque integris, obruti sunt insuper velut nube jaculorum a Baliaribus conjecta. Ad hoc elephanti, eminentes ab extremis cornibus (equis maxime non visu modo, sed odore insolito territis), fugam late faciebant. Pedestris pugna par animis magis quam viribus erat; quas recentes Pœnus, paulo ante curatis corporibus, in prælium attulerat : contra jejuna fessaque corpora Romanis, et rigentia gelu torpebant. Restitissent tamen animis, si cum pedite solum foret pugnatum; sed et Baliares, pulso equite, jaculabantur in latera, et elephanti jam in mediam peditum aciem sese tulerant : et Mago Numidæque[10], simul latebras eorum improvida præterlata acies est, exorti ab tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere. Tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquamdiu immota acies, maxime præter spem omnium adversus elephantos : eos velites[11], ad id ipsum locati, verutis

7. *Auxilia præterea Cenomanorum;* vide ad V, 35, n. 1.

8. *Deductæ propere in cornua leves armaturæ :* potius *diductæ,* divisæ; Drak. Ad hæc et seqq. confer Polyb. III, 73, 74.

9. *Quatuor millia* equitum rom. — *Ad hoc;* vide ad II, 23, n. 3.

10. *Mago Numidæque, simul* (vid. ad III, 62, n. 4) *latebras eorum,* etc. de quo insidiarum loco vide cap. 54 pr. — *Simul latebris* apud Lov. 3, et quasdam ex primis edd. male. Deinde *prælata acies est* legendum censet Gebhardus, quod non contemnendum putat Drak. quia hoc sensu apud Livium frequens est; vide XXIX, 32, alibi. Ed. *Exorti;* vide ad IX, 31, n. 6.

11. *Eos velites, ad id ipsum locati, verutis sub caudis fodiebant;* vide ad VIII, 10, n. 5, et X, 29, n. 6. *Velites* h. l. et XXIV, 34, per prolepsin dicti jaculatores, si serior fuit inventio et usus, aut certe nomen Velitum, de

conjectis et avertere, et insequuti aversos sub caudis, qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant.

LVI. Trepidantes, propeque jam in suos [1] consternatos, media acie in extremam, ad sinistrum cornu, adversus Gallos auxiliares agi jussit Hannibal: extemplo haud dubiam fecere fugam: additus quoque novus terror Romanis, ut fusa auxilia sua viderunt. Itaque, quum jam in orbem pugnarent [2], decem millia ferme hominum, quum alia evadere nequissent, media Afrorum acie, quæ gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti cæde hostium perrupere: et quum neque in castra reditus esset flumine interclusis, neque præ imbri satis decernere possent [3], qua suis opem ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures deinde in omnes partes eruptiones factæ: et, qui flumen petiere, aut gurgitibus absumpti sunt, aut inter cunctationem

quo vide ad XXVI, 4. Horum vero propriam cum elephantis pugnam fuisse docet Gron. coll. XXX, 33; Polyb. I, 33 et 40; Veget. III, 24; Isidor. Orig. IX, 3. Cæterum de alia ratione, qua elephanti celerrime interficiuntur, vide XXVII, 49 pr.

Cap. LVI. 1. *Trepidantes, propeque jam in suos* milites, Pœnos, *consternatos* elephantos; vide ad II, 47, n. 3. In plerisque MSS et edd. legitur *trepidantesque prope*, prob. Stroth. qui putabat, *trepidare in aliquem* dici pro *ruere* in eum: quod vix crediderim, etsi non immemor eorum, quæ notavi ad I, 14, n. 6. Mox forte leg. *e* vel *a media acie*, vel *media ab acie*. — *Gallos auxiliatores* dant Ber. et Hafn.; at alibi ea voce Livium usum non meminit Drakenb. neque etiam hujus ævi esse videtur. Ed.

2. *Itaque quum jam in orbem pugnarent*, scilicet undique ab hostibus circumventi; vide ad II, 50, n. 6. — In quibusdam libris reperitur *utrimque pugnarent;* sed a plerisque abest, et certe incommodum est; nam, ut observat Gronovius, *utrimque* significat in partes duas, at *in orbem* ab omni parte; quemadmodum hos fuisse circumventos jam docuit Livius. Ed. — *Quum alia evadere nequissent;* vide ad III, 70, n. 2. In ed. Mogunt. *alio*, et in multis MSS *alii*, hoc est, reliqui præter illa *decem millia;* vide ad IV, 10, n. 2. Mox forte leg. *mediam Afrorum aciem* (in qua præter Afros et Gallos etiam Hispanos fuisse docet Polyb. III, 72, quos Livius significat immotos stetisse), *qua Gallicis... perrupere;* Gronovius. Confer Polybium, III, 74.

3. *Satis decernere possent*, judicare et constituere. Al. *discernere;* vide ad VII, 9, n. 4. — *Qua;* vide ad III, 70, n. 2.

ingrediendi ab hostibus oppressi. Qui passim per agros fuga sparsi erant, vestigia cedentis sequentes agminis, Placentiam contendere. Aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit, transgressique in castra pervenerunt. Imber nive mixtus, et intoleranda vis frigoris, et homines multos, et jumenta, et elephantos prope omnes, absumpsit[4]. Finis insequendi hostis Pœnis flumen Trebia fuit : et ita torpentes gelu in castra rediere, ut vix lætitiam victoriæ sentirent : itaque nocte insequenti, quum præsidium[5] castrorum, et quod reliquum ex magna parte militum erat, ratibus Trebiam trajicerent, aut nihil sensere, obstrepente pluvia; aut, quia jam moveri præ lassitudine nequibant ac vulneribus, sentire sese dissimularunt: quietisque Pœnis, tacito agmine ab Scipione consule exercitus Placentiam est perductus : inde Pado trajectus Cremonam[6], ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur.

LVII. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut jam ad Urbem crederent infestis signis[1] hostem venturum; nec quidquam spei aut auxilii esse, quo portis mœnibusque vim arcerent. *Uno*[2] *consule*

4. *Elephantos prope omnes absumpsit*, ap. Polyb. III, 74, omnes præter unum, quo Hannibal vectus est per paludes Etruriam petens; de quo vide XXII, 2 extr. et Polyb. III, 79. At confer infra cap. 58 extr. et XXIII, 18, n. 2, ubi Livius plane eorum, quæ ipse XXII, 2 extr. dixerat, immemor fuisse videtur, sequutus forte alios auctores.

5. *Quum præsidium castrorum*, etc. Editores autt. *Romanorum* inseruere ante *castrorum*, et mox *Pœni* post *sensere* : quæ voces, ab interprete adjectæ, ab omnibus fere MSS absunt, et sine damno aut ambiguitate sensus omittuntur; Gron. — *Et quod reliquum*, etc. Creverii nota est : Et quod reliquum militum erat, saltem magna ex parte, plerique certe, trajicerent flumen Trebiam. Dicit Livius plerosque Trebiam trajecisse, non omnes, quia aliqua pars profecto Sempronium ad urbem Romam comitata est. Ed.

6. *Trajectus Cremonam*, etc. quod non tradit Polyb.

Cap. LVII. 1. *Infestis signis;* vide ad I, 13, n. 2.

2. *Uno consule ad Ticinum victo;* vide ad II, 32, n. 6. Scabra autem

*ad Ticinum victo, altero ex Sicilia revocato, duobus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quæ arcessantur?* Ita territis Sempronius consul advenit[3], ingenti periculo per effusos passim ad prædandum hostium equites (audacia magis, quam consilio aut spe fallendi resistendive, si non falleret) transgressus. Id quod unum maxime in præsentia desiderabatur[4], comitiis consularibus habitis, in hiberna rediit. Creati consules Cn. Servilius et C. Flaminius[5]. Cæterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus[6], et, qua his impeditiora erant, Celtiberis Lusitanisque : omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi quos Pado naves subveherent. Emporium prope Placentiam fuit[7], et opere magno munitum, et valido firmatum præsidio. Ejus

h. l. oratio, etsi τὰ *victo* et *victis* concoquas; vide ad I, 3, n. 8. Forte cum Gron. leg. *Uno consule ad Ticinum, altero, ex Sicilia revocato, ad Trebiam, cum duobus consularibus exercitibus, victis.* Saltem verba *ad Trebiam* excidisse videntur.

3. *Sempronius consul advenit*, etc. At Polyb. III, 75, tradit, eum nuntios misisse Romam, et magnitudinem cladis elevasse. De itineribus quoque Hannibalis post pugnam ad Trebiam non eadem scribere Livium cap. 57 sq. et XXII, 1, 2; Polybium III, 77 sq., et Nepot. Hann. IV, jam monuit Duk.

4. *Comitiis consularibus habitis, id quod unum maxime desiderabatur.* Non male Gron. conj. *transgressus; et, quod unum*, etc.

5. *Et C. Flaminius II* forte legendum : certe jam anno Urbis 529 consul fuerat. Confer ad cap. 63, n. 3.

6. *Vagantibus passim Numidis equitibus, et, qua* parte, ubi, *his impeditiora erant* loca, ubi Numidæ vagari ob asperitatem locorum non possent, *Celtiberis Lusitanisque :* nam Livius XXII, 18, dicit, Hispanos *assuetiores montibus esse, et ad concursandum inter saxa rupesque aptiores ac leviores, quum velocitate corporum, tum armorum habitu* (ut apud Plutarch.: τῶν ὀρειβατεῖν δεινῶν ἰβήρων ἄνδρες ἐλαφροὶ καὶ ποδώκεις); et XXVIII, 1, *pleraque Hispaniæ esse asperitates viarum et angustias saltibus crebris inclusas;* Gron.

7. *Emporium prope Placentiam fuit*, ἐμπόριον, locus, ubi mercatura exercebatur, et simul *castellum... opere magno munitum*, multo labore : vel potius *opus* est omne munimentum arte factum, verbi causa, murus, fossa, vallum, etc.; ut XXXI, 39, et al. — *Et valido firmatum præsidio*, hoc est, firmum tutumque redditum, ut I,

castelli oppugnandi spe[8] cum equitibus ac levi armatura profectus Hannibal, quum plurimum in celando incepto ad effectum spei habuisset, nocte adortus, non fefellit vigiles. Tantus repente clamor est sublatus, ut Placentiæ quoque audiretur: itaque sub lucem cum equitatu consul[9] aderat, jussis quadrato agmine legionibus sequi. Equestre prælium interim commissum: in quo, quia saucius Hannibal pugna excessit, pavore hostibus injecto, defensum egregie præsidium est. Paucorum inde dierum quiete sumpta, et vixdum satis percurato vulnere, ad Victumvias[10] ire pergit oppugnandas: id emporium a Romanis gallico bello fuerat munitum. Inde locum frequentaverant accolæ mixti undiquè ex finitimis populis; et tum terror populationum eo plerosque ex agris compulerat. Hujus generis multitudo, fama impigre defensi ad Placentiam

33, n. 5; XXII, 49; XXIV, 21, n. 6, al. Similiter *firmare præsidia*, firma validaque reddere, collocare XXXII, 40, n. 4; XLIII, 20, n. 2; XLIV, 8, n. 1; apud Tac. Ann. XIII, 41; Vit. Agric. 14; et *stationes firmare* supra IV, 27; V, 23. Confer ad II, 21, n. 1. De iis, quæ mox et cap. LXVIII, 59, traduntur, nihil apud Polyb.

8. *Ejus castelli oppugnandi spe;* immo *expugnandi:* nam facile quid oppugnatur, sed expugnatio *speratur;* Periz. Confer XL, 31, 33, 47, 50. Forte vox *spe*, quæ mox haud venuste repetitur, e glossa irrepsit; saltem abesse potest; vide ad III, 56, n. 4. — *Quum plurimum in celando incepto ad effectum spei habuisset*, eleganter pro vulgari: quum consilia sua occultando se plurimum effecturum esse sperasset; Doer. Sententia est obvia, non vero elegantia; sive jungas *plurimum habuisset*, sive *plurimum spei habuisset* (posuisset) *in c. i. ad effectum* ejus, ad illud efficiendum, ut *tantum spei habere ad vivendum* apud Cic. ad Att. V, 20 pr. Confer infra XXXV, 26 extr.

9. *Consul aderat.* De P. Scipione hoc intelligit Glareanus, quippe Sempronius Romam ad habenda comitia profectus erat. Cæterum miratur, cur consul, quum hic Hannibali occurrisset, egregieque locum defendisset, non ad Victumvias quoque adfuerit: an quia multitudo temere ibi egerit, ut verisimile est? an quia historia non omnibus vera credita, quippe non ab omnibus scripta, etiam a Polybio omissa, ut quæ luculentum damnum romanis rebus attulerit? Quod ad *consulem* attinet, malo intelligere Sempronium; nam supra dictum est, eum post comitia consularia in hiberna rediisse. Ed. — *Quadrato agmine;* vide ad II, 6, n. 3.

10. *Ad Victumvias;* vid. supra ad cap. 45, n. 1.

præsidii accensa, armis arreptis obviam Hannibali procedit : magis agmina, quam acies[11], in via concurrerunt; et, quum ex altera parte nihil, præter inconditam turbam, esset, in altera et dux militi, et duci fidens miles, ad triginta quinque millia hominum a paucis fusa. Postero die, deditione facta, præsidium intra mœnia accepere : jussique arma tradere quum dicto paruissent, signum repente victoribus datur, ut tanquam vi captam urbem diriperent : neque ulla, quæ in tali re memorabilis scribentibus videri solet, prætermissa clades est : adeo omnis libidinis crudelitatisque et inhumanæ superbiæ editum in miseros est exemplum! Hæ fuere hibernæ expeditiones Hannibalis.

LVIII. Haud longis inde temporibus[1], dum intolerabilia frigora erant, quies militi data est : et ad prima ac dubia signa veris profectus ex hibernis, in Etruriam ducit, eam quoque gentem, sicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate adjuncturus. Transeuntem Apenninum[2] adeo atrox adorta tempestas est, ut Alpium fœditatem prope superaverit. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, primo, quia aut arma omittenda erant[3], aut contra enitentes vortice

11. *Magis agmina quam acies;* vid. ad X, 45, n. 6. — *Agmen* est exercitus eo ordine compositus, quo iter facit; *acies,* quum ad pugnam instructus et dispositus est. Ed. — *Inconditam turbam,* confusam, inordinatam, sine ordine (ut XXV, 1; XXVI, 40 pr.; XXIX, 34, et XLIV, 39 pr.), simulque rudem militaris rei et disciplinæ, ut XXX, 11, et XLIII, 10. Confer ad XXIV, 24, n. 2, et ad Tac. Ann. III, 20, n. 3.

Cap. LVIII. 1. *Haud longis inde temporibus;* immo *haud longi inde* (vide ad cap. 2, n. 4) *temporis quies,* legendum esse suspicatur J. Fr. Gron.

2. *Transeuntem Apenninum,* etc. Eum per Ligures Apenninum transiisse, petentem Etruriam, tradit Corn. Nepos Hann. IV et Sil. IV, 739 seq. Noster conatum modo esse transire dicit. Polybius vero ne id quidem refert.

3. *Aut arma omittenda erant* (vide ad V, 43, n. 4), *aut contra enitentes,* vento obnitentes, contra ventum pugnantes, *vortice intorti,* rotati et correpti, *affligebantur,* ad terram prosternebantur; Doer. Confer ad cap. 35, n. 10, et Gron. Obss. IV, 8. *Vortex,* seu *vertex* omnis res in orbem

intorti affligebantur, constitere : dein, quum jam spiritum includeret[4], nec reciprocare animam sineret, aversi a vento parumper consedere. Tum vero ingenti sono cælum strepere, et inter horrendos fragores micare ignes : capti auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem, effuso imbre, quum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo, quo deprehensi erant[5], loco castra ponere necessarium visum est. Id vero laboris velut de integro initium fuit; nam nec explicare quidquam, nec statuere poterant; nec, quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente. Et mox aqua levata vento[6], quum super gelida montium juga concreta esset, tantum nivosæ grandinis dejecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegminibus suis magis obruti, quam tecti. Tantaque vis frigoris insequuta est, ut, ex illa miserabili hominum jumentorumque strage quum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret, quia, torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant. Deinde, ut tandem agitando sese movere ac recepere animos, et raris locis ignis fieri est cœptus, ad alienam opem quisque inops[7] tendere. Biduum eo loco, velut obsessi, mansere. Multi homines, multa jumenta, elephanti quoque ex his, qui prælio ad Trebiam facto superfuerant, septem absumpti.

LIX. Degressus Apennino retro ad Placentiam ca-

acta, h. l. turbo, at aqua XXIII, 19, et XXVIII, 30. Confer ad Sil. III, 475, et ad Juvenal. VI, 524.

4. *Spiritum includeret* MSS. *Intercluderet* omnes edd. ante Drak. Conf. ad II, 2, n. 9. — *Capti auribus et oculis;* vide ad II, 36, n. 7.

5. *Quo deprehensi erant;* vide ad IX, 23, n. 3.

6. *Aqua levata vento*, vapores, vel imbres (aqua cœlestis, pluvia) in altum elati et rapti. — *Omnibus omissis;* confer not. 2.

7. *Ad alienam opem quisque inops,* qui sine ope erat, hoc est, inops consilii proprii et auxilii, *tendere*, se vertit. — *Elephanti quoque ex his,* etc.; vide c. 56, n. 4. — Polyb. III, 74, ait, elephantos omnes præter unum ad Trebiam absumptos. Ed.

stra movit, et ad decem millia[1] progressus consedit. Postero die duodecim millia peditum, quinque equitum adversus hostem ducit : nec Sempronius consul (jam enim redierat ab Roma) detrectavit certamen : atque eo die tria millia passuum inter bina castra fuere. Postero die ingentibus animis, vario eventu, pugnatum est : primo concursu adeo res romana superior fuit, ut non acie vincerent solum[2], sed pulsos hostes in castra persequerentur; mox castra quoque oppugnarent. Hannibal, paucis propugnatoribus in vallo portisque positis, cæteros confertos in media castra recepit, intentosque signum ad erumpendum spectare jubet. Jam nona ferme diei hora erat, quum Romanus[3], nequidquam fatigato milite, postquam nulla spes erat potiundi castris, signum receptui dedit. Quod ubi Hannibal accepit, laxatamque pugnam et recessum a castris vidit, extemplo equitibus dextra lævaque emissis in hostem, ipse cum peditum robore medius[4] castris erupit. Pugna raro ulla magis sæva, et cum utriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi eam dies in longum spatium sivisset. Nox accensum ingentibus animis prælium diremit : itaque acrior concursus fuit, quam cædes; et, sicut æquata ferme pugna erat, ita clade pari discessum est. Ab neutra parte sexcentis plus peditibus, et dimidium ejus equitum cecidit. Sed major Romanis, quam pro numero, jactura[5] fuit, quia

Cap. LIX. 1. *Ad decem millia;* vide ad IX, 24, n. 2.

2. *Non acie vincerent solum, sed* etiam; vide ad I, 40, n. 1.

3. *Quum Romanus* dux... *signum receptui dedit* (vide ad XXXII, 11, n. 4),... *laxatam pugnam*, vide ad II, 34, n. 13.

4. *Ipse cum peditum robore medius* inter equites, *dextra lævaque* parte *emissos, castris erupit. Medius* ex conj. Gron. *mediis* alii auctore Lips. In MSS et edd. antt. plerisque *de his*, in quibusdam *de iis*, et in c. Put. *diis*. Hinc potius non dubito, quin verba *de his castris* et *de iis castris* margini adscripta sint, et glossatoribus, non Livio debeantur.

5. *Major Romanis quam pro numero jactura;* vide ad VII, 33, n. 2. —

equestris ordinis aliquot, et tribuni militum quinque, et præfecti sociorum tres, sunt interfecti. Secundum eam pugnam Hannibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit. Venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quæstores romani, C. Fulvius et L. Lucretius, cum duobus tribunis militum, et quinque equestris ordinis senatorum ferme liberis, quo magis ratam fore cum his[6] pacem societatemque crederet, traduntur.

LX. Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Cornelius Scipio, in Hispaniam [1] cum classe et exercitu missus, quum, ab ostio Rhodani profectus, Pyrenæosque montes circumvectus, Emporiis appulisset classem, exposito ibi exercitu, orsus a Lacetanis[2], omnem oram usque ad Iberum flumen, partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, romanæ ditionis fecit. Inde conciliata clementiæ fama non ad maritimos modo populos[3], sed, in mediterraneis quoque ac mon-

*Sunt interfecti. Sunt* a librario ortum habere, supervacuum profecto esse, et radere aures contendit Gruterus, quem impugnat Drak. ut in fingendis glossis nimium. Ed. *Secundum eam pugnam;* vide ad I, 4, n. 1.

6. *Ratam fore cum his*, f. *iis*, scil. Liguribus; Stroth.

Cap. LX. 1. *Cn. Cornelius Scipio in Hispaniam* (confer XXI, 32) *cum classe*, etc.; confer Polyb. III, 76. *Emporiæ*, Ἐμπορίαι Ptol. II, 6, al. Ἐμπόριον et Ἐμπορεῖον, hodie *Ampurias*, urbs Hisp. Tarrac. in ora Cataloniæ prope Pyrenæos et mare mediterraneum, propr. duo oppida, muro divisa, e quibus alterum a Phocæensibus (alii dicunt Massiliensibus, qui a Phocæa Ioniæ oriundi sunt, de quo vide ad Sil. IV, 52), alterum ab Hispanis conditum erat : unde in plur. *Emporiæ*. Conf. cap. 61; XXVI, 19; XXVIII, 42; XXXIV, 3, n. 8, 9; Strab. III, 4, pag. 159, 160; Plin. III, 3, seu 4; ad Sil. III, 369. Sed *Emporia* punica (τὰ Ἐμπορεῖα, seu Ἐμπόρια, vel τὸ Ἐμπόριον et *Emporiæ*, αἱ Ἐμπορίαι) infr. XXIX, 25; XXXIII, et XXXIV, 62. Africæ regio circa Syrtin minorem, fertilissima, subjectaque Pœnis, quibus plurimum inde commeatus et alimentorum advehebatur, et ab una ejus civitate Lepti singula in dies talenta vectigal dabantur. Conf. Polyb. I, 82; III, 23; XXXII, 2, et Appian. Pun. 72.

2. *Orsus a Lac.;* v. cap. 23, n. 1.

3. *Non ad maritimos modo populos,* vide ad II, 10, n. 10. Polybius tradit, eum populos sponte se dedentes singulari humanitate complexum esse, sed alios vi subegisse.

tanis, ad ferociores jam gentes valuit : nec pax modo apud eos, sed societas etiam armorum, parata est; validæque aliquot auxiliorum cohortes ex iis conscriptæ sunt. Hannonis cis Iberum provincia erat[4] : eum reliquerat Hannibal ad regionis ejus præsidium : itaque prius quam alienarentur omnia, obviam eundum ratus, castris in conspectu hostium positis, in aciem eduxit. Nec Romano differendum certamen visum : quippe qui sciret, cum Hannone et Hasdrubale sibi dimicandum esse, malletque adversus singulos separatim, quam adversus duos simul, rem gerere. Nec magni certaminis ea dimicatio fuit : sex millia hostium cæsa, duo capta cum præsidio castrorum; nam et castra expugnata sunt, atque ipse dux cum aliquot principibus[5] capiuntur : et Scissis, propinquum castris oppidum, expugnatur. Cæterum præda oppidi parvi pretii rerum fuit; supellex barbarica, ac vilium mancipiorum[6]. Castra militem ditavere; non ejus modo

4. *Hannonis cis Iberum provincia erat;* vide ad II, 40, n. 9, et XXI, 2, n. 9. — Nemo est, inquit Sigonius, qui non sit quæsiturus nomen hujus regionis, in qua Hanno erat; quod ipsum librariorum vitio prætermissum est, illud est in veteri lib. *Hanno non inscius in Iberi provincia erat.* Idque historiæ veritas quærit. Gronovius observat hunc locum exemplo esse, ut sæpe in liquidis etiam et planis, quæ sancta esse debebat, vetustas vexetur; quare vulgatam defendit. Ed. — *Prius quam alienarentur omnia,* omnes Hispaniæ gentes a Pœnis deficerent, ad Romanorum partes traherentur; alienæ, Romanæ, ditionis fierent omnia. — *Obviam eundum ratus* Hanno *in aciem eduxit;* vid. ad lib. I, cap. 23, n. 4. — *Castris in conspectum hostium pos.* dat Gaertn. Ed.

5. *Atque ipse dux cum aliquot principibus.* Polyb. dicit τὸν Ἄννωνα, καὶ τὸν τῶν Ἰβήρων Ἀνδοβάλην, Indibilem, regulum Hispanorum) *capiuntur* pro : *dux et aliquot principes,* ut XXII, 21, n. 3; XXVI, 1, n. 6; XXVI, 46, n. 5; XXXI, 36, n. 4; XXXVIII, 48, n. 7, et apud Suid. voc. δέρας, tom. I, pag. 525, ὁ Ἰάσων σὺν τοῖς Ἀργοναύταις εἰς τὴν Κολχίδα παραγενόμενοι ἔλαβον τὸ δέρας. Confer Ruhnken. ad H. in Cer. v. 499. *Magonem,* non *Hannonem,* ducem, et captum fuisse tradunt Oros. IV, 13, et Epit. Liv. Conf. Zonar. VIII, 25, et Oudend. ad Frontin. Strat. II, 3, n. 1. — *Scissis oppidum;* vide ad cap. 23, n. 1.

6. *Supellex barbarica ac vilium mancipiorum,* scilicet præda, pro : *ac vilia mancipia.* Κακοφωνίαν sic vitatam putabat Stroth.

exercitus, qui victus erat, sed et ejus, qui cum Hannibale in Italia militabat, omnibus fere caris rebus (ne gravia impedimenta ferentibus essent) citra Pyrenæum relictis.

LXI. Prius quam certa hujus cladis fama[1] accideret, transgressus Iberum Hasdrubal cum octo millibus peditum, mille equitum, tanquam ad primum adventum Romanorum occursurus, postquam perditas res ad Scissim amissaque castra accepit, iter ad mare convertit. Haud procul Tarracone[2] classicos milites navalesque socios, vagos palantesque per agros, quod ferme fit, ut secundæ res negligentiam creent, equite passim dimisso, cum magna cæde, majore fuga ad naves compellit. Nec diutius circa ea loca morari ausus, ne a Scipione opprimeretur, trans Iberum sese recepit: et Scipio, raptim ad famam novorum hostium agmine acto[3], quum in paucos præfectos navium animadvertisset, præsidio Tarracone modico relicto, Emporias cum classe rediit. Vixdum digresso eo, Has-

Cap. LXI. 1. *Fama accideret*, vide ad cap. 10, n. 15. — *Ad primum adventum Romanorum occursurus*, venturus, adventurus, ut *occurrere prælio, rei, ad opem ferendam, comitiis, concilio*, et *ad concilium* X, 43; XXI, 61; XXVIII, 8; XXXI, 29; XXXVI, 24; XXXVII, 32; XXXIX, 6. Sic et *pugnæ obvenire* XXIX, 34, n. 5, et gr. φθάνειν et καταντᾶν τινὶ et εἴς τι vel ἐπί τι aliquo tendere, se convertere, pervenire. « *Occurrere concilio* notat etiam XXXI, 29 pr. in tempore adesse, non sero venire: quæ vis non in dativo utique latet, sed e contexto accedit: quippe ibid. et *ad concilium occurrere* idem fuerit; sed regis legati *accelerarunt*, non Atheniensium. *Occurrit eo Antiochus* XXXV, 15 pr. venit, quasi occursurus ibi legato et affuturus, vel sui copiam præbiturus, *sich einfinden.* » Bauer.

2. *Haud procul Tarracone* (vide ad XXII, 22, n. 2) *classicos milites navalesque socios* (vide ad IX, 38, n. 1), Tarracone relictos, *vagos*, etc. Conf. Polyb. III, 76. Mox *quod ferme fit, ubi secundæ res negligentiam creant* emend. Doer. non male. Ed.

3. *Agmine acto*, vide ad VI, 28, n. 1. — Sigonius e vet. lib. dat *accito*; accivit enim agmen Scipio classicorum militum, et navalium sociorum, quos vagos palantesque per agros Hasdrubal oppresserat, ut in paucos præfectos animadverteret. At Drakenb. nihil mutandum putat; nam pessime hic versatus est Sigonius. Non agmen classicorum militum Scipio accivit, sed ipse, raptim agmine acto, ad eos

drubal aderat; et, Ilergetum populo, qui obsides Scipioni dederat, ad defectionem impulso, cum eorum ipsorum juventute agros fidelium Romanis sociorum vastat. Excito deinde Scipione hibernis, toto cis Iberum rursus cedit agro. Scipio, relictam ab auctore defectionis[4] Ilergetum gentem quum infesto exercitu invasisset, compulsis omnibus Athanagiam urbem, quæ caput ejus populi erat, circumsedit : intraque dies paucos, pluribus quam ante obsidibus imperatis, Ilergetes, pecunia etiam mulctatos, in jus ditionemque recepit[5]. Inde in Ausetanos prope Iberum, socios et ipsos Pœnorum, procedit : atque, urbe eorum obsessa, Lacetanos auxilium finitimis ferentes nocte, haud procul jam urbe, quum intrare vellent, excepit insidiis. Cæsa ad duodecim millia : exuti pæne omnes armis, domos passim palantes per agros diffugere; nec obsessos alia ulla res, quam iniqua oppugnantibus hiems, tutabatur. Triginta dies obsidio fuit : per quos raro unquam nix minus quatuor pedes alta[6] jacuit : adeoque pluteos ac vineas Romanorum operuerat, ut ea sola, ignibus aliquoties conjectis ab hoste, etiam tutamentum fuerit. Postremo quum Amusitus princeps eorum ad Hasdrubalem profugisset, viginti argenti talentis pacti deduntur. Tarraconem in hiberna reditum est.

profectus, etc. Ed. — *Emporias;* v. ad cap. 60 pr.

4. *Scipio relictam ab auctore defectionis*, Hasdrubale; qui iterum trans Iberum se receperat, *Ilergetum gentem*, quæ cis Iberum est. De *Ilergetibus* vide ad cap. 23, n. 1. *Caput* eorum mox dicitur *Athanagia*, quæ nonnullis fuisse videtur hodierna *Manresa*, sed Taraphæ *Tarrega*, Petro de Marca Hisp. II, 26, et Cellario *Lerida* (quæ primum *Athanasia*, quasi æterna urbs, a Græcis, et deinde *Ilerda* sit dicta), Strothio *Aytona*, Cataloniæ opp. haud longe ab Ibero situm.

5. *In jus ditionemque recepit;* vide ad XXXV, 16, n. 4. — *In Ausetanos ... Lacetanos*, vide ad cap. 23, n. 1. Mox malim : *haud procul urbe, quum jam intrare vellent.*

6. *Nix m. q. p. a.;* v. III, 64, n. 5.

LXII. Romæ, aut circa urbem multa ea hieme prodigia[1] facta : aut, quod evenire solet, motis semel in religionem animis, multa nuntiata, et temere credita sunt : in quis ingenuum infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse : et foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte ascendisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese dejecisse : et navium speciem de cælo affulsisse, et ædem Spei, quæ est in foro olitorio[2], fulmine ictam : et Lanuvii hastam se commovisse : et corvum in ædem Junonis devolasse, atque in ipso pulvinario[3] consedisse : et in agro amiternino[4] multis locis hominum

Cap. LXII. 1. *Multa ea hieme prodigia*, etc. De quibus omnibus vide ad I, 31, n. 1. — *Ingenuum infantem semestrem in foro olitorio*, extra portam Carmentalem, inter Tiberim et Capitolium, *triumphum clamasse*, forte *io triumpho c.* (ut XXIV, 10); sed confer Valer. Max. I, 6, n. 5 (et Ovid. Am. I, 2, n. 25) Stroth. Sic et *triumphum nomine ciere* (exclamare, Io triumphe!) XLV, 38. *Saturnalia clamatum* (vel potius *clamata*, judice etiam Gron.) XXII, 1 extr. *Cauneas* (scilicet ficus) *clamitabat* apud Cic. Div. II, 40, et nos : *Feuer schreyen.* — *Foro boario;* vide ad X, 23, n. 2. — *Navium speciem de cœlo affulsisse*, ut XLII, 2, n. 2; vide ad I, 31, n. 1.

2. *Ædem Spei in foro olitorio*, vide ad II, 51, n. 2. — *Lanuvii hastam se commovisse;* confer ad XXIV, 10, n. 8. Hastas Martis vulgo intelligunt, ut XXIV, 10, n. 8. Possunt etiam hastæ in templis suspensæ aliæve innui; vid. ad I, 31, n. 1. Steger de prodigiis pag. 123; et Drak. ad XL, 19, n. 2, ubi hæc notavit : « Scheffer ad Obseq. de prod. 60, et 96; ex eo et Liv. XXIV, 10, conjicit, XL, 19, ad verba *pontifices hastas motas nuntiavere* vocem *Martis* adjiciendam esse. Sed non variant MSS, et simpl. *hastæ motæ* memorantur etiam XXI, 62, ubi Sabellicus hastam Junonis Lanuvinæ, seu Sospitæ indicari putat; cujus sententiam egregie illustrant nummi gentis Prociliæ, imaginem Junonis, cornibus caprinis ornatæ, et hasta armatæ, exhibentes, et locus Cic. de Nat. Deor. I, 29, insignia hujus Junonis pellem caprinam, hastam, scutulum et calceos repandos referens, quem optime ad hunc nummum advocavit Haverk. in Comm. ad Thes. Morell. t. I, pag. 560. An igitur XL, 19, ubi non *hasta*, sed *hastæ* memorantur, potius indicantur hastæ quum Martis Præneste aliorumque deorum, tum Junonis Sospitæ Lanuvii cultæ? nam et proximum prodigium, quod Lanuvii circa simulacrum ejusdem Junonis accidit, id suadere videtur. Præterea hoc quoque prodigium non Romæ, sed alibi extra Urbem accidisse, colligo ex verbo *nuntiavere*, quo Livius utitur de talibus prodigiis. »

3. *In ipso pulv.;* v. V, 13, n. 5.

4. *In agro amiternino* (vid. ad X,

specie procul candida veste visos, nec cum ullo congressos: et in Piceno lapidibus pluisse: et Cære sortes extenuatas[5]: et in Gallia lupum vigili gladium e vagina raptum abstulisse. Ob cætera prodigia libros adire decemviri jussi[6]. Quod autem lapidibus pluisset in Piceno, novemdiale sacrum editum[7], et subinde aliis procurandis prope tota civitas operata fuit. Jam primum omnium Urbs lustrata est[8], hostiæque majores[9], quibus editum est, diis cæsæ; et donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium ad Junonis[10] portatum

39, n. 1) *multis locis hominum specie procul candida veste visos*, etc. Suspicari possis *hominum species... visas, nec cum ullo congressas:* sed nil mutandum; nam ita loquitur religionis et εὐφημίας χάριν, non ausus certo nomine, quicumque fuerint, ignarus appellare, ne peccet: cæterum intelligi potest *dæmonas aerios, genios,* vel *nescio quos;* Gronov. Conf. ad I, 2, n. 3; sed et lib. XXIV, cap. 10, n. 9.

5. *Cære sortes extenuatas*, ut mox et XXII, 1, *attenuatas*, hoc est, minores, seu exiliores factas, *zusammengeshwunden;* erant enim sortes plerumque e ligno factæ, vel globulorum, vel tesserarum, aut talorum forma, inscriptæ literis, quæ in urna bene mistæ a puero ducebantur; Str. Conf. Ciceronem de Divinatione, lib. II, 41, 69. In ostentis et somniis omnia majora et auctiora videre lætum ac prosperum judicant haruspices et ὀνειροκρίται· sed triste ostentum est, si qua res solito minor et tenuatior defectiorque apparet; quo pertinent quadrigæ fictiles, quæ in fornace creverant (vid. Plin. XXVIII, 2); panis Perdiccæ coctus, duploque major fatus in furno, qui ei oves poscenti regnum Macedoniæ portendit, et septem optimæ vaccæ, septemque macie defectæ, quas e flumine ascendentes vidit rex ægyptius; Salmas. ad Solin. pag. 487. Cf. Plin. XXXIV, 13, seu 38, et *Steger von den Prodigien*, p. 185, ubi putat *sortes* fuisse bacillos titulo inscriptos (conf. ad XXII, 1, n. 16), et *extenuatas*, vel proprie *extæniatas* dici, quia exciderint ex tænia, seu tenia, qua colligatæ fuerint. Sed *attenuatæ* dicuntur XXII, 1, 16; *extæniatas*, h. e. tæniis vittisque solutas conj. Lips. Elect. II, 12, quod respuit Periz. Anim. hist. c. 9, p. 380.

6. *Libros adire decemviri jussi;* vid. ad III, 10, n. 6.

7. *Novemdiale sacrum edictum;* v. ad I, 31, n. 3. — *Aliis* sacris *procurandis civitas operata fuit;* vide ad I, 31, n. 7.

8. *Urbs lustrata est;* vid. ad I, 28, n. 2. — Designatur, teste Creverio, amburbium, sive amburbale sacrum, quod sic dicebatur, quia urbem circuibat et ambibat victima. Vid. Servium ad Virg. Ecl. III, v. 77. Ed.

9. *Hostiæque majores* (conf. Ind.) *cæsæ diis, quibus editum est*, scil. ut cæderentur; vide ad librum I, cap. 18, n. 2.

10. *Lanuvium ad Junonis* ædem *portatum est;* vide ad I, 33, n. 6, et

est; et signum æneum matronæ Junoni in Aventino dedicaverunt; et lectisternium Cære, ubi sortes attenuatæ[11] erant, imperatum; et supplicatio Fortunæ in Algido; Romæ quoque et lectisternium Juventati, et supplicatio ad ædem Herculis nominatim; deinde universo populo circa omnia pulvinaria[12], indicta; et Genio majores hostiæ cæsæ quinque; et C. Atilius Serranus prætor vota suscipere jussus, si in decem annos respublica eodem stetisset statu. Hæc procurata[13] votaque ex libris Sibyllinis, magna ex parte levaverant religione animos.

LXIII. Consulum designatorum alter Flaminius, cui eæ legiones, quæ Placentiæ hibernabant, sorte evenerant, edictum et literas ad consulem misit[1], ut is exercitus Idibus Martiis Arimini adesset[2] in castris.

VIII, 14, n. 4. — *Matrona Juno*, πότνια, ob majestatem deæ, vel ut *matrona Tonantis* ap. Ovid. Fast. VI, 33. Cf. Intpp. Hor. Od. III, 4, 59. — Antea legebatur *ædificaverunt* pro *dedicaverunt;* sed signa et æneæ statuæ non ædificantur, ut domus ac templa: quare Ruben. conjecit *dedicaverunt;* quod post Gronovium omnes recepere. Ed.

11. *Lectisternium Cære, ubi sortes attenuatæ;* conf. not. 5, et ad V, 13, n. 5. — *Juventati* MSS. Conf. ad I, 55, n. 4.

12. *Circa omnia pulvinaria indicta supplicatio;* vide Ind. et ad III, 63, n. 2; V, 13, n. 5. — *Genio* Urbis; unde ei *majores hostiæ cæsæ;* confer ad Sil. II, 584 sq.; VI, 283; XIII, 124, et Mitscherl. ad Hor. Od. III, 17, 14, 15.

13. *Hæc procurata..... levaverant animos religione;* vid. ad lib. V, cap. 23, n. 7.

Cap. LXIII. 1. *Edictum et literas ad consulem* (Sempronium, *Placentiæ hibernantem;* cf. cap. extr. et 56 sq.) *misit:* nam quidquid magistratus populi rom. publice mandabant, *edicere* dicebantur, mandatumque ipsum *edictum* appellatum; Stroth. *Edicere* est vel omnino proloqui, pronuntiare et indicare (vide Gron. et Drakenb. ad XXX, 5 pr. et Cort. ad Sall. Catil. 48), vel sententiam dicere, si de judicibus, vel voce scriptove publice proposito aliquid constituere et jubere, si de magistratibus adhibetur. Cf. Ern. Clav. Cic. et inf. ad XXXI, 49, n. 5. — *Idibus Martiis:* qui dies tum temporis magistratibus ineundis solennis erat; Stroth. Conf. XXII, 1. Sic *pridie Idus Martias* abeundis; vid. XXX, 39, n. 4.

2. *Arimini adesset in castris;* conf. ad cap. 51, n. 5. Eo et Servilius pervenit, ibique remansit: at Flaminius, legionibus suis assumptis, per Etruriam profectus est Arretium, quia præter ejus opinionem Hannibal jam

Huic in provincia consulatum inire consilium erat, memori veterum certaminum cum patribus[3], quæ tribunus plebis, et quæ postea consul, prius de consulatu, qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat; invisus etiam patribus ob novam legem, quam Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum[4], uno patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat : ne quis senator, cuive senatorius pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum[5] esset, haberet : id satis habitum ad fructus ex agris vectandos : quæ-

in Etruriam contenderat. Conf. Polyb. III, 77, cum Zonara.

3. *Memori veterum certaminum cum Patribus;* cf. Freinsh. Supplem. Liv. lib. XX, 19 et 47. *Tribunus plebis* contra senatus auctoritatem tulerat rogationem de agro piceno et gallico viritim dividendo; vid. Polyb. II, 21; Valer. Max. V, 4, 5, et Cic. Acad. II, 5; Inv. II, 17; Leg. III, 9; Div. I, 35; III, 32. — *Quæ postea consul* an. Urb. 529, cum P. Furio Philo *prius de consulatu, qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat,* vide Plutarch. in Marcello, p. 299, qui tradit, quum augures vitio creatos esse consules, adversus Insubres profectos, dixissent, senatum eos confestim literis Romam revocasse et jussisse, quam primum consulatu se abdicare, nec quidquam pro imperio gerere: Flaminium vero has literas non prius aperuisse, quam hostes fudisset (confer Polyb. II, 32, 33) : itaque victori, cum ingenti præda redeunti, triumphum fuisse negatum; ipsum vero privatum triumphasse, et mox magistratu abire coactum esse. Conf. Zonaras, et ad Sil. IV, 706 sq.

4. *Ob novam legem, quam Q. Claudius trib. pl. adversus senatum* (forte *adverso senatu;* Gronov. Conf. ad I, 46, n. 4) *tulerat : ne quis senator, cuive senatorius pater fuisset,* etc. Cf. Cic. Verr. V, 18; Cujac. Obss. VI, 38, et L. 3, D, de excusat. et vacat. mundi, unde intelligitur, id lege Julia de repetundis fuisse repetitum. Dukerus monet, a Pigh. in Ann. ad ann. 535, nullo auctore et Claudio tribui cognomen Flaminii, et tribunatum legemque ejus ad annum præc. referri. Cæterum recepi emend. Stroth., qui hæc notavit : « Ineptum est vulgatum *quive senatoris pater fuisset;* quasi is nec ipse esset senator, et ex dignitate filii aliquid in patrem redundaret. Immo ne sic quidem plusquamp. *fuisset* locum habere posset : et hinc quoque nolim cum Periz. *filius* pro *pater* reponere; dicendum enim fuisset : *q. s. filius esset.* » Forte tamen insolens videri possit *senatorius pater,* et probabilior conjectura Roelli : *cuive senator pater fuisset.*

5. *Maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet :* nam ad amphorarum, quas capiebant, numerum magnitudo navium exigi solebat; ut nos dicimus : *ein Schiff von* 300 *Tonnen;* Strothius. Conf. Manut. ad Cicer. Div. XII, 15; Hard. ad Plin. VI, 22, seu 24, et Voss. ad Mel. p. 280.

stus omnis patribus indecorus visus[6]. Res, per summam contentionem acta, invidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio[7], favorem apud plebem alterumque inde consulatum, peperit. Ob hæc ratus auspiciis ementiendis[8], latinarumque feriarum mora, et consularibus aliis impedimentis retenturos se in Urbe, simulato itinere privatus clam in provinciam abiit. Ea res, ubi palam facta est, novam insuper iram infestis jam ante patribus movit : *Non cum senatu modo, sed jam cum diis immortalibus, C. Flaminium bellum gerere. Consulem ante inauspicato factum*[9] *revocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non paruisse; et*

6. *Quæstus omnis Patribus indecorus visus :* nam senatores post bellum punicum in Sicilia, Sardinia et Corsica prædia sibi comparare, et per speciem deportandorum ex iis fructuum negotiationes, amplissimo ordine indignas exercere cœperunt; quod h. l. significari videtur; Duker. Conf. Ern. Clav. Cicer. verbo *Negotiator*.

7. *Suasori legis Flaminio;* vide ad II, 56, n. 6. — Glareanus vulgatam interpunctionem mutare conatur, comma post *legis* ponens, et verba *Flaminio favorem* jungens, ita ut *suasor legis* sit Q. Claudius; sed cum Drak. vulgatam lectionem tueor. Licet enim, qui legem tulisset, eamdem interdum suaderet, tamen, quum Q. Claudius adjuvante Flaminio legem illam tulisse dicatur, vulgatam distinctionem servo, ut potius Flaminius vocatur suasor legis, eaque res invidiam apud nobilitatem, favorem apud populum eidem ipsi peperisse dicatur. Ed.

8. *Auspiciis ementiendis* (ea ementiendo); conf. ad X, 40, n. 4; Cicer. de Divin. I, 16, et Phil. II, 35; III, 4 al. Timebat Flaminius, ne, sicut in priore consulatu suo ob prodigia, quæ augures sibi inter auspicandum oblata retulerant, jussus erat a Patribus magistratu se abdicare, ita et nunc vana auspicia ementirentur, τοῦ θείου καταψεύδεσθαι, ut ait Zonaras; Vales. Sententia est : *Ob hæc* odia inter ipsum et Patres, *ratus* Flaminius, *retenturos*, scilicet Patres *se* (Flaminium) *in Urbe*, i. e. veritus ne se retinerent, varia prætexentes, tum *auspiciis ementiendis*, i. e. ementiendo contra Flaminium, auspicia prohibere, quo minus exire (vel potius magistratum inire et gerere possit, cujus modi artificium Patres, quorum augures erant, sæpissime adhibuerunt, maxime contra plebeios homines); tum nectenda alia *mora*, *latinarum feriarum*, nempe ut consul Flaminius ad Urbem maneat, donec latinas ferias indixerit egeritque (cf. ad I, 45, n. 2); tum denique *consularibus aliis* negotiis, quæ pro *impedimentis* essent ad bellum festinanti; Strothius. — *Privatus;* vid. ad lib. I, cap. 40, n. 5.

9. *Consulem ante*, primum, olim, *inauspicato factum*, *revocantibus diis*, auspiciis, *atque hominibus*, Patribus,

*nunc conscientia spretorum et Capitolium et solennem votorum nuncupationem fugisse*[10] *: ne die initi magistratus Jovis optimi maximi templum adiret : ne senatum, invisus ipse, et sibi uni invisum, videret consuleretque : ne Latinas indiceret*[11]*, Jovique Latiari solenne sacrum in monte faceret : ne, auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde*[12] *cum lictoribus ad provinciam iret. Lixæ modo sine insignibus, sine lictoribus, profectum clam, furtim, haud aliter quam si exsilii causa solum vertisset*[13]*. Magis pro majestate videlicet imperii Arimini, quam Romæ, magistratum initurum, et in diversorio hospitali, quam apud penates suos, prætextam sump-*

*non paruisse;* vide not. 3. — *Conscientia* (ob conscientiam) *spretorum* (olim deorum hominumque; veritum, ne dii contemptum sui adversis auspiciis ominibusque vindicarent) : ex emend. Gron. *conscientias prætorum* in MSS et edd. antt. *Conscientia præteritorum* quidam edidere, auctore P. Manutio.

10. *Et Capitolium et solennem votorum nuncupationem fugisse*, etc. Nam consul magistratum initurus solebat primum a senatu et populo mane domi suæ salutari, et inde in Capitolium deduci (illud dicebatur *officium*, hoc *processus consularis*); deinde in Capitolio vota rite concipere, seu nuncupare, et bovem immolare Jovi; tum munus suum auspicari coacto senatu, ad eum referre tum de religione feriisque latinis (vel eas indicere), tum de republica (de utroque vide ad IX, 8, n. 1), et in leges jurare (conf. XXXI, 50); mox has ferias agere, et *Jovi Latiari solenne sacrum in monte* Albano *facere*. Conf. seqq. et XXII, 1; XXIV, 26; ad I, 45, n. 2; ad Juvenal. I, 39; II, 132, et Tac. Ann. III, 59, n. 5; IV, 36, n. 1. — *Vota nuncupare*, id est, suscipere, seu diis sacrificia, signa, templa promittere solebant magistratus in provinciis abeuntes; Str. Conf. XLI, 10, 27; XLII, 49; XLV, 12, n. 5, et Brisson. de Form. I, 168. Votis nuncupatis paludati Urbe exibant, multitudine hominum officii causa eos prosequente. Cf. XLI, 10, et XLII, 49.

11. *Ne Latinas indiceret*, sc. ferias, *Jovique Latiari solenne sacrum in monte*, scilic. Albano (ut XXII, 1; XXV, 12 pr. et al.), *faceret;* vide ad I, 45, n. 2. *Auspicato;* vide ad V, cap. 21, n. 1.

12. *Paludatus inde cum lictoribus ad provinciam iret*, h. e. cum imperio, lege curiata de eo lata; vid. ad V, 46, n. 8. — *Lixæ modo*, more, se gerendi ratione; Doer. coll. Hor. Od. IV, 2, 28. Hyperbole : ad instar vilissimi hominis, ministri militum, ne militis quidem; Stroth. Conf. ad XXI, 33, n. 7.

13. *Solum vertisset;* confer ad III, 13, n. 10. — *In diversorio hospitali;* vide ad I, 51, n. 2.

*turum.* Revocandum universi retrahendumque censuerunt; et cogendum omnibus prius præsentem in deos hominesque fungi officiis, quam ad exercitum et in provinciam iret. In eam legationem (legatos enim mitti placuit) Q. Terentius et M. Antistius profecti, nihilo magis eum moverunt, quam priori consulatu literæ moverant ab senatu missæ. Paucos post dies magistratum iniit, immolantique ei vitulus[14] jam ictus e manibus sacrificantium sese quum proripuisset, multos circumstantes cruore respersit: fuga procul etiam major apud ignaros[15] quid trepidaretur, et concursatio fuit; id a plerisque in omen magni terroris acceptum. Legionibus inde duabus a Sempronio prioris anni consule, duabus a C. Atilio prætore acceptis, in Etruriam per Apennini tramites[16] exercitus duci est cœptus.

14. *Immolantique ei vitulus*, etc. Confer ad Sil. V, 63 sq. — Tristis admodum portenti loco semper habitum, si hostia aufugisset: vide Suet. in Jul. Cæs. 59; in Galba 18; Tacit. Hist. III, 56; Val. Max. I, 6, et Dion. lib. XLI, 182. Ed.

15. *Apud ignaros*, propter *quid trepidaretur*, ut passim *trepidare*, *tremere*, *horrere*, etc. cum quarto casu more Græcorum. Confer XXII, 27, n. 5. Mox pro *in omen* Duker. et Drak. conj. *ut omen*, et Gron. *omen*, ut apud Tac. Ann. I, 28. At vide ad IV, 1, n. 6.

16. *Per Apennini tramites;* confer Cic. Phil. XII, 11.

# T. LIVII PATAVINI

# HISTORIARUM

## AB URBE CONDITA

# LIBER XXII.

## BREVIARIUM.

Cap. I; Hannibal mutando vestem sese ab insidiis Gallorum munit, maturiusque ex hibernis movet. Servilio cos. magistratum ineunte invidia redintegratur in Flaminium; prodigia nuntiantur procuranturque. — II; Quia Flaminium jam Arretium pervenisse fama est, Hannibal Etruriam petit propiore via per paludes, et, multis jumentis hominibusque amissis, ipse altero oculo capitur. — III; Tum vastatione agrorum irritat Flaminium, temerarium ducem, qui neque consiliis salutaribus, neque prodigiis movetur. — IV; Eumdem trahit in insidias, et lacu Trasimeno montibusque Cortonensibus clausum copiis suis circumfundit. — V; Atrox exoritur prælium, ingentemque terræ motum nemo pugnantium sentit. — VI; Mors Flaminii; cædes et fuga Romanorum. — VII; Numerus cæsorum; diversa captivorum sors; ingens terror et tumultus in Urbe: varii vultus digredientium ab nuntiis, et feminarum præcipue insignia tum gaudia tum luctus. — VIII; Quatuor millia equitum, cum C. Centenio proprætore a Servilio ad Flaminium missa, a Pœnis capiuntur. Prodictatorem populus creat Q. Fabium Maximum, et magistrum equitum M. Minucium Rufum. — IX; Hannibal frustra oppugnat Spoletum, et Picenum aliosque Italiæ agros depopulatur. Servilius ad Urbem iter intendit, et Fabio auctore decemviri libros Sibyllinos adire jubentur. — X; Ver sacrum, ludi magni et ædes voventur. Supplicatio et lectisternium habetur per triduum. — XI; Fabius cum duabus legionibus obviam proficiscitur Servilio, qui sine lictoribus ad dictatorem venire, et

extemplo Ostiam contendere jubetur, ut persequatur hostium classem, ac litora Italiæ tutetur. — XII; Dictator haud procul Arpis in conspectu Pœnorum ponit castra, et constanter agmen ducit per loca alta, neque omittens hostem, neque congrediens: quæ sana consilia non magis Pœno displicent, quam feroci magistro equitum. — XIII; Hannibal ex Hirpinis in Samnium, et, Capuæ potiundæ spe ipsi facta, in Campaniam transit; a duce autem viæ, punica nominum pronuntiatione decepto, Casilinum ducitur, non in agrum casinatem, quo contendere statuerat, ut ibi occuparet saltum, et exitum Romanis ad opem sociis ferendam intercluderet. — XIV; Falernus ager, colonorumque Sinuessæ tecta exuruntur sub oculis militum Fabii, quos seditiosa hinc oratione accendit Minucius. — XV; Dictator obstinatus perstat in cunctatione; et L. Hostilius Mancinus, exploratum missus cum CD equitibus, ardorem pugnandi morte luit. — XVI; Hannibal vallibus includitur, via ad Casilinum obsessa, sed arte evadit, — XVII; frustrans Romanos, terrensque aspectu flammæ ex boum furenter discurrentium cornibus relucentis. — XVIII; Populabundus Samnium, Pelignos et Apuliam peragrat. Fabius sacrorum causa Romam proficiscitur, præmonito magistro equitum, ne cum hoste confligeret. — XIX; In Hispania Cn. Scipio in fugam convertit classem Hasdrubalis, naves prope terram, exercitumque in litore ducentis. — XX; Capit XXV hostium naves, et Honoscam, Longunticam Ebusumque insulam diripit. Multi Hispaniæ populi legatos mittunt pacem petentes, et amplius CXX civitates se Romanis dedunt. Hasdrubal in Lusitaniam, ac propius Oceanum concedit. — XXI; Mandonius Indibilisque fratres et reguli Ilergetum, funduntur a Scipione, et Hasdrubal, qui cis Iberum ad socios tutandos redierat, bis a Celtiberis. — XXII; P. Scipio proc., in Hispaniam missus, fratri se conjungit, et cum eo Iberum transgressus petit Saguntum, ubi obsides totius Hispaniæ, Pœnis dati, a Bostare custodiebantur. Hi arte Abelucis, nobilis Hispani, in castra perducuntur Scipionum, et ab his remittuntur in civitates suas, quæ, tali beneficio obstrictæ, mox omnes a Pœnis deficiunt. — XXIII; Solers Fabii cunctatio angit Hannibalem, et damnatur a civibus. Ager ejus, omnibus circa solo æquatis, non violatur ab hoste, ut occulti alicujus pacti ea merces videri possit; sed mox a dictatore venditur, ut pecunia inde redacta captivos redimat. — XXIV; Eo absente, Minucius læto magis quam prospero eventu

cum hostibus pugnat. — XXV; Ita augetur invidia Fabii, et M. Metilius tribunus pleb. rogationem promulgat de æquando magistri equitum et dictatoris jure. Pridie quam ejus ferendæ dies adest, Fabius nocte ad exercitum abit, creato ante consule M. Atilio Regulo. — XXVI; Rogatio illa perfertur, suadente C. Terentio Varrone, viro humili loco orto, qui proclamando pro sordidis hominibus favorem captaverat popularem, et ad magnos jam honores pervenerat. — XXVII; Exercitus inter Fabium et Minucium dividuntur. — XXVIII; Minucius mox in aciem descendit, et laborat, insidiatoribus in latera atque ab tergo incursantibus. — XXIX; Fabiana acies repente, velut cælo demissa, auxilio venit, Pœnusque canit receptui. — XXX; Minucius castra cum Fabio jungit, rogatque, ut magisterium sibi equitum reddatur. Dictator Parens, ac milites ejus Patroni salutántur : et nunc ille par gloria est apud cives hostesque. — XXXI; Cn. Servilius Geminus cos. male rem gerit in Africa, et in Italiam trajicit, accitus literis Fabii, qui ipsi et collegæ ejus, M. Atilio Regulo, exercitum suum, duas utrique legiones, tradit. — XXXII; Consules artibus Fabianis cum summa inter se concordia bellum gerunt, et Hannibal inopia pæne cogitur Galliam repetere. Neapolitani legatos Romam mittunt cum XL pateris aureis, e quibus una tantum, eaque ponderis minimi, a senatu accipitur. — XXXIII; Speculator Pœnus Romæ deprehenditur, et servi, qui conjuraverant, in crucem aguntur. Legati mittuntur ad Philippum, qui deposcant Demetrium Pharium, ad Ligures, Pœnorum socios, et in Illyrios ad stipendium a Pineo rege postulandum. Ædes Concordiæ, biennio ante a L. Manlio vota, in arce facienda locatur, comitiorumque consularium habendorum causa dicitur dictator : eo autem vitio creato, interreges produntur. — XXXIV; C. Terentius Varro petit consulatum, cognatusque ejus, Q. Bæbius Herennius, tribunus plebis, acerba oratione in senatum, augures ac nobiles invehitur. — XXXV; C. Terentius Varro et L. Æmilius Paulus secundum consules creantur, ac prætoria habentur comitia. — XXXVI; Numerus et legionum et militum in illis augetur. Prodigia nuntiantur procuranturque ex libris Sibyllinis. Pæstani pateras aureas mittunt, ut paulo ante Neapolitani. — XXXVII; Classis Hieronis cum magno commeatu, aurea Victoria, sagittariis ac funditoribus accedit Ostiam : et ad classem T. Otacilii propræ-toris in Sicilia XXV quinqueremes adduntur. — XXXVIII; Mi-

lites non sacramento, sed nunc primum jurejurando adiguntur. Conciones consulum, multæ ac feroces Varronis, veriores quam populo gratiores Pauli. — XXXIX; Fabius proficiscentem Paulum alloquitur. — XL; Hic respondet, et cum collega ad castra contendit. Hannibal adventu consulum mire gaudet ob angustias commeatus, discordiam ducum, temeritatem alterius consulis, et multitudinem tironum. — XLI; Pabulatores Pœni cæduntur, et Hannibal, castris relictis, milites suos trans proximos montes, loco insidiis apto, condit, oppressurus hostes diripiendis castris occupatos. — XLII; Solitudine ibi satis comperta, milites et consul alter signa proferri jubent. Hic tamen nuntio mali auspicii, et illi, imperio ducum haud parentes, adventu perfugarum, qui hostes in insidiis sedere nuntiant, ad reditum compelluntur. — XLIII; Ob inopiam frumenti milites mercenarii Hannibalis jam de transitione agitant, et ipse de fuga in Galliam. Longius itaque recedit ab hoste, et in loca Apuliæ calidiora, eoque maturiora messibus. Insequuntur eum Romani, refragante Paulo, donec venit Cannas, ubi castra ponit aversa a Vulturno vento. — XLIV; Ibidem consules bina castra communiunt ad utramque Aufidi amnis ripam, nec quisquam detrectat pugnam præter Paulum. — XLV; Numidæ fugant aquatores romanos, et Varro indignatur, collegam a prælio abhorrere. Postero autem die, quo penes eum summa est imperii, copias flumen traducit, et aciem instruit. — XLVI; Idem facit Hannibal, et sol quidem utrique parti obliquus est; sed ventus, Romanis adversus, pulvere eos obcæcat. — XLVII; Initio pugnæ in dextro cornu rom. pelluntur equites; peditesque, incaute in medium irruentes, ab Afris clauduntur. — XLVIII; In sinistro cornu D Numidæ ad Romanos transfugiunt, et recepti mox aversam eorum aciem adoriuntur. Hasdrubal autem, dextro cornu fugato, etiam lævum adoritur. — XLIX; Virtus Pauli et mors. Fuga cladesque Romanorum. — L; Ex minoribus castris sexcenti, hortante ac duce P. Sempronio Tuditano trib. milit., in majora, et inde cum multis aliis Canusium confugiunt. — LI; Hannibal, Maharbale judice, victoria uti nescit. Postero die spolia leguntur, et strages spectatur, miserabilis et fœda etiam hostibus. — LII; Bina Romanorum castra victori traduntur. Munificentia Busæ, mulieris Apulæ. — LIII; Canusii ad P. Scipionem summa imperii defertur, et ab eo opprimitur conjuratio nobilium juvenum, qui, suadente L. Cæcilio Metello, Italiam

deserere decreverant. — LIV; Fugitivi, qui Venusiam ad Varronem pervenerant, ab eo Canusium traducuntur. Romæ tantus pavor tumultusque est, ut verbis exprimi nequeat. — LV; Senatus consulitur a prætoribus de custodia Urbis: Fabius autem censet, expeditos prius equites mittendos, qui certa referant, et quietem silentiumque in Urbe restituendum. — LVI; Literæ a Terentio consule afferuntur, sacrumque anniversarium Cereris intermittitur ob luctum, qui senatusconsulto diebus xxx finitur, ne alia quoque sacra deserantur. Patribus, post sedatum tumultum in curiam revocatis, nuntiatur ab T. Otacilio proprætore, classe punica regnum vastari Hieronis, aliamque ad Ægates insulas stare; itaque nova sibi classe opus esse. — LVII; Vestales duæ stupri compertæ, aliaque prodigia. Q. Fabius Pictor Delphos mittitur sciscitatum de placatione deorum ac belli fine. Interim ex fatalibus libris sacra aliquot extraordinaria fiunt: inter quæ Gallus et Galla, Græcus et Græca, in foro boario sub terram vivi demittuntur. M. Claudius Marcellus ab Ostia milites Romam mittit, et cum tertia legione contendit Canusium, ut exercitum ibi a consule accipiat. A M. Junio dictatore scribuntur quatuor legiones, et octo millia servorum armantur. — LVIII; Hannibal, captivis productis segregatisque, socios sine pretio dimittit, et Romanis redimendi se copiam facit. Ab his decem Romam ad senatum mittuntur, postquam juraverant se redituros: e quibus unus, velut aliquid oblitus, in castra redit, et ante noctem comites assequitur. — LIX; Princeps eorum, M. Junius, orationem in senatu habet. — LX; T. Manlius Torquatus ostendit, captivos haud dignos esse, qui redimantur. — LXI; Senatus censet eos non redimendos, et legatum quoque illum, qui fallaci reditu in castra jurejurando se exsolvisset, deducendum ad Hannibalem esse. Alia de his legatis fama. Multi Italiæ populi ad Pœnos deficiunt. Neque tamen pacis ulla mentio apud Romanos fit; et consuli redeunti omnes obviam eunt ordines, gratiasque agunt, quod de republica non desperaverit.

I. Jam ver appetebat[1], quum Hannibal ex hibernis movit, et nequidquam ante conatus transcendere

Cap. I. 1. *Jam ver appetebat* (vide ad V, 19, n. 2), *quum Hannibal ex hibernis movit*, quæ egit in Gallia Cisalpina, regressus eo ex Liguribus. Confer XXI, 59, et Polyb. III, 77. — Noster Cod. Reg. 5730, antiquis-

Apenninum[2] intolerandis frigoribus, et cum ingenti periculo moratus ac metu. Galli, quos prædæ[3] populationumque conciverat spes, postquam pro eo, ut ipsi ex alieno agro raperent agerentque[4], suas terras sedem belli esse, premique utriusque partis exercituum hibernis viderunt; verterunt retro ad Hannibalem ab Romanis odia: petitusque sæpe principum insidiis, ipsorum inter se fraude, eadem levitate, qua consenserant, consensum indicantium, servatus erat; et, mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam[5] sese ab insidiis munierat. Cæterum his quoque ei timor causa fuit maturius movendi ex hibernis. Per idem tempus Cn. Servilius consul Romæ Idibus Martiis[6] magistratum iniit. Ibi quum de republica retulisset[7], redintegrata in C. Flaminium invidia est. *Duos se consules creasse, unum habere. Quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id*[8] *a domo, publicis pri-*

simus, et ad seculum octavum recurrens, ita hujus libri principium exhibet: *Jam vero appetebat, quæ Hannibal ex hibernis metuit, et neque eo qui jam ante conatus transcendere Apenninum*, etc. quocum plurimi nostrorum faciunt. Difficilis sane et obscura lectio, cui explanandæ impar mihi videor. Ed.

2. *Transcendere Apenninum;* conf. XXI, 58, 59.

3. *Galli, quos prædæ*, etc. Confer Polyb. III, 78.

4. *Raperent agerentque;* vide ad III, 37, n. 4. — *Viderunt... Hannibalem:* nostri in hoc consentiunt: *viderent, verterunt retro Hannibalem.* Ed.

5. *Mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam* insidiantibus offuso, fraude, vel externa specie, Gallos insidiantes fallente, et in errorem ducente, *sese ab insidiis munierat*, defenderat, tutatus erat. Conf. Polyb. III, 78: κατεσκευάσατο περιθέτας τρίχας, ἁρμοζούσας ταῖς κατὰ τὰς ὁλοσχερεῖς διαφορὰς τῶν ἡλικιῶν ἐπιπρεπείαις (capillamenta concinnavit, convenientia omnium ætatum formis, quæ insignem homini differentiam afferunt), καὶ ταύταις ἐχρῆτο, συνεχῶς μετατιθέμενος· ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἐσθῆτας μετελάμβανε τὰς καθηκούσας ἀεὶ ταῖς περιθέταις· δι' ὧν οὐ μόνον τοῖς αἰφνιδίως ἰδοῦσι δύσγνωστος ἦν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐν συνηθείᾳ γεγονόσι.

6. *Idibus Martiis;* vide ad XXI, 63, n. 1.

7. *Quum de republica retulisset;* vid. ad IX, 8, n. 1.

8. *Magistratus id* (imperium auspiciumque) *a domo, publicis... conci-*

*vatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre: nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata[9]: in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti[10] scipionem, quem manu tenuerat, arsisse, et litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse[11], et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum; et Præneste ardentes lapides cælo cecidisse[12]; et Arpis parmas in cælo visas[13], pugnantemque cum luna solem, et Capenæ duas interdiu lunas ortas; et aquas Cæretes sanguine mixtas fluxisse[14], fontemque ipsum Herculis cruentis manasse

*pere posse;* vide ad XXI, 63, n. 10 et 12.

9. *Prodigia ex pluribus locis nuntiata:* de quibus omnibus vide ad I, 31, n. 1. Mox pro *autem* in MSS *audes*, *andex*, *cudes*, *rudes*, et in quibusdam *sudes*, unde Jac. Gron. non male conj. *Sulcis*. *Sulci* antiqua et clarissima Sardiniæ urbs.

10. *Circumeunti vigilias equiti:* nam id proprium fuit munus equitum; etsi nonnunquam illud obiere etiam tribuni (vid. XXVIII, 24), vel legati, et dux ipse. Confer XLV, 37, n. 4; Sall. Jug. 45; Polyb. VI, 35, et Lips. de Mil. rom. V, 9, qui etiam monet, *scipionem* vel fortuito equiti in manu fuisse, et per tenebras ad fulcrum, vel signum aliquid imperii, ritu centurionum. Mox *tenuerit* suspicari possis. Observandum etiam est, in plerisque his prodigiis ignem et fulgorem fuisse; Stroth.

11. *Scuta duo sanguine sudasse;* confer XXVII, 4; Valer. Max. I, 6, n. 5, et Plut. in Fabio pr. pag. 174, ubi et alia, mox memorata, prodigia recenset, Livium sequutus auctorem. *Sanguinem sudasse* omnes edd. ante Drak. non male! hoc est, sudando emisisse. Præterea verba *sudare*, *flere*, *manare*, *pluere*, *stillare*, *rorare*, et similia non tantum sexto, sed et doctius quarto casui junguntur; vide Heins. ad Ovid. Met. VI, 312. De ipso prodigio vide ad I, 31, n. 1.

12. *Præneste ardentes lapides cælo cecidisse;* in uno MS *lampades*, probb. Drak. et Stroth. Sed Plut. loco laudato ita hæc vertit: καὶ λίθους μὲν ἐκ τοῦ ἀέρος διαπύρους καὶ φλεγομένους φέρεσθαι.

13. *Arpis parmas in cælo visas;* confer Oros. IV, 15, n. 14.

14. *Aquas Cæretes sanguine m. f.;* confer ad XXII, 36, n. 9, et Valer. Max. I, 6, n. 5. — *Fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis*, forte leg. *frontemque ipsam Herculis*, hoc est, simulacri ejus, for-

sparsum maculis; et in Antiati[15] metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse; et Faleriis cælum findi velut magno hiatu visum, quaque patuerit, ingens lumen effulsisse; sortes sua sponte attenuatas[16], unamque excidisse, ita scriptam: MAVORS TELUM SUUM CONCUTIT; et per idem tempus Romæ signum Martis Appia[17] via ad simulacra luporum sudasse; et Capuæ speciem cæli ardentis fuisse, lunæque inter imbrem cadentis[18]. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas, et gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse. His, sicut erant nuntiata, expositis, auctoribusque in curiam introductis, consul de religione patres consuluit[19]. Decretum, ut ea prodigia, partim majoribus hostiis[20], partim lactentibus, procurarentur; et uti supplicatio per triduum

sán magni in Capitolio, de quo vide IX, 44. Confer ad Epit. Liv. L, n. 3, ubi *caput multis cicatricibus sparsum* dicitur.

15. *In Antiati* (vide ad VIII, 12, n. 11) *metentibus cruentas in corbem* (vide ad II, 5, n. 5) *spicas decidisse;* confer XXVIII, 11; Plut., Oros. et Valer. locis laudatis. — *Cælum findi* fulmine, ut *scindi*, *discedere* (apud Cic. Div. I, 43), *dividi, rumpi:* et quidem *cælum* nubilum, non serenum, quod lætum erat augurium prodigiumque; v. ad Sil. I, 135, n. 535 sq.

16. *Sortes sua sponte attenuatas* (vide ad XXI, 62, n. 5), *unamque excidisse* (vid. ad XXI, 42, n. 2), *ita scriptam*, etc.; sed Plut. loco laudato tradit, τοῦ ὑπὲρ Φαλερίους οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος, ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τούτων ἑνὶ γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν· Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει. Confer ad XXI, 62, n. 5, et Periz. anim. hist. cap. 9, pag. 380.

17. *Signum Martis* in *Appia via* confer Cic. ad Quintum fr. III, 7, et de via illa supra ad IX, 29, n. 5) *sudasse* (confer not. 11) *ad simulacra luporum*, ferarum Marti sacrarum (vid. ad X, 27, n. 7), et forsan in galea ejus vel scuto expressarum. — In quibusdam nostris, et fortasse melius *ac simulacra* legere est. ED.

18. *Lunæque inter imbrem cadentis;* ut et Julius Obseq. tradit, *C. Lælio, L. Domitio consulibus, Vulsiniis novam lunam decidisse, et non nisi postera die hora tertia comparuisse.* Drak. malebat *lunæque i. i. cadentis*, Sigon. vero et Stroth. *lunæque i. i. candentis*, id est, splendentis.

19. *Consul* (Servilius) *de religione Patres consuluit*, de *procuratione* horum prodigiorum. Cf. ad I, 20, n. 11.

20. *Partim majoribus hostiis*, quæ non amplius crescunt, *partim lactentibus*, ut XXVII, 4, et XXXVII, 3. — *Supplicatio ad omnia pulvinaria;* vide ad XXI, 62, n. 12.

ad omnia pulvinaria haberetur. Cætera, quum decemviri libros inspexissent[21], ut ita fierent, quemadmodum cordi esse[22] Divi carminibus præfarentur. Decemvirorum monitu decretum est, Jovi primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret; Junoni Minervæque ex argento dona darentur; et Junoni Reginæ[23] in Aventino, Junonique Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur; matronæque, pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginæ in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret; quin et libertinæ ut ipsæ[24], unde Feroniæ donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Hæc ubi facta, decemviri[25] Ardeæ in foro majoribus hostiis sacrificarunt: postremo Decembri jam mense[26] ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum (et eum lectum senatores straverunt), et convivium publicum; ac per urbem

21. *Decemviri libros inspexissent;* vide ad III, 10, n. 6.

22. *Quemadmodum cordi esse* sibi (vide ad VI, 9, n. 1) *divi carminibus* Sibyllinis *præfarentur,* hoc est, prædicerent, quo sensu in omnibus libris h. l. et apud Catull. LXIV, 38, legitur illud verbum. *Profarentur* emend. Gron., Drak. et Doer. putantes, hoc verbum, non illud, eo sensu dici. Quanta vero similitudo intercedit inter *præfari* et *prædicere?* Pro *divi* ex MS Rec. *divis* recepit Stroth. In reliquis MSS et in antt. edd. *divinis:* unde forsan leg. *divi his,* vel cum Jac. Gron. *Divi suis* aut *iis carminibus.*

23. *Junoni Reginæ et Sospitæ;* vide Ind. et ad VIII, 14, n. 4. Mox potius leg. *quantam;* Gron.—*Lectisterniumque* (vide ad V, 13, n. 5) *fieret;* forte *facerent.*

24. *Quin et libertinæ ut ipsæ*, etc., hoc est, immo ut adeo ipsæ libertinæ (sed ita redundat τὸ *ipsæ*); vel, immo ut adeo lib. *ipsæ*, id est, sua sponte, ultro, vel potius (quoniam in illis explicationibus τὸ *ut* plane otiosum est, idque in superioribus non ita adhibitum) *quin et libertinæ, ut,* similiter ac *ipsæ,* scilicet matronæ, *pecuniam conferrent:* nam *ipse* peculiariter de dominis matronisque ad famulitium relatis dicitur; Stroth. De *Feronia* vide ad I, 30, n. 4.

25. *Decemviri* (sacris faciundis) *Ardeæ in foro maj. h. sacrificarunt;* hoc enim nonnunquam et iis locis factum, ubi nullum exstiterat prodigium; Sigon. Conf. XLII, 20.

26. *Postremo decembri jam mense,* etc. Regrediens ad superius tempus noster narrat, quæ facta erant jam ante hæc prodigia procurata; Stroth. Mox voces *et eum* ex postremis forte

Saturnalia[27] diem ac noctem clamatum, populusque eum diem[28] festum habere ac servare in perpetuum jussus.

II. Dum consul placandis Romæ diis, habendoque delectu[1] dat operam, Hannibal, profectus ex hibernis, quia jam Flaminium consulem Arretium pervenisse fama erat, quum aliud longius, cæterum commodius, ostenderetur iter, propiorem viam per paludem[2] petit, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat. Hispanos et Afros (id omne veterani erat robur exercitus)[3], admixtis ipsorum impedimentis, necubi consistere coactis necessaria ad usus deessent, primos

literis verbi præc. *imperatum* natæ, saltem incommodæ et otiosæ; Gron. et Strothius. Conf. tamen ad lib. I, cap. 19, n. 1.

27. *Ac per Urbem Saturnalia*, sc. adesse, et nunc celebranda esse, h. e. lætitiæ ita indulgendum esse, ut Saturnalibus, *diem ac noctem*, die ac nocte (vel potius: per totum *diem ac noctem*), *clamatum* est; Doer. Conf. ad XXI, 62, n. 1, et XXX, 36, n. 5. *Io Saturnalia* conj. Burm. et *Saturnalia clamata* Gronov. quod firmari loco Macrob. Sat. I, 10 monet Drak. Sic et dicitur Livio *triumphus nomine cieri* (XLV, 38) et *clamari;* Ern.

28. *Populusque eum diem*, etc.; vide ad II, 21, n. 1.

Cap. II. 1. *Habendoque delectu*, delectui; vide ad IV, 12, n. 8. *Habendoque* MS Ber. unus MSS et cmnes edd. ante Gron. *Romæ distrahendoque* MSS reliqui: unde *trahendoque* (h. e. producendo) reposuere Gronovius et Drakenb. Sed Duker. et Stroth. recte monent, dilationem delectus neutiquam cadere in Servilium, et tam periculosum tempus.

2. *Propiorem viam per paludem* (forte *paludes*) *petit*, *qua* parte *fluvius* Etruriæ *Arnus*, ex Apennino ortus (hodie *Arno*)... *inundaverat*, etc. Cf. Polyb. III, 78, 79 (quem locum Livius in toto hoc capite transtulit pæne totidem verbis), et Strab. V, 2, 9, p. 227, qui dicit, Hannibalem, e Gallia in Etruriam proficiscentem, non commodiorem viam petiisse per Umbriam et Ariminum, quod eam accurata custodia teneri cognoverit, sed difficiliorem juxta Trasimenum lacum.

3. *Hispanos et Afros (id omne veterani erat robur exercitus)*, etc. Ita legitur nunc ex emend. Gron.: at in edd. antt. *Hispanos et Afros, et omne quod veterani*, etc. Idque forte non spernendum (vel, quia τὸ *quod* a MSS abest, et *quod* et *erat* delendum), quoniam sic Livius ad verbum expressit Polyb. III, 79 pr. nisi potius ibi καὶ est exegeticum (vide sup. ad II, 42, n. 7): nam idem Polyb. mox solos memorat Hispanos et Afros, nec præter eos aliud erat *robur exercitus*. — Mox *necubi* pro *nec alicubi*, ut cap. 16, 28; XXV, 33; XXXVIII, 49, et *necunde* pro *ne alicunde*, cap. 23, et XXVIII, 1. Stroth.

ire jussit: sequi Gallos, ut id agminis medium esset; novissimos ire equites: Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen, maxime Gallos, si tædio laboris longæque viæ (ut est mollis ad talia gens[4]) dilaberentur aut subsisterent, cohibentem. Primi, qua modo præirent duces per præaltas fluvii ac profundas voragines, hausti pæne limo, immergentesque se, tamen signa sequebantur. Galli neque sustinere se prolapsi[5], neque adsurgere ex voraginibus poterant; aut corpora animis, aut animos spe sustinebant: alii fessa ægre trahentes membra; alii, ubi semel victis tædio animis procubuissent, inter jumenta, et ipsa jacentia passim, morientes. Maximeque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduum jam et tres noctes toleratæ: quum, omnia obtinentibus aquis, nihil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, inveniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant. Jumentorum itinere toto prostratorum passim acervi tantum, quod exstaret aqua[6], quærentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile dabant. Ipse Hannibal, æger

4. *Ut est mollis ad talia gens*, Galli. Sic et Polyb. l. l. Confer ad V, 44, n. 4. — *Dilaberentur* ab signis, seu ordinibus (ut XXIII, 18 extr. et XXXVII, 20), furtim sparsimve secederent, vel declinarent de via retrocedendo, quod apud Polybium est ἀπονεύειν εἰς τοὐπίσω. — *Primi* Hispani et Afri, *qua* parte *modo præirent duces*, etc.

5. *Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere;* cum Creverio forte leg. *neque sustinere se, neque prolapsi a.;* vide ad XXI, 35, n. 10. — Mox *aut* pro *neque*, ut sæpe post *neque* vel *nec;* et deinde *alii trahentes, alii morientes*, scilic. erant, pro: trahebant, moriebantur, de quo vide Davis. ad Cic. Nat. Deor. IV, 44; Doer. — *Vigiliæ conficiebant* Pœnos. Conf. ad V, 10, n. 6.

6. *Jumentorum itinere toto prostratorum acervi tantum, quod exstaret ex*, vel ab *aqua*, quantum eorum aquæ superemineret, *necessarium cubile dabant quærentibus*, scilic. illud: nam *cubile* bis intell., ad *quærentibus*, et ad *dabant;* Stroth. Cf. Polyb. Non bene fluit oratio, et ante *jumentorum* desiderari videtur *vel:* alii incumbebant sarcinis in aquas cumulatis, alii acervis jumentorum; Duk. — Dukeri hanc conject. impugnat Walchius, Emend. pag. 178; quippe quod nulla emendatione opus videri debeat ei, qui ad Livii duritiem in conjunctione perio-

oculis, ex verna primum intemperie[7] variante calores frigoraque, elephanto, qui unus superfuerat, quo altius ab aqua exstaret, vectus; vigiliis tandem, et nocturno humore, palustrique cælo gravante[8] caput, et quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur[9].

III. Multis hominibus jumentisque fœde amissis, quum tandem de paludibus emersisset, ubi primum in sicco potuit, castra locat: certumque per præmissos exploratores habuit, exercitum romanum circa Arretii mœnia esse. Consulis deinde consilia atque animum, et situm regionum, itineraque, et copias ad commeatus expediendos, et cætera, quæ cognosse in rem[1] erat, summa omnia cum cura inquirendo exsequebatur. Regio erat in primis Italiæ fertilis, etrusci campi, qui Fæsulas inter Arretiumque jacent, frumenti ac pecoris et omnium copia rerum opulenti. Consul ferox ab consulatu priore[2], et non modo legum ac patrum majestatis, sed ne deorum quidem satis metuens. Hanc insitam ingenio ejus temeritatem fortuna prospero

dorum adverterit; nam sensus fulcro non indiget: milites, sive pars militum, sarcinis cumulatis in aquas insuper incumbebant; qui quærerent tantum quod exstaret aqua, iis jumenta brevis temporis necessarium cubile dabant. Nostri vulgatam non mutant. Ed.

7. *Ex verna intemperie* (ut mox *palustri cælo*), ob eam; vide ad III, 31, n. 1. — *Elephanto, qui unus superfuerat* (vide ad XXI, 56, n. 4), *vectus, quo,* ut eo *altius ab aqua exstaret;* alii *quod* pro *quo.*

8. *Gravante caput,* graviter afficiente, vexante.

9. *Altero oculo capitur;* vide ad II, 36, n. 7. Conf. Polyb. l. l. Tac. Hist. IV, 13; Juven. X, 157 sq.; Sil. IV, 749 sq. 762, et Nep. Hannibal. IV, qui tamen tradit, eum postea nunquam dextro oculo æque bene usum esse, et in transitu Apennini id factum, non quum ex Liguribus in Etruriam iter faceret, ut tradunt Polybius et Livius.

Cap. III. 1. *Quæ cognosse in rem erat;* vide ad I, 27, n. 5. — *Inquirendo exsequebatur;* vide ad V, 15, n. 8. Ad hæc et seqq. cf. Polyb. III, 80-82.

2. *Consul ferox ab consulatu priore,* etc. (vide ad XXI, 63, n. 3), scil. *erat,* quod ex præc. periodo repetendum. — *Non modo* non *legum* (vid. I, 40, n. 1) *metuens;* vid. IV, 9, n. 4.

civilibus bellicisque rebus successu aluerat. Itaque satis apparebat, nec deos nec homines consulentem ferociter omnia ac præpropere acturum. Quoque pronior esset in vitia sua, agitare eum atque irritare Pœnus parat: et, læva relicto hoste, Fæsulas petens, medio Etruriæ agro prædatum profectus, quantam maximam vastitatem potest, cædibus incendiisque consuli procul ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidem hoste ipse quieturus erat, tum vero, postquam res sociorum ante oculos prope suos ferri agique vidit[3], suum id dedecus ratus, per mediam jam Italiam vagari Pœnum, atque, obsistente nullo, ad ipsa romana mœnia ire oppugnanda; cæteris omnibus in consilio salutaria magis, quam speciosa, suadentibus[4], *collegam exspectandum, ut conjunctis exercitibus, communi animo consilioque, rem gererent; interim equitatu auxiliisque levium armorum ab effusa prædandi licentia hostem cohibendum;* iratus se ex consilio proripuit; signumque simul itineris pugnæque proposuit. « Quin immo Arretii ante mœnia[5] sedeamus, « inquit; hic enim patria et penates sunt. Hannibal « emissus e manibus perpopuletur Italiam, vastan- « doque et urendo omnia ad romana mœnia perve- « niat; nec ante nos hinc moverimus, quam, sicut « olim Camillum ab Veiis[6], C. Flaminium ab Arretio « Patres acciverint. » Hæc simul increpans, quum ocius

3. *Ferri agique videt res sociorum;* vide ad III, 37, n. 4.

4. *Cæteris omnibus in consilio* militari (vide ad VIII, 6, n. 6) *salutaria magis suadentibus, quam speciosa,* scil. dictu, quæ bene quidem sonarent et haberent, quod placeret, sed reapse vana et temeraria essent; Doer. Conf. Curt. V, 1, 8. Sic *species* sæpe dicitur, quod videtur esse tale, quale non est. Cf. ad Tac. Ann. III, 30, n. 7. Mox *effuse* pro *effusa* conj. Duk.

5. *Arretii ante mœnia sedeamus;* vide ad VII, 37, n. 4. — *Vastando et urendo* pro *vastans et urens;* vide ad I, 8, n. 4.

6. *Sicut olim Camillum ab Veiis,* etc.; vide ad IX, 4, n. 7.

signa convelli juberet, et ipse in equum insiluisset, equus repente corruit[7], consulemque lapsum super caput effudit. Territis omnibus, qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur, signum, omni vi moliente signifero, convelli nequire. Conversus ad nuntium, « Num literas quoque, inquit, « ab senatu adfers, quæ me rem gerere vetent? Abi, « nuntia, signum effodiant, si ad convellendum manus « præ metu obtorpuerint. » Incedere inde agmen cœpit; primoribus, super quam quod dissenserant a consilio[8], territis etiam duplici prodigio; milite in vulgus læto[9] ferocia ducis, quum spem magis ipsam, quam causam spei, intueretur.

IV. Hannibal, quod agri est inter Cortonam[1] urbem Trasimenumque lacum, omni clade belli pervastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum injurias

7. *Equus repente corruit*... et *nuntiatur, signum convelli nequire:* eadem et alia quoque prodigia memorant Valer. Max. I, 6, n. 6; Cic. de Div. I, 35; Sil. V, 59 seq.; Flor. II, 6, et Plut. in Fabio. De posteriori vide ad I, 31, n. 1. — *Fœdo omine incipiendæ rei,* statim ab initio rei; exhibente fœdum initium; Bauer.

8. *Super quam quod dissenserant a consilio* (confer not. 4), ut XXVII, 20, pro quo *præterquam quod* dicitur XXIV, 49, et XXV, 41, et simpl. *præterquam* passim; vide ad V, 14, n. 5. *Super* sæpe significat idem quod *præter; quam* idem quod *is, ea, id,* per omnes casus ac genera; et *præter quam, super quam, insuper quam* (ut XXIII, 7, n. 3) idem quod *præter id,* vel *ea;* Stroth. Confer ad Tac. Ann. IV, 11, n. 1. Sic et *extra quam, qui* pro *præter eos, qui* XXVI, 34, n. 2, et *extra quam si* (græce ἐκτὸς εἰ μή, germ. *ausgenommen wenn*) XXXVIII, 38; XXXIX, 18.

9. *In vulgus milite læto*, universe, per omnem gregem, *durchgängig;* Bauer. — *Spes magis ipsam, quam causam spei* ejus et suæ, id quo spes niteretur. Rei optatæ et speratæ unice intenti non reputabant, an causam sperandi haberent; Doer. Τηλικοῦτον γὰρ προσεθεβλήκει κατελπισμὸν τοῖς ὄχλοις consul, ὥστε πλείους εἶναι τῶν τὰ ὅπλα φερόντων τοὺς ἐκτὸς παρεπομένους τῆς ὠφελείας χάριν, κομίζοντας ἁλύσεις καὶ πέδας, καὶ πᾶσαν τὴν τοιαύτην παρασκευήν, Polyb. III, 82.

Cap. IV. 1. *Inter Cortonam urbem,* quæ etiam nunc ita dicitur, et Κορτώνιος Polyb. loco laudato, sed Κόρτωνα Ptol. et aliis. — *Trasimenumque lacum* Etruriæ in agro Perusino, qui hodie *Lago di Perugia,* seu *di Passignano,* et *di Castiglione* vocatur. Nomen varie scribitur, *Thrasumenus,*

acuat. Et jam pervenerant[2] ad loca insidiis nata, ubi maxime montes cortonenses Trasimenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paulo latior patescit campus; inde colles adsurgunt[3]. Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret. Baliares cæteramque levem armaturam[4] post montes circumducit: equites ad ipsas fauces saltus, tumulis apte tegentibus, locat; ut, ubi intrassent Romani, objecto equitatu, clausa omnia lacu ac montibus essent. Flaminius quum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato, postero die, vix dum satis certa luce, angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit, id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit: ab tergo et super caput decepere insidiæ[5]. Pœnus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus, et circumfusum suis copiis habuit

*Thrasymenus, Thrasimenus*, Θρασιμένη λίμνη, sed in plerisque et optimis libris Ταρσιμένη apud Polyb. III, 82; *Tharsomenus;* (vide Quintil. Ins. Or. I, 5, n. 13, ibique Burm.) Τρασυμένη Strabo, V, 2, n. 9, pag. 226, *Trasimenus*, et rectius forte *Trasumenus*. Similiter scribitur *Japydes, Japudes* et *Japides, Illyrii, Illurii* et *Illirii, satyra, satura* et *satira, inclytus, inclutus* et *inclitus, lacrymæ, lacrumæ* et *lacrimæ*. Nam veteres Romani Gr. ὑ ut Gall. *u* pronuntiarunt, et docti grammatici substituerunt *y*, indocti et medii ævi scriptores *i*.

2. *Et jam pervenerant*, scilicet Pœni: dicendum erat *pervenerat*, scilicet Hannibal; sed ita variare amat Livius; vide cap. XXII, 16 pr.; XXIV, 22, n. 4, et 24 extr.; XXV, 21, et similis enallage numeri est apud Diodor. XV, 42: ὁ Νεκτανέβις ἐπυνθάνετο...κατεσκεύασαν...τοῦτο γὰρ ἀπετάφρευσε, Stroth. — *Ad loca insidiis nata* (vide ad V, 37, n. 6), *ubi maxime*, etc.; confer Polyb. III, 82, 83; et Sil. V, 1 seq. *Montes Trasimenus subit*, proxime ad eos accedit, eos prope alluit ὑποῤῥεῖ apud Strab. XV, pag. 688, προσκλύζει apud Diodor. XVII, pag. 607, quod monuit Freinsh. ad Curt. VII, 3, n. 19; VIII, 11, n. 7), ita ut inter radices montium et lacum perangusta tantum via sit; Duk.

3. *Inde colles assurgunt;* vide ad XXV, 21, n. 3.

4. *Baliares cæteramque levem armaturam;* vide ad XXI, 55, n. 2. — *Inexplorato;* vide ad I, 41, n. 10.

5. *Ab tergo ac super caput decepere*, latuere (ut al. fefellere eum, et passim *decipere*, Gr. λανθάνειν), *insidiæ*, ex emend. Lips. in Epist. Quæst. V, 1 prob. Gron. Obss. III, 20. In pleris-

hostem, signum omnibus dat simul invadendi. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrere, eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula[6] campo, quam montibus, densior sederat, agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta, eoque magis pariter decucurrerunt. Romanus clamore prius undique orto, quam satis cerneret, se circumventum esse sensit[7]; et ante in frontem lateraque pugnari cœptum est, quam satis instrueretur acies, aut expediri arma, stringique gladii possent.

V. Consul, perculsis omnibus, ipse satis, ut in trepida re[1], impavidus, turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit, ut tempus lo-

que MSS legitur *decepte* vel *deceptæ;* in quibusdam, et in omnibus edd. antt. *detectæ*, hoc est, tectæ, ut cap. 28, *detegendis insidiis* pro *tegendis i.* in quamplurimis MSS. Sed alia desiderantur exempla. *Haud detectæ i.* conj. Stroth.

6. *Orta ex lacu nebula* (prospectum eripiens) in *campo*, etc.; confer Sil. V, 35 seq. et Polyb. III, 85. Mox *ex pluribus collibus* pro vulg. *ex p. vallibus* cum Stroth. recepi ex verissima conjectura Lipsii in Epist. Quæst. V, 1. (Confer ad cap. 9, n. 2.) Nam non intelligo, quomodo agmina in pluribus vallibus considentia inter se conspecta, aut ex iis decucurrisse dici possint; Duk. Neque tamen, quod Doer. suadet, *eo* reponendum pro *eoque*, id est, ideoque (vide ad I, 11, n. 6.). Verba *inter se satis conspecta* continent rationem illorum : *eoque magis pariter;* Livius autem variavit orationem, et verbo *decucurrerunt* junxit primo partic. *conspecta*, deinde adv. *pariter*.

7. *Romanus clamore undique orto prius, quam satis cerneret, se circumventum esse sensit :* ita forte τὸ *prius* transponendum, saltem verba eo ordine capienda, et ad *cerneret* subintell. *se circumveniri*, vel *se circumventum esse*. Stroth. conj. *quam hostes*, aut *q. satis hostes cerneret*. — Walchius, Emend. pag. 131, censet quoque τὸ *prius* transponendum, quippe quod, si vulgatum ordinem serves, nullam nisi debilem imperfectamque sententiam eruas, quasi si quis diceret : « Quum clamor undique accidisset, et priusquam oculorum usus esset, non fieri potuit quin se sentirent circumventos. » Sed *Büttner* in Observ. pag. 60, censet ea, quæ Walchio placuit, verborum trajectione non opus esse; et una tantum interpunctione locum ita sanandum : *Rom. clamore prius, undique orto, quam*, etc. Enimvero paulo insolentior ordo, at non mirandus apud veterem scriptorem; ergo ablegat exempli causa ad VIII, 3 : *concilio prius habito prætores, quam*, etc. Ed.

Cap. V. 1. *Ut in trepida re;* vide ad V, 11, n. 3; et VIII, 30, n. 7. —

cusque patitur; et, quacumque adire audirique potest, adhortatur, ac stare et pugnare jubet; *nec enim inde votis aut imploratione deum, sed vi ac virtute, evadendum esse. Per medias acies ferro viam fieri: et, quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse.* Cæterum præ strepitu ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat: tantumque aberat, ut sua signa atque ordinem et locum nosceret miles, ut vix ad arma capienda[2] aptandaque pugnæ competeret animus; opprimerenturque quidam, onerati magis his, quam tecti: et erat in tanta caligine major usus aurium, quam oculorum. Ad gemitus vulnerum[3], ictusque corporum aut armorum, et mixtos strepentium paventiumque clamores, circumferebant ora oculosque. Alii fugientes pugnantium globo illati hærebant: alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes partes nequidquam impetus capti, et ab lateribus montes ad lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuitque, nullam, nisi in dextra ferroque, salutis spem esse; tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et nova de integro pugna exorta est; non illa ordinata

*Quacumque* parte. Confer ad hæc et seqq. Polyb. III, 84. *Per medius acies ...fieri.* Eadem expressit Virgil. Æneid. X, 372; mox verba, *quo timoris... esse*, cum illis congruunt: *Audentes fortuna juvat*, Æneid. X, 284. Ed.

2. *Ad arma capienda et*, quod idem est, *aptanda pugnæ.* « Militi jam in acie tribuitur, scilicet jam habenti, nempe manu capere arma, humero ante nixa, ut hastas, gladium stringere, pila prehendère et librare, rel. » Bauer. — *Competeret animus*, idoneus et par esset, sufficeret, valeret. Conf. ad Tac. Ann. III, 46, n. 1.

3. *Ad gemitus vulnerum*, ob vulnera (vide ad I, 5, n. 5), vel vulneratorum (nisi ita leg.), vel potius: ad sonum vel ictuum, vel telorum, vulnera infligentium. Nam *gemitus* dicitur omnis sonus (vide ad Sil. I, 425; V, 398; XV, 156, et Ovid. Met. XII, 487), et *vulnus*, vel ictus, quo, vel tela, aliaque arma, quibus vulnera inferuntur; vide ad Sil. I, 397, et IV, 387. Hinc forte *gravi* et *mortifero vulnere ictus* supra II, 47; et *vulneribus confodi* infra XXIV, 7. Hinc quoque synon. h. l. junguntur *gemitus vulnerum, ictusque corporum aut armorum.*

per[4] principes hastatosque ac triarios, nec ut prosignis antesignani, post signa alia pugnaret acies; nec ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Fors conglobat[5], et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat: tantusque fuit ardor armorum[6], adeo intentus pugnæ animus, ut eum motum terræ[7], qui multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, avertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

VI. Tres ferme horas pugnatum est, et ubique atrociter: circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est[1]. Eum et robora virorum sequebantur, et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem; insignemque armis et hostes

4. *Non illa ordinata* pugna *per principes hastatosque ac triarios;* cf. VIII, 8. Sed legendum videri *per hastatos principesque ac t.* jam monuit Duk. Cf. Lips. Mil. rom. IV, 1; Schel. ad Hygin. pag. 1053; Salmas. Mil. rom. cap. 4. — Si vulgatam sollicitare nolis, intellige cum Creverio: « pugna ita ordinata erat, ut seorsim principes, seorsim hastati, aut triari pugnarent»: non enim hæc ita accipienda sunt, quasi Livius horum inter se corporum ordinem repræsentare voluerit, quum constet hastatos in fronte solitos locari, deinde principes, postremo triarios; vide ad VIII, 8, ibique notas. Ed. — *Nec ut pro signis,* ante signa, *antesignanus,* hastati et principes, *post signa alia pugnaret acies,* scilicet Triarii; vide ad II, 20, n. 3; et VIII, 8, n. 4.

5. *Fors conglobat* Romanos, ut apud Sallustium, Jugurt. 97, al. 102. *Sors* male edd. ante Gron. qui et mox *dat* pro *dabat* in optimis MSS legi monet. — *Ante aut post,* scilicet signa.

6. *Tantusque fuit ardor armorum,* vide ad I, 30, n. 7.

7. *Eum motum terræ,* etc. qui non memoratur Polybio, sed tamen Cœlio apud Cic. de Div. I, 35; Plin. II, 84, seu 86; Oros. IV, 13; Sil. V, 611 seq.; Flor. II, 6, et Plut. in Fabio. Confer Heyne Opusc. Acad. tom. III, pag. 259. — *Avertitque cursu rapidos* (id eum Stroth. recepi ex duobus optimis MSS pro vulg. *rapido) amnes, mare fluminibus invexit,* ut apud Cic. loco laudato luculentius: *ut flumina in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit.* Flumina decurrunt in mare: fit autem tremore terræ, ut mare interdum exundet, et aut retro agat flumina, quæ id refluum sentire non solent, aut, ubi accessus recessusque ejus, altius solito ascendat; Gronov.

Cap. VI. 1. *Infestiorque pugna est:* immo *erat* aut *esse;* Bauer. — *Premi ac laborare;* vide ad III, 31, n. 1. —

summa vi petebant, et tuebantur cives : donec insuber eques (Ducario nomen erat) facie quoque noscitans, « Consul, en, inquit, hic est, popularibus suis, « qui legiones nostras cecidit, agrosque et urbem est « depopulatus : jam ego hanc victimam[2] manibus per« emptorum fœde civium dabo : » subditisque calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum facit ; obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti[3] obviam objecerat, consulem lancea transfixit : spoliare cupientem triarii objectis scutis arcuere. Magnæ partis fuga inde primum cœpit : et jam nec lacus, nec montes obstabant pavori : per omnia arcta præruptaque velut cæsi evadunt : armaque et viri super alium alii præcipitantur. Pars magna, ubi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt. Fuere, quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit. Quæ ubi immensa, ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut nequidquam fessi vada retro ægerrime repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia ferme primi agminis, per adversos hostes eruptione impigre facta, ignari omnium, quæ post se agerentur, ex saltu evasere. Et, quum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire, nec per-

*Ducarium* non nisi Livius memorat, et ex eo Sil. V, 644 seq. Polybius III, 84, tradit, consulem a Gallis quibusdam interemptum. *Insuber eques, facie quoque noscitans*, etc. ; vide ad XXI, 63, n. 3.

2. *Hanc victimam*, hunc, scilicet consulem, vide ad XXI, 10, n. 14.

3. *Qui se infesta venienti* (vide ad I, 13, n. 2, et XXI, 44, n. 2) *obviam objecerat :* durior constructio quum in verbis *infesto venienti*, tum in pleonasmo *obviam objecerat :* neque enim junxerim *obviam venienti*, quod de aggresso et impugnante dici solet ; Bauer. *Triarii objectis scutis ar-*

spicere præ caligine poterant[4]. Inclinata denique re[5], quum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida jam luce montes campique perditas res, stratamque ostendere fœde romanam aciem. Itaque, ne in conspectos procul immitteretur[6] eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt. Postero die, quum super cætera extrema fames[7] etiam instaret, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consequutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt. Quæ punica religione[8] servata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes conjecit.

VII. Hæc est nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi romani clades. Quindecim millia Romanorum[1] in acie cæsa sunt; decem millia, sparsa fuga per omnem Etruriam, diversis itineribus urbem petiere. Mille quingenti hostium in

*cuere;* al. clipeis. Sed confer VIII, 8. Ad seqq. confer Polyb. III, 84.

4. *Nec perspicere præ caligine,* ut forte XL, 22, n. 2, vel accurate, perspicue videre. *Prospicere* malebat Drak.

5. *Inclinata denique re;* vide ad III, 16, n. 4; et IX, 12, n. 2.

6. *Ne in conspectos procul immitteretur eques* Pœnorum,....*sese arripuerunt,* etc. Polybius loco laudato tradit, hæc sex millia Romanorum collibus relictis petiisse vicum quemdam Etruriæ, ibique a Maharbale circumsessos se ei, fidem illam danti, dedidisse.

7. *Super cætera extrema fames:* malim pæne jungere *cætera extrema,* i. e. ultima, ἔσχατα, δεινότατα, ἄπορα, quam *super cætera* et *extrema fames;* Bauer.

8. *Punica religione* (conf. ad XXI, 4, n. 10) *servata fides ab H. est, atque in vincula omnes conjecit;* in edd. ante Gron. *conjecti,* recte forsan, etsi adversantur MSS. Insolentior est h. l. a passivo ad activum transitus, maxime quum copula *atque* duo adjuncta unius subjecti jungat; et tolerabilius esset, si, copula *atque* deleta, major distinctio post *est* poneretur (confer ad I, 4, n. 3; II, 2, n. 2; XXII, 20); Stroth. *qui* leg. pro *atque;* Doer. Sed vide ad II, 56, n. 1. Aspera quoque excidisse, ut Thucydidi, ita et Nostro, possunt; Bauer.

Cap. VII. 1. *Quindecim millia Rom.* ut apud Polyb. III, 84. Conf. Appian. Hann. 10. Mox pro *diversis itineribus* in plerisque *adversis i.,* in quibusdam *aversis,* non male, ut sint itinera aversa a via militari ac regia, *avia,* vel *devia,* et secretiora per circuitus, non

acie [2], multi postea utrimque ex vulneribus periere : multiplex cædes utrimque facta traditur ab aliis. Ego, præterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium æqualem temporibus hujusce belli potissimum auctorem habui [3]. Hannibal, captivorum qui latini nominis essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum quum sepeliri jussisset, Flaminii quoque corpus, funeris causa magna cum cura inquisitum [4], non invenit. Romæ, ad primum nuntium cladis ejus, cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronæ vagæ per vias, quæ repens clades allata, quæque fortuna exercitus esset, obvios percunctantur [5]. Et quum frequentis concionis modo turba in comitium et curiam versa magistratus vocaret; tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius prætor, « Pugna, inquit, magna victi sumus : » et,

*recta;* Gronov. Conf. ad X, 2, n. 6.

2. *Mille et quingenti hostium in acie periere,* majorem partem Galli. Confer Polyb. III, 85. Mox prius *utrimque* delendum : nam loquitur hic de hostium separatim jactura, et quæ Romanorum fuerit clades, jam ante exposuit; Perizon. — *Multiplex cædes,* multis partibus, aliquanto major, ut *multiplex gaudium* IV, 60, multo majus, *multiplicare regnum* XXXVII, 54, multis partibus majus facere, aliquoties tantum reddere, *vielmal so gross machen, als es ist,* et Græce : πολλαπλάσιος, quod genitivo quoque jungitur; Bauer. Confer ad VII, 8, n. 1. — *Haustum ex vano,* temere credidisse, posuisse; Bauer. *ex vario* conj. Ern. Confer Drak. ad h. l. et ad XXIX, 23.

3. *Fabium æqualem... potissimum auctorem habui,* sequutus sum; vide ad I, 44, n. 5, et II, 58, n. 1. — *Captivorum* (qui plures erant 15 millibus) *qui Latini nominis* (vide ad I, 10, n. 2) *essent,* etc.; confer Polyb. III, 85, qui eum his dixisse tradit, se non Italis, sed pro eorum libertate Romanis bellum intulisse.

4. *Flaminii corpus, magna cum cura inquisitum,* quæsitum, *non invenit;* confer ad Sil. V, 659 sq.

5. *Obvios percunctantur,* forte *percunctabantur,* aut *sit* pro *esset;* Bauer. Confer ad I, 41, n. 2. — *Turba in comitium* (vide ad I, 36, n. 6) *et curiam versa magistratus vocaret,* evocaret, ut indicarent, quid certi esset : nam magistratus id celare aut minuere cupiebant; Sanct. Confer ad hæc et seqq. Polyb. III, 85; Plut. in Fabio pag. 175, et Sil. VI, 552 seq.

quanquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus[6] domos referunt, *consulem cum magna parte copiarum cæsum : superesse paucos, aut fuga passim per Etruriam sparsos, aut captos ab hoste*. Quot casus[7] exercitus victi fuerant, tot in curas dispertiti eorum animi erant, quorum propinqui sub C. Flaminio consule meruerant, ignorantium, quæ cujusque suorum fortuna esset : nec quisquam satis certum habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus[8], ad portas major prope mulierum, quam virorum, multitudo stetit, aut suorum aliquem, aut nuntios de his opperiens : circumfundebanturque obviis sciscitantes; neque avelli, utique ab notis[9], prius, quam ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, ut cuique aut læta aut tristia nuntiabantur : gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum præcipue et gaudia insignia erant, et luctus. Unam in ipsa porta, sospiti filio repente oblatam, in conspectu ejus exspirasse ferunt; alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, mœstam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot[10] ab orto usque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes, quonam duce, aut quibus copiis, resisti victoribus Pœnis posset.

VIII. Prius quam satis certa consilia essent, repens alia nuntiatur clades : quatuor millia equitum, cum

6. *Alius ab alio impleti rumoribus*, etc.; vide ad I, 41, n. 1.

7. *Quot casus*, quam varii casus, *exercitus victi*, etc.

8. *Postero, ac deinceps aliquot diebus;* vide ad I, 21, n. 8.

9. *Neque avelli, utique ab notis;* vide ad II, 30, n. 1. Mox *degredientium* pro *digred.* reposuit Bauer.; vide ad XXI, 36, n. 4.

10. *Senatum prætores per dies aliquot*, etc. Nam senatum solum nihil commisisse, quod a dignitate sua abhorreret, dicit Polyb.

C. Centenio pro prætore missa[1] ad collegam ab Servilio consule[2], in Umbria, quo post pugnam ad Trasimenum auditam averterant iter, ab Hannibale circumventa. Ejus rei fama varie homines affecit: pars, occupatis majore ægritudine animis, levem, ex comparatione priorum, ducere recentem equitum jacturam: pars non id, quod acciderat, per se æstimare, sed, ut in affecto corpore[3] quamvis levis causa magis quam valido gravior, sentiretur; ita tum ægre et affectæ civitati quodcumque adversi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis, quæ nihil, quod aggravaret[4], pati possent, æstimandum esse. Itaque ad remedium, jam diu neque desideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit; et quia et

Cap. VIII. 1. *Quatuor millia equitum cum C. Centenio* (al. *Centronio*) *proprætore missa*, etc.; conf. Appian. b. Hannib. IX, 11 (qui *octo millia* memorat, quæ potius cum *M. Centenio Penula* simili clade, similique superbi ducis inscitia periisse tradunt Livius, XXV, 19, et Oros. IV, 16); Polyb. III, 86 (qui alteram partem dicit occisam, reliquos vero vivos captos); Nep. Hannib. IV, et Zonar. VIII, 24. Centenius *homo privatus* dicitur Appiano (duos illos centenios confundenti), *prætor* Nepoti, et στρατηγὸς Zonaræ. *Proprætor* vocatur h. l. ut L. Scipio sup. X, 25, quanquam neuter præturam gessisse usquam legitur: nam videntur imperatores, sive consules eo nomine insignivisse legatos suos, quum iis imperium se absentibus traderent; Stroth. Conf. Duker. ad h. l. et X, 25, n. 11, et XXIX, 6, n. 6.

2. *Ab Servilio consule*, qui, de periculo collegæ certior factus, constituerat cum eo se conjungere, et equites propere præmiserat. Ita Polyb. l. l.

3. *Ut in affecto corpore* (vid. ad V, 10, n. 6) *causa*, morbus, *quamvis levis* (vide ad I, 4, n. 6), *magis sentiretur, quam gravior* in *valido;* quod *in* culpa librariorum excidisse, jam suspicatus est Drak. *Causa* pro morbo, ut XXX, 44, n. 4, et passim apud Senecam, Celsum et Vegetium, quod morbo excusari sæpe solemus; vid. Vulp. et Heyn. ad Tibull. I, 8, 51, et Gron. Obss. III, 14. Sic et gr. περίστασις, Stroh.

4. *Nihil, quod aggravaret;* vid. ad IV, 12, n. 3. — *Æstimandum esse*, scil. *secum reputare*, vel *reputabant*, quod in præced. *ducere* et *æstimare* latet. Conf. ad II, 32, n. 6. — *Jam diu neque desideratum*, etc. Tres et triginta anni elapsi erant ab dictatura Atilii Catalini, qui postremus rei gerendæ causa creatus fuerat: nam etsi per hoc intervallum aliquot fuerint dictatores, nullus tamen quidquam de rebus externis, aut bello gessit; quippe qui in id tantum creati sunt, ut comi-

consul aberat[5], a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis punicis Italiam facile erat aut nuntium, aut literas mitti, nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum, et magistrum equitum M. Minucium Rufum. Hisque negotium ab senatu datum, ut muros turresque urbis firmarent, et præsidia disponerent, quibus locis viderentur, pontesque rescinderent fluminum : ad penates pro urbe dimicandum esse[6], quando Italiam tueri nequissent.

IX. Hannibal recto itinere per Umbriam usque ad Spoletum venit. Inde, quum perpopulato agro urbem oppugnare adortus esset, cum magna cæde suorum repulsus, conjectans ex unius coloniæ haud nimis prospere tentatæ viribus, quanta moles romanæ urbis esset; in agrum picenum avertit iter, non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed refertum præda[1], quam effuse avidi atque egentes rapiebant. Ibi per dies aliquot stativa habita : refectusque miles, hibernis itineribus, ac palustri via, prælioque, magis ad eventum[2] secundo, quam levi aut facili, affectus. Ubi satis quietis datum præda ac populationibus magis

tia haberent, non rempublicam gerent. Ed.

5. *Et* (forte *sed;* Mur.) *quia et consul aberat,..... prodidactorem* (dictatorem minus accurate apud Polyb. III, 87) *populus creavit Fabium;* cf. cap. 31 extr. et IV, 31.

6. *Ad penates pro urbe dimicandum esse;* conf. ad II, 32, n. 6. *Ad penates* ex emendat. Gronov. (v. ej. Obss. IV, 6.) In MSS *ac penatibus,* et *ac cum penatibus;* in edd. antt. *ac tum pro penatibus,* et *ac cum Pœnis,* quod probabat Sigonius.

Cap. IX. 1. *Sed* (etiam) *refertum præda;* vid. ad I, 40, n. 1.

2. *Palustri via* (conf. cap. 2), *prælioque, magis ad eventum* (vid. ad IX, 16, n. 9) *secundo, quam levi,* parvo et cum paucis, *aut facili,* sine labore et difficultate feliciter committendo, *affectus;* vide ad V, 10, n. 6. *Ubi satis quietis* ad corpora reficienda *datum* est a duce militibus, *præda,* etc. Hoc *quietis* recepi e conj. Gron. pro vulg. *ubi satis quieti datum,* scilicet temporis a militibus, vel duce : quod non improbabant Stroth. et Drak. Ille

quam otio aut requie, gaudentibus; profectus prætutianum hadrianumque agrum [3], Marsos inde Marrucinosque et Pelignos devastat, circaque Arpos et Luceriam, proximam Apuliæ regionem. Cn. Servilius consul, levibus præliis cum Gallis actis, et uno oppido ignobili expugnato, postquam de collegæ exercitusque cæde audivit, jam mœnibus patriæ metuens, ne abesset in discrimine extremo, ad urbem iter intendit [4]. Q. Fabius Maximus dictator iterum [5], quo die magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, quum edocuisset Patres, plus negligentia ceremoniarum auspiciorumque, quam temeritate atque inscitia, peccatum a C. Flaminio consule esse, quæque piacula iræ deum essent, ipsos deos consulendos esse, pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi quum tetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. Qui, inspectis fatalibus libris [6], retulerunt patribus, *quod ejus belli causa votum Marti foret* [7], *id non rite factum, de integro atque amplius faciendum esse : et Jovi ludos magnos* [8], *et ædes Veneri Erycinæ*

τὸ *gaudentibus* (scil. militibus) pro ablativo absol. accipiebat; hic vero jungebat cum *profectus*, ut al. *magnis* (cum) copiis, vel *novo* (cum) *exercitu profectus*, etc. Nihil horum Livio dignum.: et Strothius ad cap. 4 recte monuit, « malum esse criticorum morem, pro mero arbitrio unam quamdam conjecturam recipere, aliam longe probabiliorem, ac magis necessariam negligere. »

3. *Prætutianum hadrianumque a.*, etc.; conf. Polyb. III, 88. — *Arpos;* vide ad IX, 13, n. 3.

4. *Ad Urbem iter intendit;* vide ad IV, 19, n. 1.

5. *Q. Fabius Maximus dictator iterum :* nam paulo ante hoc bellum jam dictator fuerat; sed vitio creatus dictatura se abdicarat : unde unam tantum dictaturam ipse memorat XXVIII, 40, n. 6; vide Valer. Max. I, 1, 5, et Pigh. Ann. ad ann. 532. — *Negligentia;* vide ad III, 20, n. 6.

6. *Pervicit, ut, quod non ferme decernitur,.....fatalibus libris;* vide ad III, 10, n. 6.

7. *Quod ejus belli causa votum Marti foret*, scil. a C. Atilio Serrano; v. XXI, 62 extr. unde colligere nolim, τὸ *Marti* h. l. delendum, vel cum Rubenio legend. *ante*. — Ex his verbis discimus, quod prius observare neglexerat Livius, illud votum Marti factum fuisse. Ed.

8. *Jovi ludos magnos;* vide ad II,

*ac Menti vovendas esse, et supplicationem lectisterniumque habendum, et ver sacrum*[9] *vovendum, si bellatum prospere esset, resque publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset.* Senatus, quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Æmilium prætorem, ex collegii pontificum sententia, omnia ea ut mature fiant, curare jubet.

X. His senatusconsultis perfectis, L. Cornelius Lentulus[1], pontifex maximus, consulente collegio prætorum, omnium primum populum consulendum de vere sacro censet : injussu populi voveri non posse. Rogatus in hæc verba populus, « Velitis jubeatisne hoc sic

36, n. 1. — *Ædes Veneri Erycinæ* (vide ad XXI, 10, n. 8) *ac Menti;* conf. cap. 10; XXIII, 31; Ovid. Fast. VI, 241 sq. Augustin. C. D. IV, 21; Lactant. I, 20; inpr. Cic. Leg. II, 8.

9. *Ver sacrum*, pecus (quale? vid. cap. 10, n. 8), proximo vere natum, inter Kal. Mart. et pridie Kal. Maias (vide XXXIV, 44, et Dodwell. de Cycl. X, 10, et append. præl. Camd. p. 758), *vovendum* diis: quo ritu? vid. cap. 10. Festus : *Magnis periculis addacti vovebant Itali, quæcumque proximo vere nata essent apud se animalia, immolaturos. Sed quum crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.* Cf. Plutarch. Fab. p. 176; Hard. ad Plinium, 2, seu 18, et Brisson. de Form. I, 97. Votum hoc ver sacrum non a M. Æmilio, cui negotium modo datum, ut videret, omnia, ex relatione decemvirorum paranda, mature fieri, sed ab alio prætore, de quo vid. XXXIII, 44, ut alia ab aliis, de quo vid. Indicem, et cap. 10. *M. Æmilium prætorem cum collegis*, vel *et collegas ex* vel *de pontificum sententia* malebant Pigh. in Ann. ad an. 536, et Gron. Recte, si cap. 10 pr. vera est omnium pæne MS lectio *consulente collegio prætorum*, non, quod vett. edd. exhibent, *consulente collegio pontificum*, vel, quod Lipsius et Drak. malebant, quodque Gronov. recepit quidem, nec tamen probavit, *consulente collegium prætore.* Confer Duk. et Drak. ad XXXIII, 44; Periz. Anim. hist. cap. 4, p. 163. Cæterum *M. Æmilium* Regillum (conf. c. 33, et XXVII, 33) non alium fuisse putabat Sigon. quam eum, de quo vide XXIV, 7-9, et XXIX, 11. Conf. ad XXVII, 33, n. 4.

Cap. X. 1. *L. Cornelius Lentulus* Caudinus, cos. an. 515. — *Consulente collegio prætorum.* Notat Crev. hanc esse MSS lectionem, testatam tum a Gronovio, tum ab ipso Livio, qui tamen eam, quomodo nunc editur, mutavit ita : *consulente collegium prætore.* Sed nobis hæc mutatio necessaria visa non est. Quamvis enim M. Æmilio potissimum hæc cura demandata esset, nihil tamen vetat credere, eum communi cum collegis consilio totum negotium administrasse. Ed.

« fieri : si res publica populi romani Quiritium ad quin-
« quennium proximum, sicut velim eam, salva ser-
« vata erit hisce duellis (quod duellum populo romano
« cum Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis
« sunt, qui cis Alpes sunt); datum donum duit[2] po-
« pulus romanus Quiritium, quod ver attulerit ex suil-
« lo, ovillo, caprino, bovillo grege, quæque profana
« erunt[3], Jovi fieri, ex qua die senatus populusque
« jusserit. Qui faciet, quando volet[4], quaque lege vo-
« let, facito : quo modo faxit, probe factum esto : si
« id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto[5],
« neque scelus esto : si quis rumpet[6] occidetve in-
« sciens, ne fraus esto : si quis clepsit, ne populo sce-
« lus esto, neve cui cleptum erit : si atro die faxit

2. *Datum, donum duit* (vid. ad X, 19, 10) *populus romanus Quiritium*, etc. Conf. Gronov. Obss. IV, 14. Hæc verba non ante, sed post parenthesin, etsi adversantibus MSS et edd., posui suadentibus Strothio et Bauero. Ille etiam bene monet, verba *datum* (substant.) et *donum* synonyma esse, ut apud Ciceronem pro Cluent. X, 24 al., et inciso distinguenda; in formulis autem solennibus synonyma plerumque cumulari, ut (*munus donum* et) mox *populus solutus, liber esto*, vel in tritissimo illo : *quod bonum, felix, faustumque, ac salutare sit*, et al.; vide ad I, 32, n. 10, et Ernesti Clav. Cic. v. *datum*. Conf. similis formula XXXVI, 2, ubi tamen *dona data* sic dicuntur, ut *data* sit partic.

3. *Quæque profana erunt*, non jam olim alicui Deo vota sacrataque; Str. Confer n. 5. — *Jovi fieri*, scilicet sacra, ut mox *quod fieri oportebit*, et sæpius *facere;* vide ad X, 42, n. 9.

4. *Qui faciet, quando volet*, etc. hoc non repugnat verbis præc. *ex qua die senatus populusque jusserit*, modo ne ante eum diem sacra faciant, quem senatus definiturus sit; ex hoc autem die cujusque arbitrio relinquitur reliquum tempus : referri etiam possunt verba *ex qua die* ad ætatem pecudis; Stroth. — *Quaque lege*, formula, vel idem quod *quo modo;* v. ad I, 26, n. 4.

5. *Profanum esto*, ex vere sacro eximatur, ita habeatur, quasi non sacrum ac devotum diis fuerit; Stroth. Confer n. 3.

6. *Si quis rumpet*, violabit, perdet, corrumpet (ut passim in Digestis), *ne fraus esto*, ne fraudi sit populo, ne quasi populi scelus habeatur; Stroth. Sic et paulo ante *ne scelus esto*, et mox *ne populo scelus esto*, et *eo populus solutus, liber esto*. Ita passim *fraus* et *scelus* est ἄγος, ποινα, nefas, cujus pœna vel in eum, qui illud committeret, vel etiam in posteros ejus, totumque populum redundare credebatur. Confer ad III, 53, n. 4, et Mitscherl. ad Hor. Od. I, 28, n. 30, 31. Mox *clepsit* et *cleptum* antiquum verbum,

« insciens[7], probe factum esto : si nocte, sive luce, si « servus, sive liber faxit, probe factum esto : si antei- « dea senatus populusque jusserit fieri, ac faxit, eo po- « pulus solutus, liber esto. » Ejusdem rei causa ludi magni voti æris[8] trecentis tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente : præterea bubus Jovi[9] trecentis, multis aliis divis bubus albis, atque cæteris hostiis. Votis rite nuncupatis, supplicatio edicta : supplicatumque iere cum conjugibus ac liberis non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna publicæ quoque contingebat cura[10]. Tum lectisternium[11] per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus. Sex pulvinaria in conspectu fuere : Jovi ac Junoni unum; alterum Neptuno ac Minervæ; tertium Marti ac Veneri; quartum Apollini ac Dianæ; quintum Vulcano ac Vestæ; sextum

gr. κλέπτειν, furari, vel occultare. *Neve cui cleptum erit*, non habeatur, ducatur pro surrepto, non habeatur eo loco, ac si furto ablatum foret; Bauer.

7. *Si atro die faxit*, confer ad VI, 1, n. 10. *Mox anteidea* vel *antidea* (al. *ante id ea*) antique pro *antea*, ut *antideo*, *antidhac* et *postidea* apud Plaut. pro anteeo, antehac et postea. Sed particula *ac* transponenda videtur : *si antidea ac senatus p. i. fieri*, *faxit;* Stroth.

8. *Ludi magni* (vide ad II, 36, n. 1) *voti æris* gravis *trecentis*, etc., hoc est, 106,481 imperial. $11\frac{2}{3}$ gross. nostri argenti, si as libralis est æqualis $7\frac{2}{3}$ grossis; Stroth. Confer Gron. de pec. vet. IV, 2; Salmas. de usur. pag. 574; Perizon. de ære gravi § 18, 24 impr. Kuster. in Clerici *Bibliothèque choisie*, tom. XXIV, p. I, pag. 117 seq.

9. *Præterea bubus Jovis*, etc., scil. sacrum fieri, votum; Stroth.

10. *Quos in aliqua sua fortuna publicæ quoque contingebat cura*, qui, quum ipsi aliquem statum et rem haberent, ne et sua perderent, omnia stare cupiebant : nam illi maxime de republica solliciti sunt, qui habent ipsi, quod salvum velint (hoc est, rem familiarem, ut cap. 11, n. 7, liberos), et *publica prodendo tua nequidquam serves*, ut XXVI, 36, dicitur; Gron. *contingebat*, movebat, ad quos pertinebat; Ern. Cf. ad XXXIV, 22, n. 4.

11. *Tum lectisternium.... Cereri;* vide ad V, 13, n. 5. In quovis lecto sunt duo numina, et quidem deus ac dea : in quibus jungendis ratio videtur habita et cognationis, amicitiæ amorisque, et similitudinis morum, vitæ ac symbolorum, simul etiam in Marte et Venere originis Romanorum, ab iis repetitæ. Conf. quæ docte de hac re disputantur im *Magazin für Schulen und Schullehrer*, tom. II, pag. 189 seq.

Mercurio ac Cereri. Tum ædes votæ. Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vovit; quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cujus maximum imperium in civitate esset. Menti ædem[12] T. Otacilius prætor vovit.

XI. Ita rebus divinis peractis, tum de bello reque de publica dictator retulit, quibus quotve legionibus victori hosti obviam eundum esse Patres censerent. Decretum, *ut ab Cn. Servilio consule exercitum acciperet : scriberet præterea ex civibus sociisque, quantum equitum ac peditum videretur : cætera omnia ageret faceretque, ut e republica duceret*[1]. Fabius duas se legiones adjecturum ad Servilianum exercitum dixit. His, per magistrum equitum scriptis, Tibur diem ad conveniendum edixit : edictoque proposito, ut, quibus oppida castellaque immunita essent, uti in loca tuta commigrarent[2]; ex agris quoque demigrarent omnes regionis ejus, qua iturus Hannibal esset; tectis prius incensis, ac frugibus corruptis, ne cujus rei copia esset : ipse, via Flaminia[3] profectus obviam consuli exercituique, quum ad Tiberim circa Ocriculum prospexisset agmen, consulemque cum equitibus ad se

12. *Veneri Erycinæ* et *Menti ædem;* vide ad cap. 9, n. 8. — *T. Otacilius* Crassus *prætor vovit;* cf. XXIII, 31.

Cap. XI. 1. *Ut e republica duceret;* vide ad VI, 22, n. 2, et XXII, 39, n. 1. — *Duas se legiones,* etc. sed quatuor novas memorat Polyb. III, 88. — *Tibur diem ad conveniendum edixit;* confer ad cap. 12, n. 1.

2. *Ut, quibus oppida c. i. essent, uti commigrarent :* sic passim *ut* iteratur; vide cap. XXVIII, 9, n. 7; XXXIV, 56, n. 5; XXXVI, 1, n. 3; XXXVI, 3 extr., XXXVIII, 38, n. 13; XLII, 21, 22, 28, 30, et sic *quum* XXVIII, 40, n. 1. Pro *uti* Gron. malebat *ut hi* vel *ii* h. l. et XXXVI, 3. Alii post *quoque* ponunt *uti.*

3. *Via Flaminia,* omnium antiquissima, Roma per Etruriam Arimino tenus a C. Flaminio Nepote censore anno 534 ducta (vide XXIII, 23), et ab Augusto munita (vide Suet. cap. 38); diversa ab ea, quam C. Flaminius consul anno 565 a Bononia perduxit Arretium; vide ad XXXIX, 2, n. 4. Strab. V, 1, n. 11, pag. 217, al. 333, hunc facit auctorem alterius viæ. Conf. Bergierius de viis Rom. publ. III, 21, Duk. ad Epit. Liv. XX. — Creverius

prodeuntem, viatorem misit[4], qui consuli nuntiaret, ut sine lictoribus ad dictatorem veniret. Qui quum dicto paruisset, congressusque eorum ingentem speciem dictaturæ apud cives sociosque, vetustate jam prope oblitos ejus imperii[5], fecisset; literæ ab urbe allatæ sunt, naves onerarias, commeatum ob Ostia in Hispaniam ad exercitum portantes, a classe punica circa portum cosanum[6] captas esse. Itaque extemplo consul Ostiam proficisci jussus, navibusque, quæ ad urbem romanam, aut Ostiæ essent, completis milite ac navalibus sociis[7], persequi hostium classem, ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta Romæ erat: libertini etiam, quibus liberi essent, et ætas militaris[8], in verba juraverant[9]. Ex hoc urbano exercitu, qui minores quinque et triginta annis erant, in naves impositi : alii, ut urbi præsiderent, relicti.

XII. Dictator, exercitu consulis accepto a Fulvio Flacco legato, per agrum sabinum Tibur, quo die

hîc ablegat ad supplem. Freinshemii lib. XX, cap. 58, ubi dicitur hanc viam a C. Flaminio censore munitam anno urbis 532. Ed.

4. *Viatorem misit;* vide ad II, 56, n. 10. Idem tradit Plut. in Fab.

5. *Vetustate* (ob eam) *jam prope oblitos ejus imperii :* nam post A. Atilium Calatinum anno 504, dictatores quidem fuerant, sed comitiorum habendorum, non rei gerendæ causa; Sigon.

6. *Circa portum Cosanum* (al. *Cossanum*), vel Herculis. *Cosa,* vel *Cossa,* et *Cossæ* opp. Etruriæ non longe a mari situm, et ultra ostia Albiniæ flumine (hodie Albegua). Confer Ind. et Strab. V, pag. 225; Heyne ad Virg. Æn. X, 168, et Rutil. Itin. I, 285 seq. ubi vide Wernsdorf. in P. L. M. Vol. 5.

7. *Navalibus sociis,* vide ad IX, 38, n. 1. — *Libertini etiam, quibus liberi essent,* qui igitur, quamvis non agrorum possessione, liberorum tamen caritate cum republica conjuncti essent; Stroth. Confer ad cap. 10, n. 10, et Lips. Mil. rom. I, 2.

8. *Ætas militaris,* homines ætate militari, hoc est, ea, qua arma ferre, seu milites esse, et possunt et debent, scilicet ab anno ætatis XVII ad XLVI. Confer ad III, 57, 5; XXII, 57, 9; XXV, 5, n. 4; Dodwell. præl. acad. pag. 263; et Periz. ad Æliani var. hist. VI, 3, ubi ex XXV, 5, recte colligit, juniores 17 annis lege prohibitos fuisse nomina dare, et, si dedissent, stipendia iis non processisse.

9. *In verba juraverant;* vide ad II, 32, n. 1. — *Alii, ut urbi præsiderent;* vide supra ad lib. IV, cap. 10, n. 2, et lib. X, cap. 17, n. 3.

ad conveniendum edixerat novis militibus[1], venit: inde Præneste ac transversis limitibus in viam latinam est egressus: unde, itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducit; nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret[2], fortunæ se commissurus. Quo primum die haud procul Arpis[3] in conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Pœnus educeret in aciem, copiamque pugnandi faceret: sed ubi quieta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota videt, increpans quidem[4], victos tandem quoque martios animos Romanis, debellatumque et concessum propalam de virtute ac gloria esse, in castra rediit: cæterum tacita cura animum incensus[5], quod cum duce, haudquaquam Flaminio Sempronioque simili, futura sibi res esset, ac tum demum edocti malis Romani parem Hannibali ducem quæsissent. Et prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplo timuit. Constan-

Cap. XII. 1. *Quo* (scilicet Tibur) *diem ad conveniendum* (ut convenirent) *edixerat novis militibus,* ut cap. 11; XXIII, 31, 32; XXVIII, 5; XXXI, 11; XXXV, 3 al. Confer ad XXXI, 49, n. 5, *diem* ex edd. antt. et MS Ber. revocavi. *Die* plerique MSS et edd. etiam Gron. et Drak. Sed non assequor, quomodo hoc ratio sermonis latini ferre possit, sive *quo* ad *Tibur* referatur, sive ad *die;* Duk. — *Transversis limitibus in viam latinam;* vid. ad II, 39, n. 3. — *Ad hostem ducit,* ut mox *educeret in aciem;* vide supra ad I, 23, n. 4.

2. *Nisi* in *quantum necessitas cogeret* (conf. not. 8), *fortunæ se commissurus;* conf. not. 9, et ad librum I, cap. 38, n. 2.

3. *Haud procul Arpis:* immo *Æcis* ex Polyb. III, 88 extr. substituendum; quod etiam Gronov. suspicatum esse video. *Æcæ* oppid. in confinibus Apuliæ et Samnii. Conf. ad XXIII, 1, n. 1; XXIV, 20, n. 2; Wessel. ad Itin. Anton. et Hierosol. p. 116, 610; Holsten. ad Cluveri Ital. Ant. p. 1202.

4. *Increpans quidem* et palam hæc jactans abibat; *cæterum* secreto angebatur; Gron. — *Concessum propalam de virtute ac gloria esse;* vide ad III, 60, n. 4. Post *concessum* omnes MSS inserunt *quas,* vel *qui,* vel *quæ,* vel *quod:* at edd. ante Crev. *eis,* quod vel pro *sibi,* si ad Pœnos, vel pro *ab iis,* si ad Romanos referatur, positum monet Bauer. Aliam vocem, nescio quam, Livio reddendam esse, ex MSS probabile fit.

5. *Tacita cura* quoad *animum incensus;* fortius, quam *incessit,* quod malebant Mur. et Gron. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. III, 89, 90. — *Prudentiam...non vim.* In hoc loco in-

tiam haud dum expertus, agitare ac tentare animum movendo crebro castra, populandoque in oculis ejus agros sociorum, cœpit. Et modo citato agmine[6] e conspectu abibat, modo repente in aliquo flexu viæ, si excipere degressum in æquum posset, occultus subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum[7], neque congrederetur. Castris, nisi quantum usus necessario cogeret[8], tenebatur miles. Pabulum et ligna nec pauci petebant, nec passim: equitum levisque armaturæ statio, composita instructaque in subitos tumultus, et suo militi tuta omnia, et infesta effusis hostium populatoribus præbebat. Neque universo periculo summa rerum committebatur[9]: et parva momenta levium certaminum ex tuto cœptorum, finitimo receptu, as-

telligendo dissentiunt interpretes; alii volunt *vim* idem esse ac vires dictatorii exercitus, vel auctoritatem et supremum Fabii imperium; alii cogitant animum propositi tenacem, et in cunctando constantiam: sed ego mallem cum Rollino ita sensum exponere: Hannibal frustra tentat congresso; nihil jam timuit ab impetu, et incursione romani ducis, sed ab ejus prudentia timuit. Ed.

6. *Modo citato agmine;* Jac. Gron. *tacito agmine,* ut XXI, 45; quia mox *modo repente* sit idem. Sed junge *mox repente subsistebat.* — *Excipere degressum* (ex *locis altis,* per quæ Fabius agmen ducere solebat; quod tamen e seqq. demum, non ex præcedd. intelligitur) *in æquum;* vid. ad II, 4, n. 3, et V, 38, n. 4. — *Per loca alta* et opportuna (παρὰ τὰς παρωρείας, vel ἀκρωρείας, et τοὺς εὐκαίρους τόπους apud Polyb. III, 90, 92, 101), quæ tutum præstabant eum ab equitatu Pœnorum.

7. *Ut neque omitteret eum;* vide ad III, 45, n. 7. Hinc Hannibal Fabium appellare *pædagogum suum* solebat; vid. Plut. Apophth. p. m. 195.

8. *Castris, nisi quantum usus necessario cogeret,* scilic. egredi, quod tanquam contrarium τοῦ *tenebatur* ex hoc verbo intelligendum est, ut apud Frontin. Strat. II, 5, 31. *Eam* regionem *infestari,* scil. jussit, *ulteriorem vetuit adiri;* Stroth. Conf. ad I, 33, n. 7, et XXXIV, 3, n. 2. *Quantum* pro *in quantum,* quoad, ut c. 57 pr. — *Statio;* vide ad II, 64, n. 9.

9. *Neque universo periculo summa rerum committebatur;* vide ad I, 38, n. 2, et III, 5, n. 6. — *Parva momenta levium certaminum,* causæ (ab initio modicæ, eventus in tenui felices, ad majorum tamen omen valituræ; Bauer. Cf. ad I, 47, n. 7, et III, 27, n. 6. — *Finitimo receptu,* quum in propinquo esset, quo se reciperent, exercitus; Doer. simul et loca alta ac tuta. *Finitimo* ex emend. Lips.

suefaciebant territum pristinis cladibus militem, minus jam tandem aut virtutis, aut fortunæ[10] pœnitere suæ. Sed non Hannibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quam magistrum equitum; qui nihil aliud, quam quod impar erat imperio, moræ ad rem publicam præcipitandam habebat[11], ferox rapidusque in consiliis, ac lingua immodicus. Primo inter paucos, dein propalam in vulgus, pro cunctatore segnem, pro cauto[12] timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat; premendorumque superiorum[13] arte (quæ pessima ars nimis prosperis multorum successibus crevit) sese extollebat.

pro *finitimorum*. Similiter *tuto receptu* XXIII, 43, n. 4, et XXVIII, 25, n. 6, et passim *receptus* pro receptaculo et loco, quo nos recipiamus, vel facultate nos aliquo in tutum recipiendi locum. Conf. ad IV, 57, n. 2. Possis etiam suspicari *finitimo tum*, vel *cum receptu*.

10. *Aut virtutis, aut fortunæ pœnitere;* vide ad II, 54, n. 16. « Vix est, quin hic lateat vitiosa structura quasi personalis verbi: *assuefaciebant militem pœnitere*, ut pœniteret: sed intellig. *ipsum*, aut bis *militem* (ut, quum dicimus *arguit eum fecisse*, sane bis dictum intelligas *eum arguit, eum fecisse*) *pœnitere virtutis*, eam improbare, nimis tenuem habere »; Bauer.

11. *Qui nihil aliud, quam quod impar* dictatori *erat imperio, moræ ad r. p. habebat*, quem nihil aliud a *republica præcipitanda* remorabatur, quam quod dictatoris cedere debebat imperio; Doer. *Rempublicam præcipitandam*, scil. in summum periculum. Vide ad Præf. Liv. n. 13, *quod impar erat imperio* ex emend. Jac. Gronov. In edd. antt. *quod non imperabat;* in plerisque MSS *quod imperabat imperio;* in Lovel. 5, *quod non impar erat imperio*. J. Fr. Gronov. conj. quod *imperabat sub imperio*, et *quod parebat in imperio*. Ruben. et Bauer. *quod parebat imperio*.

12. *Pro cunctatore segnem, pro cauto* (in omnibus fere MSS *et cauto*, probb. Gronovio et Drakenborchio, in quibusdam *et pro cauto*) *timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat;* conf. cap. 39, n. 12, et omnino Horat. Satir. I, 3, 24 sq. inpr. 55 sq. *Compellabat*, appellabat; vel increpabat, vituperabat, ut XXXIV, 2, n. 5. Hinc et pro *accusare* dicitur XLIII, 2. Conf. Duker. ad XXXIV, 2, n. 8; intpp. Cic. Phil. III, 7, et ad Div. VIII, 12; Burman. ad Suetonii Cæsar. 17.

13. *Premendorumque superiorum arte, quæ pessima ars*, etc. In omnibus MSS *premendorum superiorum, quæ*, etc.; unde *premendoque superiorem, quæ*, etc., recte, opinor conj. Gronov. *Premere* h. l. deprimere, elevare, obtrectare alicujus laudes, gloriam et res gestas criminationibus callidis. Ei opponitur h. l. *extollere*, ut apud Virg. Æn. XI, 401, 402. Sic

XIII. Hannibal ex Hirpinis[1] in Samnium transit; beneventanum depopulatur agrum; Telesiam urbem capit; irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus cladibusque sociorum detrahere[2] ad æquum certamen possit. Inter multitudinem sociorum italici generis, qui ad Trasimenum[3] capti ab Hannibale dimissique fuerant, tres Campani equites erant, multis jam tum illecti donis promissisque Hannibalis ad conciliandos popularium animos. Hi nuntiantes, si in Campaniam exercitum admovisset, Capuæ potiendæ copiam fore; quum res major, quam auctores[4], esset, dubium Hannibalem alternisque fidentem ac diffidentem, tamen ut Campanos ex Samnio peteret, moverunt. Monitos, ut etiam atque etiam promissa rebus affirmarent[5], jussosque, cum pluribus et aliquibus principum redire ad se, dimisit.

et infr. cap. 59, *nec premendo alium me extulisse velim.* De voc. *superiorum* hæc notavit Bauer.: « Pæne, etsi vix latine, pro excelsioribus, illustrioribus, præpositis, dictum videtur; et sane hic potest, si solveris; qui *se* essent superiores. Nempe relate, ad Minucium, non simpl. aut per se, ut nos *die Obern;* quo sensu Latinis non dicatur: unde et addi solet *gradu, honore, dignitate, loco.* Apud Cicer. Verr. IV, 20, 44 (*quum magistratum aut aliquem superiorem invitasset*), vel del. *aut* (certe *aliquem superiorum* melius diceretur), vel notat, qui *ipso,* Calidio equite, esset honoratior, prior dignitate. »

Cap. XIII. 1. *Hannibal ex Hirpinis,* ad quos ex Apulia vel Daunia pervenerat, *in Samnium transit,* transgressus Apenninum. Conf. Polyb. III, 88, 90. — *Telesiam urbem* Samnii, ad fines Campaniæ (hodie *Télèse* in regno Neap.); sed ap. Pol. III, 88, 90, πόλιν Οὐενουσίαν (Venusiam, in Apulia, vel ejus Lucaniæque confinibus), corrupte forsan, etsi Venusia, a *Benevento* nimis remota, a Strab. V, p. 250. Samnio attribuitur, non Lucaniæ, ut lib. VI, p. 254.

2. *Detrahere* altis locis *ad æquum certamen* in æquis, seu planis locis, in planitie committendum. Conf. ad X, 14, n. 6, et infra ad cap. 12, n. 6, unde suspicari possis, voc. *certamen* esse delendum.

3. *Qui ad Trasimenum capti,* etc. Conf. cap. 7.

4. *Res major, quam auctores;* vide ad I, 16, n. 7. — *Alternis* vicibus; modo *fidentem,* modo *diffidentem.* Conf. ad IV, 53, n. 5. — *Ut Campanos peteret,* in Campaniam proficisceretur.

5. *Promissa rebus affirmarent;* vid. ad I, 1, n. 9. Præc. *ut* ante *promissa*

Ipse imperat duci, ut se in agrum casinatem ducat: edoctus a peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed punicum[6] abhorrens ab latinorum nominum prolatione, pro Casino Casilinum dux ut acciperet, fecit; aversusque ab suo itinere, per allifanum calatinumque et calenum agrum, in campum stellatem[7] descendit: ubi quum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctantur, ubi terrarum esset? Quum is Casilini eo die mansurum eum dixisset, tum demum cognitus est error, et Casinum longe inde alia regione esse: virgisque cæso duce, et ad reliquorum terrorem in crucem sublato, castris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum falernum prædatum dimisit. Usque ad aquas sinuessanas[8] populatio ea pervenit: ingentem cladem, fugam tamen terroremque latius Numidæ fecerunt.

ponendum putabat Gronov. — MSS tamen hic variant, nam e nostris quidam dant *monitos ut etiam promissa*. Ed. — *Duci* viæ.

6. *Sed punicum*, h. e. punismus, punica pronuntiatio, *abhorrens ab latinorum nominum prolatione*, etc., ut fere apud Cicer. pro Arch. VIII, *Cordubæ natis poetis pingue quiddam sonantibus atque peregrinum;* Stroth. Gronovius, quem sequuti sunt Cler., Crev., Drak. et alii, post *abhorrens* inseruit *os*, et hæc notavit: « Punicum hoc os est ipsius Hannibalis jubentis Casinum duci, eamque vocem ita pronuntiando trahentis, ut *dux* viarum Casilinum nuncupari putaret; est enim proprium vitium Afrorum in pronuntiatione *Labdacismus, si pro uno L. duo pronuntientur, ut Afri faciunt* (vid. Isidor. Orig. I, 30): sed definitio hæc nimis angusta; immittitur enim et nonnullis naturali vitio, ubi prorsus non est. » Idem Gronov. delendum putabat vocem *prolatione*, quæ ab omnibus fere MSS abest, et τὸ *ab:* neque enim *abhorrere alicujus* durius videri, quam *alicujus fastidire, aspernari* (ut XXIX, 34, n. 2, qui tamen locus perperam forte laudatur), *vereri*. Cæterum de tota hac re nihil apud Polybium et Appian. *Casinum* vero est oppidum extremum Volscorum et Latii septemtrionalis trans Liberim (hod. *Casino*); et *Casilinum* in Campania mediterranea, ubi nunc *Capua* nova, ad utramque ripam Vulturni, per mediam urbem fluentis. Conf. ad cap. 14, n. 1, et ad cap. 15, n. 4. — *Ut acciperet, fecit;* confer XXX, 26 extr.

7. *In campum stellatem;* vide ad IX, 44, n. 2.

8. *Ad aquas sinuessanas*, thermas

Nec tamen is terror, quum omnia bello flagrarent, fide socios dimovit : videlicet quia justo et moderato regebantur imperio; nec abnuebant[9], quod unum vinculum fidei est, melioribus parere.

XIV. Ut vero ad Vulturnum flumen[1] castra sunt posita, exurebaturque amœnissimus Italiæ ager, villæque passim incendiis fumabant, per juga Massici[2] montis Fabio ducente, tum prope de integro seditio ab duce seditionis accensa[3] : quieverant enim per paucos dies; quia, quum celerius solito ductum agmen fuisset, fe-

salubres, de quibus, ut de *Sinuessa* opp., in finibus Latii adjecti et Campaniæ, trans Lirim, ad mare; vid. ad Sil. VIII, 527, et Tac. Ann. XII, 66; Strab. V, 3, 6, p. 234, et Hard. ad Plin. XXXI, 2, seu 4.

9. *Nec abnuebant* socii rom., *quod unum vinculum fidei est, melioribus parere*, iis, quorum *justo et moderato regebantur imperio*. Vere et præclare: sed loquitur Romanus, qui civium suorum fidem, moderationem et æquitatem prædicare solet; conf. XXVI, 24. Romanæ autem artis erat, parendi necessitati prætexere speciosum honestumque nomen *societatis*, et *socios* appellare (*verbo socios, re vera subjectos imperio et obnoxios habere*, XXXVII, 53 pr.), qui, imperio eorum parentes, viros, arma, commeatum, tributa mittere cogebantur: unde ortum sociale bellum, quum socii atque coloniæ æquo jure uti, Romani in eos dominari vellent. Hinc et *socios in ditione Romanorum esse* legimus XXI, 60; XXII, 20, 21; XLI, 6 extr. Cui loco conf. Polyb. XXVI, 7, 8. Multa præclare de hac re disputavit Heyn. in Opusc. Acad. vol. III, p. 145 sq., et vol. IV, p. 536 sq.

Cap. XIV. 1. *Ut vero ad Vulturnum flumen* Campaniæ maximum (h. *Voltorno*, cujus ostio adjacet Vulturnus, seu Vulturnum oppidum, hodie *Castello di Voltorno;* de quo vide ad XXV, 20, n. 1, et ad Sil. VIII, 528). — *Castra sunt posita*, etc. Cf. Polyb. III, 92.

2. *Per juga Massici montis* Campaniæ, qui vini generosissimi ferax est (ut et *falernus ager*, ad radices ejus, inter Cales et Sinuessam, situs), et orientalis pars continuorum montium, quorum pars occidentalis Gaurus, et septemtr. Falernus dicitur; vide ad Sil. VII, 162 sq. — *Fabio ducente;* vide ad I, 23, n. 4.

3. *Tum prope de integro seditio ab duce seditionis accensa*, scil. a Minucio, qui jam antea motus excitaverat seditiosis orationibus (vide cap. 12 extr.) : *quieverant enim*, turbis abstinuerant; vide Drak. ad XLV, 37. In plerisque MSS legitur *seditio ac de seditione accensi, quidam fuerant enim per paucos dies*, in edd. antt. *est orta seditio ac duces seditionis accensi quidam : fuerat enim silentium per paucos dies*. Hinc Lips. conj. *seditio accensa : quieti fuerant enim*, et Gron. *seditio ab duce altero est accensa; quieverant enim perpaucos dies*. Hic tamen et Drak. edidere : *seditio accensa : quieverant enim per paucos*

stinari ad prohibendam populationibus Campaniam crediderant. Ut vero in extrema juga Massici montis ventum est, hostesque sub oculis erant, falerni agri colonorumque Sinuessæ tecta urentes, nec ulla erat mentio pugnæ. « Spectatumne huc, inquit Minucius, ut « rem fruendam[4] oculis, sociorum cædes et incendia « venimus? nec si nullius alterius nos, ne civium qui- « dem horum pudet, quos Sinuessam colonos patres « nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta hæc ora « esset; quam nunc non vicinus Samnis urit, sed Pœnus « advena, ab extremis orbis terrarum terminis, nostra « cunctatione et socordia, jam huc progressus. Tantum « (proh!) degeneramus a parentibus nostris, ut, præ- « ter quam oram illi punicas vagari classes, dedecus « esse imperii sui duxerint, eam nos nunc plenam ho- « stium Numidarumque ac Maurorum jam factam vi- « deamus[5]? Qui modo, Saguntum oppugnari indignan- « do, non homines tantum, sed fœdera et deos ciebamus,

*dies.* Quod nos reposuimus, ad veterum librorum lectiones propius accedit (nisi cum Lipsio malis *quieti fuerant*), neque abhorret a more Livii, easdem voces sæpe repetentis; vide ad I, 3, n. 8. *A duce seditionis* etiam Doer. conjecisse video. — *Prohibendam populationibus Campaniam* « per hypallagen pro *populationes a Campania prohibendas:* sed enim et regio vel res, aut homo, unde prohibeatur aliquid, et ipsa *prohibetur*, quasi porro habetur, retrahitur a re, quæ ab illa prohibeatur : regioni tamen minus congruerit. Similiter I, 39, et 49, *prohibere aliquem servitio* et *sepultura* pro : servitium et sepulturam prohibere ab eo, non pati eum servire et sepeliri »; Bauer. Conf. ad XXXI, 25, n. 4.

4. *Ut* (in MSS et edd. antt. *ad*) *rem fruendam oculis*, tanquam rem jucundam visu; Gron. Conf. ad Sil. XII, 566, et Juvenal. I, 49; V, 153; XI, 171. — *Ne civium quidem horum pudet nos*, non ipsorum, ut turpium, sed qua illos, quid censeant, quid dicant, *vor ihnen*, ut apud Terent. Heautont. II, 3, (2) 19, *patris me pudet*, non ut talis, ut pudendi, sed ob eum, qua eum, quod illi displiceam; Bauer.

5. *Jam factam videamus*, ut mox *lenti spectemus;* vide ad VI, 18, n. 4. — *Indignando*, indignantes, indignati, quum indignaremur : non per indignationem, nisi *indignari* h. l. est queri, verbis conqueri; Bauer. Conf. ad I, 8, n. 4. — *Non homines tantum, sed* etiam (conf. ad I, 40, n. 1) *fœdera et deos ciebamus*, commemorabamus; Ern. Immo; clamore quasi

« scandentem mœnia[6] romanæ coloniæ Hannibalem « lenti spectamus. Fumus ex incendiis villarum agro- « rumque in oculos atque ora venit; strepunt aures « clamoribus plorantium sociorum, sæpius nos, quam « deorum invocantium opem. Nos hic pecorum modo « per æstivos saltus deviasque calles exercitum duci- « mus, conditi nubibus silvisque. Si hoc modo pera- « grando cacumina saltusque M. Furius recipere a Gallis « urbem voluisset, quo hic novus Camillus[7], nobis « dictator unicus in rebus affectis quæsitus, Italiam ab « Hannibale recuperare parat, Gallorum Roma esset : « quam vereor, ne, sic cunctantibus nobis, Hannibali « ac Pœnis toties servaverint[8] majores nostri! Sed vir « ac vere romanus, quo die, dictatorem eum ex au- « ctoritate Patrum jussuque[9] populi dictum, Veios al- « latum est, quum esset satis altum[10] Janiculum, ubi

et alta voce movebamus, inclamabamus et opem implorabamus, ut nos dicimus : *in Bewegung setzen.* Conf. ad Juvenal. XIII, 31.

6. *Scandentem mœnia* (al. *tendentem ad mœnia*) *Romanæ coloniæ*, Sinuessæ, *Hannibalem lenti spectamus*, confer ad III, 67, n. 5. *Lenti spectare* proprie dicuntur, qui spectaculo non concitantur in iram, ejusque indignitate non commoventur ad vindictæ cupiditatem : nam omnino *lentus* est tardus in sentiendo eo, quod iram, odium commovere potest; unde etiam *lentitudo* ita dicitur; Ern. Confer ad Sil. II, 489, et Tac. Ann. III, 70, n. 3; Ern. clav. Cic. v. *lentitudo.* — Nostrorum MSS nullus, quem viderim, dat *tendentem*, sed plures *candentem*, aliquod *scandentem* quod animosius et vividius, quam altera lectio est. Nondum quidem Sinuessæ mœnia scandebat hostis, sed rem auget oratorie Minucius, a quo timore aut ira res in majus ac deterius semper mutantur. Ed.

7. *Hic novus* (M. Furius) *Camillus, nobis*, a nobis vel in nostram salutem, *dictator unicus* (vide ad I, 21, n. 3) *in rebus affectis* (vide ad V, 10, n. 6) *quæsitus*, cum amara irrisione dicta. Bauer. sustulit comma post *Camillus*, ut jungantur *nobis recup. parat*, non *nobis quæsitus*, quod frigere arbitratur. *Hic novus Camillus*, id est, alter sospitator, quemadmodum apud Cic. Verr. V, 12, et Phil. XIII, 11. *Hannibalis* nomen pro infestissimo inimico P. R. dicitur; Ern. Confer ad Juvenal. II, 40, et Ruhnk. ad Vellei. II, 18.

8. *Hannibali ac Pœnis servaverint*, hoc est, nos virtute sua servaverint, ut horum imperio subjiceremur.

9. *Ex auctoritate Patrum jussuque populi*, vide ad I, 17, n. 6.

10. *Quum esset satis altum* ac tu-

« sedens prospectaret hostem, descendit in æquum : « atque illo ipso die media in urbe, qua nunc busta « gallica[11] sunt, et postero die citra Gabios cecidit « Gallorum legiones. Quid? post multos annos, quum « ad Furculas Caudinas ab Samnite hoste sub jugum « missi sumus, utrum tandem L. Papirius Cursor juga « Samnii perlustrando, an Luceriam premendo obsi- « dendoque, et lacessendo victorem hostem, depulsum « ab romanis cervicibus jugum superbo Samniti im- « posuit? Modo C. Lutatio quæ alia res, quam celeritas, « victoriam dedit[12]? quod postero die, quam hostem « vidit, classem gravem commeatibus[13], impeditam suo- « met ipsam instrumento atque apparatu, oppressit. « Stultitia est, sedendo aut votis debellari credere posse : « armari copias oportet, deducendas in æquum, ut « vir cum viro congrediaris. Audendo atque agendo « res romana crevit, non his segnibus consiliis[14], quæ « timidi cauta vocant. » Hæc velut concionanti Minucio

tum *Janiculum* (vide ad I, 33, n. 7), *ubi sedens*, etc.; vide ad VII, 37, n. 4. — *In æquum;* vide ad V, 38, n. 4.

11. *Qua* parte *nunc busta gallica sunt;* vide ad V, 43, n. 3.

12. *Modo C. Lutatio.... celeritas victoriam dedit* in bello punico primo; vide ad XXI, 10, n. 8. *Modo* adhibetur de tempore, quod refertur ad vetustiora illa Camilli et Papirii; Stroth. sed etiam de satis longo tempore, ut h. l. XXVI annorum; vide ad Præf. Liv. n. 16.

13. *Classem gravem commeatibus*, iis laborantem, cui non facile commeatus subministrari poterant; Doer. (Confer ad VII, 37, n. 4.) Immo classem punicam, commeatibus onustam, et ita, quasi onere, gravatam, vel, quod interpretationis causa adjicitur, *impeditam suomet ipsam instrumento atque apparatu* belli, armis commeatu, etc. Nam Lutatius, etsi ventis adversis usus, satis tamen duxit, confligere cum classe Hannonis, commeatu onerata et ad certamen inhabili, quam exspectare, donec omnia, quorum nullus ad pugnam futurus esset usus, onera deposuisset, et milites tirones cum veterano Hamilcaris exercitu commutasset · eaque præcipua victoriæ causa fuit; vide Polyb. I, 60, 61, et confer infra XXX, 10 pr. — *Oppressit* Pœnos, talia non metuentes. Confer Polyb. loco laudato. — *Sedendo;* vide ad VII, 37, n. 4. Mox forte leg. *armari copias oportet : deducendæ* (sunt) *in æquum.* (Confer ad V, 38, n. 4.)

14. *Segnibus consiliis*, MSS plerique *sensibus consiliisque;* nullo, quantum video, sensu. Ed.

circumfundebatur tribunorum equitumque romanorum multitudo, et ad aures quoque militum dicta ferocia volvebantur; ac, si militaris suffragii res[15] esset, haud dubie ferebant, Minucium Fabio duci prælaturos.

XV. Fabius pariter, in suos haud minus quam in hostes intentus[1], prius ab illis[2] invictum animum præstat. Quanquam probe scit, non in castris modo suis, sed jam etiam Romæ infamem suam cunctationem esse; obstinatus tamen eodem consiliorum tenore æstatis reliquum extraxit[3], ut Hannibal, destitutus ab spe summopere petiti certaminis, jam hibernis locum circumspectaret; quia ea regio præsentis erat copiæ, non perpetuæ, arbusta vineæque, et consita omnia magis amœnis, quam necessariis fructibus: hæc per exploratores relata Fabio. Quum satis sciret, per easdem angustias, quibus intraverat falernum agrum rediturum, Calliculam montem[4] et Casilinum occupat modicis præsidiis; quæ urbs, Vulturno flumine dirempta, falernum et campanum agros dividit:

15. *Si militaris suffragii res esset* (confer ad III, 51, n. 3), *haud dubie ferebant* (vide ad IV, 45, n. 5), *Minucium Fabio duci se prælaturos*, forte *ducem*, judice etiam Gronovio, pro *duci*, quem tamen servo. Ed.

Cap. XV. 1. *Fabius pariter in suos haud minus quam in hostes intentus*: τὸ *pariter* videtur glossa esse, vel leg. *per iter*, ut *per ludos* et al., de quibus vide ad II, 18, n. 1. Jac. Gron. conj. *acriter*, et Bauer. *pari tenore*, id est, constans sibi; ut cœperat, civibus eumdem se nunc, quem hostibus præbuerat, præbendo. Sed illud frigere videtur; hoc minus placet, quia mox sequitur *eodem consiliorum tenore*. — In nostris codd. legitur, *pariter inter suos haud minus*, et mox *prius ab aliis invictum*. Ed.

2. *Prius ab illis*, hoc est, *suis* civibus eorumque calumniis. *Ab utrisque* conjecit Gronovius, et *a fabulis* (scilicet rumoribus) Ruben. Elect. II, n. 6.

3. *Æstatis reliquum* tempus *extraxit* (vide ad IV, 43, n. 6), ita *ut Hannibal*, etc. — *Quia ea regio præsentis erat copiæ, non perpetuæ*, in præsens quidem, sed non in futurum tempus rerum necessariarum suppeditabat copiam: fuerunt enim ibi *arbusta*, etc. Doer. Regio copiam habebat, præbebat; ea erat, quæ copiam præberet; Bauer. Confer ad III, 62, n. 5.

4. *Calliculam montem* (qui faler-

ipse jugis iisdem exercitum reducit, misso exploratum cum quadringentis equitibus sociorum L. Hostilio Mancino : qui ex turba juvenum audientium sæpe ferociter concionantem magistrum equitum, progressus primo exploratoris modo, ut ex tuto specularetur hostem, ubi vagos passim per vicos Numidas vidit, per occasionem etiam paucos occidit; extemplo occupatus certamine est animus, exciderunt-que præcepta dictatoris, qui, quantum tuto posset, progressum prius recipere sese jusserat, quam in conspectum hostium veniret. Numidæ, alii atque alii occursantes refugientesque, ad castra prope ipsum cum fatigatione equorum atque hominum pertraxere. Inde Carthalo, penes quem summa equestris imperii erat, concitatis equis invectus, quum prius, quam ad conjectum teli veniret, avertisset hostem [5], quinque millia ferme continenti cursu sequutus est fugientes. Mancinus, postquam nec hostem desistere sequi, nec spem vidit effugiendi esse, cohortatus suos in prælium rediit, omni parte virium impar : itaque ipse et delecti equitum circumventi occiduntur. Cæteri effuso rursus cursu Cales primum, inde prope inviis callibus ad dictatorem perfugerunt. Eo forte die Minucius se conjunxerat Fabio, missus ad firmandum præsidio saltum, qui super Tarracinam [6], in artas coactus fauces, im-

num agrum a septemtrione claudit, et supra quem est campus Stellatis), *et Casilinum, Vulturno flumine diremptum* (vide ad cap. 13, n. 6), *occupat modicis præsidiis* 4000 hominum. Cf. ad hæc et seqq. Polyb. III, 92, 93.— *Ipse jugis iisdem exercitum reducit*, considens in colle, qui iisdem angustiis ab introitu imminet. Ita Polyb. loco laudato.

5. *Avertisset hostem;* vide ad III, 63, n. 1. — *Quinque millia;* vide ad IX, 24, n. 2. — *Cales;* vide ad VIII, 16, n. 1.

6. *Saltum, qui super Tarracinam*, seu Anxur (vide ad IV, 59, n. 2), *in artas coactus fauces* (vide ad XXXII, 2, n. 4), *imminet mari* (vide ad III, 51, n. 3), ille, de quo confer VII, 39, n. 3, vel lucus Feroniæ, qui in hac maris ora est, et de quo vide Heyne ad Virg. Æn. VII, 799.

minet mari, ne immunito Appiæ limite[7] Pœnus pervenire in agrum romanum posset. Conjunctis exercitibus dictator ac magister equitum castra in viam deferunt, qua Hannibal ducturus erat : duo inde millia hostes aberant.

XVI. Postero die Pœni, quod viæ inter bina castra erat, agmine complevere. Quum Romani sub ipso constitissent vallo, haud dubie æquiore loco[1], successit tamen Pœnus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum hostem carptim et procursando recipiendoque sese pugnavere[2] : restitit suo loco romana acies. Lenta pugna et ex dictatoris magis, quam Hannibalis, fuit voluntate: ducenti ab Romanis, octingenti hostium cecidere. Inclusus inde videri Hannibal, via ad Casilinum obsessa[3] : quum Capua et Samnium, et tantum ab tergo divitum sociorum, Romanis commeatus subveheret; Pœnus contra inter formiana saxa[4] ac Literni arenas stagnaque perhorrida situ hibernaturus esset. Nec Hannibalem fefellit, suis se artibus peti. Itaque,

7. *Immunito Appio limite;* v. ad II, 39, n. 3, et IX, 29, n. 5. In optimis MSS *nœ adminuisse Pœnus Appiæ limite :* unde Gron. ingeniose conj. *ne ab Sinuessa Pœnus Appiæ limite*, etc. Confer cap. 14 pr. et impr. Strab. V, 3, n. 6, et IX, pag. 233 et 237. — *Duo inde millia;* vide ad IX, 24, n. 2. — Nostri MSS fere omnes dant quoque, *ne adminuisse pœnus*, sine sensu: sed quum in id consentiunt, ut *pœnus* sit ante verba *Appiæ limite*, reciperem libenter lect. quæ in Regio codice 5731 occurrit, *ne admissus Pœnus Appiæ limite pervenire*, etc. Cæterum *immunito Appiæ limite*, est: si limes Appiæ viæ, ferens ab Tarracina in romanum agrum præsidio destitutus foret. Ed.

Cap. XVI. 1. *Haud dubie æquiore loco*, Romanis magis commodo: Str. Confer XXV, 13 extr., et ad Sil. II, 5, n. 364; III, 2.

2. *Successit tamen Pœnus... atque pugnavere;* vide ad cap. 4, n. 2. — *Cum expeditis equitibus;* vide ad V, 16, n. 2. *Expeditis equitibusque* rectius forte optimi MSS prob. Stroth. Confer Drak. et ad XXXIV, 28, n. 2. — *Ad lacessendum hostem carptim;* vide ad III, 5, n. 1.

3. *Via ad Casilinum obsessa*, etc. Confer Polyb. III, 92, 93.

4. *Inter Formiana saxa* (*Formianum montem* dixit XXXIX, 44), ad Formias, opp. Latii in finibus Campaniæ et intimo Formiani, seu Caietani sinus recessu, ubi hodie *Mola* est in

quum per Casilinum evadere non posset, petendique montes et jugum Calliculæ[5] superandum esset, necubi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur; ludibrium oculorum, specie terribile, ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis apparatus fuit: faces undique ex agris collectæ[6], fascesque virgarum atque arida sarmenta præligantur cornibus boum, quos domitos indomitosque multos inter cæteram agrestem prædam agebat : ad duo millia ferme boum effecta; Hasdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret; maxime, si posset, super saltus ab hoste insessos.

XVII. Primis tenebris silentio mota castra; boves aliquanto ante signa acti. Ubi ad radices montium viasque angustas ventum est; signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes. Et metus ipse relucentis flammæ ex capite calorque, jam ad vivum ad imaque cornuum[1] adveniens, velut stimulatos furore agebat boves. Quo repente discursu, haud secus quam silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere: capitumque irrita quassatio[2], excitans flammam, hominum passim discur-

*Terra di Lavoro; ac Literni arenas,* prope *Liternum* (nam ita, non *Linternum,* dicitur Græcis et in optimis codd. Livii aliorumque), oppidum Campaniæ, ad ostium Literni, seu Clanii fluminis, qui exundatione frequenti paludes et stagna facit; vid. ad Sil. VI, 654, et VII, 272 sq. ubi eadem res memoratur.

5. *Jugum Calliculæ;* vide ad cap. 15, n. 4. — *Necubi;* vide supra ad cap. 2, n. 3.

6. *Faces undique ex agris collectæ,* etc. Conf. ad hæc et cap. seq. Polyb. III, 93, 94; Appian. VII, 14, 15, et ad Sil. VII, 310 sq. *domitos* boves, qui ἐργάται βοῦς dicuntur Polyb.

Cap. XVII. 1. *Calorque jam ad vivum* corpus *adveniens,* ad vivam carnem, quæ vitam quasi et sensum habet. Verba *ad imaque cornuum* glossam sapere monet Doering. Quid? si *adveniens* est glossema, et legendum *ad vivum inclinans imaque cornuum?* In MSS fere omnibus est *ad vivum divatimaque c. a.,* unde *ad vivum citimaque c. a.* conj. Gron.

2. *Capitumque irrita quassatio,*

rentium speciem præbebat. Qui ad transitum saltus insidendum locati erant, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, præsidio excessere[3], qua minime densæ micabant flammæ, velut tutissimum iter, petentes summa montium juga; tamen in quosdam boves palatos ab suis gregibus inciderunt. Et primo, quum procul cernerent, veluti flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt : deinde, ut humana apparuit fraus, tum vero insidias rati esse, dum majore metu concitant se in fugam, levi quoque armaturæ hostium incurrere. Cæterum nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit[4]. Interea, toto agmine Hannibal transducto per saltum, et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro allifano posuit castra.

XVIII. Hunc tumultum sensit Fabius : cæterum et insidias esse ratus, et ab nocturno utique abhorrens certamine, suos munimentis tenuit. Luce prima sub jugo montis prælium fuit; quo interclusam ab suis levem armaturam facile (etenim numero aliquantum præstabant[1]) Romani superassent, nisi Hispanorum cohors, ad id ipsum remissa ab Hannibale, pervenisset. Ea assuetior montibus[2], et ad concursandum inter saxa rupesque aptior ac levior, cum velocitate corporum, tum armorum habitu, campestrem[3] hostem,

dum frustra excutere ignem moliuntur (cf. Sil. VII, 353), vel *cita quassatio* exsculpsere Gronovii e monstris lectionum, quas MSS exhibent.

3. *Præsidio excessere*, stationem, ubi in præsidio locati fuerunt, reliquerunt; Doer. — *Spirantium* boum.

4. *Nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit*, in eodem quasi statu tenuit, ita ut neutri pugnam inciperent. Conf. Polybium, III, 94.

Cap. XVIII. 1. *Numero aliquantum præstabant;* vide ad II, 39, n. 1. — *Pervenisset*, forte *supervenisset;* Gron.

2. *Ea assuetior montibus*, etc.; v. ad XXI, 57, n. 6.

3. *Campestrem hostem*, Romanos, *graves armis*, qui in campo aperto, non in montibus rupibusque pugnare

gravem armis statariumque, pugnæ genere facile elusit. Ita haudquaquam pari certamine digressi, Hispani fere omnes incolumes, Romani, aliquot suis amissis, in castra contenderunt. Fabius quoque movit castra: transgressusque saltum super Allifas, loco alto ac munito consedit. Tum, per Samnium Romam se petere simulans, Hannibal usque in Pelignos populabundus rediit. Fabius medius[4] inter hostium agmen urbemque Romam jugis ducebat; nec absistens, nec congrediens. Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Geronium pervenit[5]; urbem metu, quia collapsa ruinis pars mœnium erat, ab suis desertam. Dictator in larinate agro[6] castra communiit. Inde sacrorum causa Romam revocatus[7], non imperio modo, sed consilio etiam, ac prope precibus agens cum magistro equitum, *ut plus consilio, quam fortunæ, confidat; et se potius ducem, quam Sempronium, Flaminiumque, imitetur. Ne nihil actum censeret, extracta prope æstate*[8] *per ludificationem hostis. Medicos quoque plus interdum quiete, quam movendo atque agendo,*

solebant. — *Statariumque;* vide ad IX, 19, n. 2.

4. *Fabius medius* (al. *mediis*) *inter hostium agmen urbemque Romam jugis, ducebat;* vide ad I, 23, n. 4, et II, 50, n. 11. — *Nec abstinens,* recedens ab hoste.

5. *Geronium pervenit,* Apuliæ urbem (*castellum Apuliæ inops* dicitur cap. 39): nam ibi et Luceriæ magnam frumenti copiam esse audiverat. Conf. Schweigh. ad Polyb. III, 100, et Appian. Bel. Hannib. 15. Hic illam urbem appellat Γερωνίαν, ille rectius forsan Γερούντιον, alii Γερηνίον, vel Γερυνίαν· vid. Steph. Byz. et Cluver. Ital. Ant. p. 1213. *Gerionem, Geryonem, Gerionum, Gerenum* al.

6. *In larinate agro,* prope *Larinum* (hod. *Larino*), Frentanorum oppid., quod Plinius III, 11, et Mela II, 4, Daunis Apulis attribuit. Conf. ad Sil. VIII, 402.

7. *Sacrorum causa Romam revocatus,* etc. Conf. Polyb. III, 94, et ad Sil. VII, 383 sq. De *sacris* his vide ad IV, 2, n. 6. — *Revocatus... agens.* Notat Crev. hoc loco orationem pendere, nec concludi nisi post absolutam Fabii oratiunculam, his nempe verbis, *Romam est profectus.* Hoc sæpe sæpius apud optimos notæ scriptores occurrit; vide supra ad lib. V, cap. 24, et alibi. Ed.

8. *Extracta prope æstate;* vide ad IV, 43, n. 6. *Exacta* al.

*proficere. Haud parvam rem esse, ab toties victore hoste vinci desiisse, et ab continuis cladibus respirasse.* Hæc nequidquam præmonito magistro equitum, Romam est profectus.

XIX. Principio æstatis, qua hæc gerebantur, in Hispania quoque terra marique cœptum bellum est. Hasdrubal ad eum navium numerum, quem a fratre instructum[1] paratumque acceperat, decem adjecit: quadraginta navium classem Himilconi tradidit: atque ita Carthagine profectus navibus prope terram, exercitum in litore ducebat, paratus confligere, quacumque parte copiarum hostis occurrisset. Cn. Scipioni, postquam movisse ex hibernis hostem audivit, primo idem consilii fuit[2]: deinde, minus terra, propter ingentem famam novorum auxiliorum, concurrere ausus, delecto milite ad naves[3] imposito, quinque et triginta navium classe ire obviam hosti pergit. Altero ab Tarracone die ad stationem, decem millia passuum distantem ab ostio Iberi amnis, pervenit. Inde duæ Massiliensium speculatoriæ[4] præmissæ retulerunt, classem punicam stare in ostio fluminis, castraque in ripa posita. Itaque, ut improvidos incautosque uni-

Cap. XIX. 1. *Hasdrubal ad eum navium numerum, quem a fratre instructum* (vide ad VI, 5, n. 3, et IX, 40, n. 12) *paratumque acceperat;* conf. XXI, 22. — *Quadraginta navium classem Himilconi tradidit,* forte *Hamilcari* e Polyb. III, 95; nisi hic ex Livio corrigendus. Confer ad cap. 19-22; Polyb. III, 95-99. Mox forte leg. *Carthagine* (nova) *profectus naves prope terram, exercitum* (pedestrem) *in litore ducebat,* vel *navibus prope terram exercitum et in litore d.* Ταῖς μὲν ναυσὶ παρὰ τὴν χέρσον ἐποιεῖτο τὸν πλοῦν, τοῖς δὲ πεζοῖς τὴν πορείαν παρὰ τὸν αἰγιαλὸν, Pol. — *Movisse;* vide ad II, 3, n. 2.

2. *Primo idem consilii fuit,* scilic. confligendi cum hoste.

3. *Delecto milite ad naves* (vid. ad VII, 5, n. 4) *imposito,* scil. navibus. λαβὼν ἐκ τοῦ πεζικοῦ στρατεύματος τοὺς ἐπιτηδειοτάτους ἄνδρας πρὸς τὴν ἐπιβατικὴν χρείαν, Polyb. III, 95.

4. *Duæ Massiliensium speculatoriæ* naves, minores sine rostris, et celerrimo instructæ remigio, quæ præmittuntur, ut consilia hostium speculentur, explorent, κατασκεψομέναι ναῦς ταχυπλοοῦσαι, vel ἐπὶ τὴν κατασκοπὴν

verso simul effuso terrore opprimeret, sublatis ancoris ad hostem vadit. Multas et locis altis positas turres Hispania habet, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utuntur. Inde primo, conspectis hostium navibus, datum signum Hasdrubali est; tumultusque prius in terra et castris, quam ad mare et ad naves, est ortus, nondum aut pulsu remorum strepituque alio nautico exaudito, aut aperientibus classem promontoriis [5]: quum repente eques, alius super alium ab Hasdrubale missus, vagos in litore, quietosque in tentoriis suis, nihil minus quam hostem aut prælium eo die exspectantes, conscendere naves propere atque arma capere jubet: classem romanam jam haud procul portu esse. Hæc equites dimissi passim imperabant: mox Hasdrubal ipse cum omni exercitu aderat; varioque omnia tumultu strepunt, ruentibus in naves simul remigibus militibusque, fugientium magis e terra, quam in pugnam euntium modo. Vixdum omnes conscenderant, quum alii resolutis oris in ancoras evehuntur [6]; alii, ne quid teneat, ancoralia in-

ἐκπεμφθείσαι, Polyb. Cf. XXX, 10; XXXV, 26; XXXVI, 41; XXXVI, 42 extr.; Schefferum de Militia nav. II, 2, p. 72. Eædem Græcis dicuntur ὑπηρετικά, scil. πλοῖα (minora navigia, quæ majoribus ad quævis ministeria præsto sunt; vid. Schweigh. ad Polyb. tom. V, p. 40), Romanis *leviores* et *apertæ*, seu *aphractæ*, quæ mercibus potissimum deportandis inserviunt (vid. XXXI, 22, et XXXII, 21), quibusque opponuntur naves *tectæ* et *constratæ*, seu *cataphractæ*, quæ tabulatis, καταστρώμασι (vid. Thucyd. VII, 40), *tegebantur*, ut stare in illis propugnatores, telaque tuto in hostem mittere possent. Conf. XXXI, 46; XXXII, 16, 21; XXXV, 46; Scheffer. de Re nav. II, 2, et 5, et ad Tac. Ann. II, 6, n. 5. De *Massiliensibus*, vide XXI, 20, n. 4. — *Universo simul effuso terrore*. Hoc *effuso* impugnat Walchius, Emend. p. 157, emendandumque *offuso* pronuntiat; neque quidquam huc facere *effusa lætitia*, *effusus risus*, quæ aliquando accommodabat Rittersch. loco Phædri, II, 4. Mox sententiam suam pluribus confirmat exemplis a Livio desumptis, XXXIX, 15, etc. Ed.

5. *Aperientibus classem promontoriis*, ostendentibus, manifestam facientibus, ut III, 15; XXII, 6; XXVI, 17; XXIX, 27; XXXII, 14; XLIV, 28; h. e. classe ex iis conspecta.

6. *Resolutis oris in ancoras evehun-*

cidunt; raptimque omnia præpropere agendo, militum apparatu[7] nautica ministeria impediuntur, trepidatione nautarum capere et aptare arma miles prohibetur. Et jam Romanus non appropinquabat modo, sed direxerat etiam in pugnam naves. Itaque non ab hoste et prælio magis Pœni, quam suomet ipsi tumultu turbati, tentata verius pugna, quam inita, in fugam averterunt classem. Et quum adversi amnis os[8] lato agmine ac tam multis simul venientibus haud sane intrabile esset, in litus passim naves egerunt: atque alii vadis, alii sicco litore excepti, partim armati, partim inermes, ad instructam per litus aciem suorum perfugere. Duæ tamen primo concursu captæ erant punicæ naves, quatuor suppressæ.

XX. Romani, quanquam terra hostium erat[1], armatamque aciem toto prætentam in litore[2] cernebant, haud cunctanter insequuti trepidam hostium classem, naves omnes, quæ non aut perfregerant proras[3] litore

*tur*, contra ancoras nondum levatas navemque tenentes. Naves duplici vinculo tenebantur, *ancoralibus* ad ancoras alligata prora, puppi vero *oris*, i. e. rudentibus, ad retinacula, quæ erant in portu, seu litore: statuebantur enim plerumque ita naves, ut, puppi in litus versa, prora altum spectaret; Stroth. Conf. Gron. Obss. IV, 26. — *Ne quid teneat, ancoralia incidunt;* v. II, 63, n. 3, et XXXVII, 30, n. 7. Mox *raptimque omnia ac præpropere*, ut *ferociter omnia ac præpropere* leg. cum Gron., nisi *præpropere* est glossa τοῦ *raptim*. Cf. ad XXV, 15, n. 6.

7. *Militum apparatu*, militibus arma aptantibus.

8. *Quum adversi* (conf. ad XXI, 28, n. 4) *amnis os* (supra *ostium Iberi amnis* dixerat), *lato agmine*, etc., ex emend. Gronov. Obss. IV, 26. — *Instructam per litus aciem;* conf. principium capitis.

Cap. XX. 1. *Terra hostium erat;* vide ad XXI, 30, n. 5.

2. *Aciem toto prætentam in litore;* vide ad X, 2, n. 3. Mox τὸ *non* ante *aut perfregerant* delendum, aut ante *perfregerant* ponendum putabat Perizonius. — Cum Perizonio facit Creverius, quia intelligendum est naves Pœnorum intrasse os amnis, atque hoc modo evasisse; eas autem quæ, quum illud intrare non potuissent, aut perfregerant proras in litore, aut hæserant in vadis, a Romanis captas esse. Quare in sententiam doctiss. virorum transeo. Ed.

3. *Proras litore illisas*, forte *litori*. —Quidam codd. *litoreis:* an *litoribus?* Hoc magis placeret quam *litore*. Ed.

illisas, aut carinas fixerant vadis, religatas puppibus in altum[4] extraxere. Ad quinque et viginti naves ex quadraginta cepere : neque id pulcherrimum ejus victoriæ fuit, sed quod una levi pugna toto ejus oræ mari potiti erant. Itaque ad Honoscam[5] classe profecti, exscensione ab navibus in terram facta, quum urbem vi cepissent, captamque diripuissent, Carthaginem inde petunt : atque, omnem agrum circa depopulati, postremo tecta quoque conjuncta[6] muro portisque incenderunt. Inde jam præda gravis ad Longunticam[7] pervenit classis : ubi vis magna sparti ad rem nauticam congesta ab Hasdrubale. Quod satis in usum fuit, sublato, cæterum omne incensum est : nec continentis modo projectas oras[8] prætervecta, sed in Ebusum insulam[9] transmissum. Ubi urbe, quæ caput

4. *Religatas puppibus in altum*, mare, *extraxere* naves; conf. Polyb. III, 96, 6; Thucyd. I, 50, et Lips. ad Plin. Pan. 82.—*Ad XXV naves ex XL cepere;* MSS et edd. antt. *ex XXX.* Sed conf. cap. 19 pr.

5. *Ad Honoscam*, quam urbem, non aliis memoratam, in Tarrac. Hispania, inter Carthaginem novam et Iberum sitam fuisse putant. In MSS et antt. edd. *onusam, onustam, honustam. Ophiusam*, aut potius *Oscam* conj. J. Fr. Gron. et *itaque Etovissam* (oppidum, inter Iberum et Carthaginem novam situm) rectius, opinor; Jac. Gron. coll. XXI, 22. — *Carthaginem* novam.

6. *Tecta quoque conjuncta muro*, vicina. Alii *juncta*, probante Gronovio, et *injuncta;* vide ad I, 44, n. 8.

7. *Ad Longunticam*, urbem non aliunde notam. — *Ubi vis magna sparti*, etc., quod *spartum* Græcis dicitur frutex, inpr. genista, at Romanis juncus hispanicus, cujus maxima erat copia in campis Carthagini novæ vicinis; unde ea quoque *Spartária* et Σπαρταγενὴς dicta; vid. ad Sil. III, 368; loc. class. Plin. XIX, 2, seu 7, et XXIV, 9, seu 40 (ad quæ confer Hard.); Salmas. ad Solin. p. 189 sq. al. 261 sq. Intpp. Gell. XVII, 3; Antonini Itin. p. 401; Justin. XLIV, 1; Mel. II, 6, et Varr. R. R. I, 23, 6. — *Quod satis in usum fuit, sublato* pro : *eo, quod*, etc. C. XXIV, 1, n. 7.

8. *Nec continentis modo* terræ *projectas oras*, ut *in altum excurrentes* XXVI, 42; XXXVI, 15; XXXVII, 31; XLIV, 11; *in altum*, seu *mare prominentes* XXXVII, 23; XXXVIII, 59; vel *eminentes* XLIV, 11; *procurrentes*, etc. *Projecta* loca et res plerumque dicuntur, quæ vel in altum eminent, vel longe lateque extenduntur, ut *porrecta*. Notanda h. l. variatio subjecti in verbis *prætervecta* (scilic. classis)... *transmissum* et *versi;* vide ad II, 56, n. 1.

9. *Sed* (etiam; vide ad I, 40, n. 1)

insulæ est, biduum nequidquam summo labore oppugnata, ubi in spem irritam frustra teri tempus animadversum est, ad populationem agri versi, direptis aliquot incensisque vicis, majore, quam ex continenti, præda parta, quum in naves se recepissent, ex Baliaribus insulis legati pacem petentes ad Scipionem venerunt. Inde flexa retro classis, reditumque in citeriora provinciæ, quo omnium populorum, qui Iberum incolunt[10], multorum et ultimæ Hispaniæ legati concurrerunt. Sed, qui vere ditionis imperiique romani facti sunt[11], obsidibus datis, populi amplius fuerunt centum viginti. Igitur terrestribus quoque copiis satis fidens Romanus usque ad saltum Castulonensem[12] est progressus: Hasdrubal in Lusitaniam ac propius oceanum concessit.

XXI. Quietum inde fore videbatur reliquum æstatis tempus, fuissetque per pœnum[1] hostem; sed, præterquam quod ipsorum Hispanorum inquieta avidaque in novas res sunt ingenia, Mandonius[2] Indibilisque, qui antea Ilergetum regulus fuerat, postquam Romani ab saltu recessere ad maritimam oram, concitis popularibus, in agrum pacatum sociorum romanorum populandum venerunt. Adversus eos tribunus militum

*in Ebusum insulam;* vid. ad XXVIII, 37, n. 4. Mox displicet τὸ *ubi* duplici sensu positum, primum de loco, deinde pro *postquam.*

10. *Qui Iberum incolunt,* ut ναίειν ποταμὸν pro παρὰ ποταμόν· Doer. *Accolunt,* vel *cis Iberum incolunt* conj. Gron.

11. *Ditionis imperiique rom. facti sunt;* cf. ad XXI, 30, n. 5. — *Populi* non gentes, sed singulorum oppidorum incolæ; Doer.

12. *Ad saltum Castulonensem;* cf. ad XXI, 11, n. 9, et Cic. ad Div. X, 31. Et ex eo descendit Bætis flumen, et in eo fuere argenti metalla; vid. Strabonem, III, p. 148, et Polybium, X, 38.

Cap. XXI. 1. *Fuissetque per pœnum;* vid. ad V, 12, n. 6.

2. *Mandonius Indibilisque* (Ἀνδοβάλης ap. Polyb.) fratres, et *Ilergetum* (vide ad XXI, 23, n. 1) reguli. Conf. Ind. et Polyb. I, 75; III, 35; III, 76; IX, 11; X, 14; X, 18; X, 35; XI, 29, et ad hh. ll. Schw. — Multi pro *Ind.* dant *vir nobilis* male propter *venerunt.* Ed. — *Ab saltu* Castulonensi.

cum expeditis auxiliis[3], a Scipione missi, levi certamine, ut tumultuariam manum[4], fudere omnes : occisis quibusdam captisque, magna pars armis exuta. Hic tamen tumultus cedentem ad oceanum Hasdrubalem cis Iberum ad socios tutandos retraxit. Castra punica in agro Ilercaonensium[5], castra romana ad novam classem erant, quum fama repens alio avertit bellum. Celtiberi, qui principes regionis suæ legatos miserant, obsidesque dederant Romanis, nuntio misso a Scipione exciti, arma capiunt, provinciamque Carthaginiensium valido exercitu invadunt : tria oppida vi expugnant. Inde cum ipso Hasdrubale duobus præliis egregie pugnantes quindecim millia hostium occiderunt, quatuor millia cum multis militaribus signis capiunt.

XXII. Hoc statu rerum in Hispania, P. Scipio in provinciam venit[1], prorogato post consulatum imperio ab senatu missus, cum viginti longis navibus, et octo millibus militum, magnoque commeatu advecto. Ea classis ingens agmine onerariarum procul visa, cum ma-

3. *Tribunus militum cum e. auxiliis ... missi;* vide XXI, 60, n. 5.

4. *Ut tumultuariam manum;* vide ad I, 37, n. 4; VIII, 30, n. 7.

5. *Castra punica in agro Ilercaonensium* (*Ilergaonum* apud Plinium, III, 3, et *Illurgavonensium* ap. Cæs. Bel. civ. I, 60) inter Edetanos et Iberum in ora. — *Castra romana ad novam classem :* imo *ad Novam Classem*, aut forsan *Classicam :* certe *Classica* erat oppidum Narbonensis provinciæ (propr. Forum Julium, ita forte appellatum, quia navale fuit classis Augusti; vide Strab. IV, 1, 9, p. 184, et Plin. III, 4, seu 5, ibique Hard.), et urbem intelligendam esse patet, etsi verum nomen ignoratur; Stroth. Nihil de iis, quæ hoc capite traduntur, sed alia apud Polyb. III, 96. Mox *miserant* Gron. adjecit e cod. Put. Illud omitti posse putabat Stroth. et referri ad illud locutionis genus; de quo vid. ad I, 33, n. 7. — In Antonini itinerario fert Creverius memorari locum inter Ilerdam et Tarraconem, cujus nomen ita indicatum, *ad Novas*. Ed.

Cap. XXII. 1. *P. Scipio in provinciam venit*, etc. Conf. XXI, 17, 26, 32, et Polyb. III, 97. — *Cum viginti longis navibus* e duobus MSS et Polybio recepi pro *cum triginta l. n.* De *navibus longis* et *onerariis* vide ad XXI, 17, n. 5. — *Commeatu advecto*, quidam e nostris *adjecto*. Ed.

gna lætitia civium sociorumque, portum[2] Tarraconis ex alto tenuit. Ibi milite exposito, profectus Scipio fratri se conjungit: ac deinde communi animo consilioque gerebant bellum. Occupatis igitur Carthaginiensibus celtiberico bello, haud cunctanter Iberum transgrediuntur, nec ullo viso hoste, Saguntum pergunt ire, quod ibi obsides totius Hispaniæ custodiæ traditos ab Hannibale fama erat modico in arce custodiri præsidio. Id unum pignus inclinatos ad romanam societatem omnium Hispaniæ populorum animos morabatur, ne sanguine liberum suorum culpa defectionis lueretur. Eo vinculo Hispaniam vir unus, solerti magis quam fideli consilio, exsolvit. Abelux erat Sagunti nobilis Hispanus[3], fidus ante Pœnis: tum (qualia plerumque sunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutaverat fidem. Cæterum transfugam, sine magnæ rei proditione venientem ad hostes, nihil aliud quam unum vile atque infame corpus[4] esse ratus, id agebat, ut quam maximum emolumentum novis sociis esset. Circumspectis igitur omnibus, quæ fortuna potestatis ejus poterat facere[5], obsidibus potissimum tradendis animum adjecit: eam unam rem maxime ratus conciliaturam Romanis principum Hispaniæ amicitiam. Sed quum, injussu Bostaris præfecti, satis sciret, nihil obsidum custodes facturos esse, Bostarem ipsum arte aggreditur. Castra extra urbem in ipso litore habebat Bostar, ut aditum ea parte intercluderet Romanis[6]. Ibi eum in

2. *Portum Tarraconis* (quod caput fuit Hispaniæ Tarrac. in ora Cataloniæ, hod. *Tarragona;* vide ad Sil. III, 369) *ex alto tenuit;* vide ad I, 1, n. 8.

3. *Abelux erat Sagunti nobilis Hispanus:* non, ut in antt. edd. *Abelox*, sed rectius forte *Abelyx* aut *Abilyx*. Ἀβίλυξ apud Polybium, III, 98, 99. Mox *jam* pro *tum* conj. Doer.

4. *Infame corpus* pro homine, ut σῶμα.

5. *Quæ fortuna potestatis ejus poterat facere;* vide ad III, 62, n. 5. — De *Bostare* vide Polyb. l. l.

6. *Ut aditum ea parte intercluderet*

secretum abductum, velut ignorantem, monet, quo statu sit res[7]. *Metum continuisse ad eam diem Hispanorum animos, quia procul Romani abessent: nunc cis Iberum castra romana esse, arcem tutam perfugiumque novas volentibus res*[8]. *Itaque, quos metus non teneat*[9], *beneficio et gratia devinciendos esse.* Miranti Bostari percunctantique, quodnam id subitum tantæ rei donum possit esse? « Obsides, inquit, in ci-« vitates remitte. Id et privatim parentibus, quorum « maximum nomen[10] in civitatibus est suis, et publice « populis gratum erit. Vult sibi quisque credi, et « habita fides ipsam plerumque obligat fidem. Mini-« sterium restituendorum domos obsidum mihimet « deposco ipse, ut opera quoque impensa consilium « adjuvem meum, et rei suapte natura gratæ, quantam « insuper gratiam possim, adjiciam. » Homini, non ad cætera punica ingenia callido[11], ut persuasit, nocte

*Romanis:* ita pro vulg. *ex portu* MSS Pet. et Cantabr. (*ex parte* Flor. et duo Hearnii) quos sequutus sum, suadente Jac. Gron. qui bene monet, Sagunto, passus mille a mari sitæ (conf. XXI, 7 pr.), non fuisse portum, certe eum nusquam memorari. Conf. ad XXIII, 47, n. 2. — Hanc ego quoque emend. recipio præsertim quum in nostris codd. legere sit *ex parte*, quod levi mutatione τοῦ *ex* in *ea* commodum sensum efficit. Creverius tamen defendit *ex portu*, et interpretatur aditum ad urbem, qua parte est portus. Saguntum enim inter maritimas urbes censeri solitam docet Cellar. Geogr. Ant. lib. II, cap. 1. Itaque, licet nusquam alias saguntini portus mentio fiat, non est cur suspecta sit nobis hujus loci scriptura. Nam quid mirum portum alicujus urbis ab ea distare vel tribus passuum millibus? Nonne inter Piræum et Athenas quadraginta stadia, sive quinque millia passuum interfuisse testatur Thucydides? Ed.

7. *Monet, quo statu sit res;* vide ad III, 68, n. 1.

8. *Novas volentibus res;* vide ad I, 52, n. 1, et XXI, 39, n. 4.

9. *Quos metus non teneat,* Hispanos, qui a Pœnis non amplius metu teneantur in fide; ut paulo ante *metum continuisse animos*, scilic. in fide, seu officio. Cf. ad VII, 25, n. 3; XXVI, 38, n. 1; XXIX, 36, n. 6; XXX, 20, n. 1; XXXV, 23, n. 1; XXXIX, 28, n. 1. Similiter *continere disciplinam* XXXIX, 1, pro operam dare, ne degeneret, et in pejus mutetur; Drakenb.

10. *Quorum maximum nomen*, fama, dignitas, ut ὄνομα.

11. *Homini, non ad* (πρὸς) *cætera punica ingenia callido*, si iis compa-

clam progressus ad hostium stationes, conventis quibusdam auxiliaribus Hispanis, et ab iis ad Scipionem perductus, quid afferret, expromit. Fide accepta dataque, ac loco et tempore constituto ad obsides tradendos, Saguntum redit; diem insequentem absumpsit cum Bostare mandatis ad rem agendam accipiendis. Dimissus, quum se nocte iturum, ut custodias hostium falleret, constituisset, ad compositam cum iis horam excitatis custodibus puerorum profectus, veluti ignarus in præparatas sua fraude insidias ducit : in castra romana perducti. Cætera omnia de reddendis obsidibus, sicut cum Bostare constitutum erat, acta per eumdem ordinem, quo si Carthaginiensium nomine sic ageretur[12]. Major aliquanto Romanorum gratia fuit in re pari[13], quam quanta futura Carthaginiensium fuerat. Illos enim, graves superbosque in rebus secundis expertos, fortuna et timor mitigasse videri poterat. Romanus primo adventu, incognitus ante, ab re clementi liberalique initium fecerat[14] : et Abelux, vir prudens, haud frustra videbatur socios mutasse. Itaque ingenti consensu defectionem omnes[15] spectare :

retur; ut *quid ad primum consulatum* Scipionis *secundus* XXXVIII, 53, n. 4; *nihil ad Persium* et *Cœlium* ap. Cic. Or. II, 6; Leg. I, 2. — *Ab iis ad Scipionem perductus*, forte *Scipiones*, ut apud Polyb. lib. III, c. 99, πρὸς τοὺς στρατηγούς.

12. *Acta per eumdem ordinem, quo si.....ageretur*, in plerisque MSS et edd. antt. *quasi agerentur*. Sed bene emend. Str. *acta per eumdem* (Abelucem) *ordine, quo*, sc. acta fuerint, si *C. n. res* (ita unus MSS) *ageretur*.

13. *Major aliquanto* (vide ad II, 39, n. 1) *Romanorum gratia fuit in re pari*, una eademque; multo majorem gratiam sibi conciliarunt Romani, quam Pœni sibi fuissent conciliaturi; Doer. — Mox *illos* pro *hos;* vide ad III, 72, n. 3.

14. *Ab re clementi liberalique initium fecerat*. Conf. Polyb. III, 99, ubi tradit, obsides in suam quemque patriam restitutos esse, et Abelucem, tum clementiam et magnanimitatem Romanorum, tum diffidens et atrox Pœnorum ingenium, suumque exemplum ob oculos omnibus ponendo, multos Hispanos ad amicitiam Romanorum amplectendam incitasse. Livius paulo obscurior est.

15. *Defect. om. spect.;* v. I, 9, n. 3.

armaque extemplo mota forent, ni hiems, quæ Romanos quoque et Carthaginienses concedere in tecta coegit, intervenisset.

XXIII. Hæc in Hispania quoque secunda æstate punici belli gesta, quum in Italia paulum intervalli cladibus romanis solers cunctatio Fabii fecisset. Quæ ut Hannibalem non mediocri sollicitum cura habebat, tandem eum militiæ magistrum[1] delegisse Romanos cernentem, qui bellum ratione, non fortuna, gereret; ita contempta erat inter cives, armatos pariter togatosque; utique postquam, absente eo, temeritate magistri equitum, læto verius dixerim, quam prospero eventu[2], pugnatum fuerat. Accesserant duæ res ad augendam invidiam dictatoris: una fraude ac dolo Hannibalis, quod, quum a perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circa solo æquatis, ab uno eo[3] ferrum ignemque et vim omnem hostium abstineri jussit, ut occulti alicujus pacti ea merces videri posset: altera ipsius facto, primo forsitan dubio, quia non exspectata in eo senatus auctoritas est; ad extremum haud ambigue in maximam laudem verso, in permutandis captivis: quod, sicut primo punico bello factum erat, convenerat inter duces romanum pœnumque, ut, quæ pars plus reciperet[4], quam daret, argenti pondo bina et selibras in militem præstaret.

Cap. XXIII. 1. *Eum* (vide ad II, 29, n. 6) *militiæ magistrum*, ducem belli, ut *magister equitum* et *peditum*. — *Inter cives, armatos pariter togatosque;* vide ad lib. III, cap. 50, n. 1. — *Utique;* vide II, 30, n. 1.

2. *Læto verius dixerim, quam prospero eventu:* nam res felicius cesserat, quam exspectari potuerat a temeritate Minucii: sed *eventus* non proprie dici poterat *prosper*, quia, ut cap. seq. narratur, *parem prope cladem* Romani experti fuerant; Doer.

3. *Ab uno eo* (dictatoris agro) *ferrum ignemque et vim abstineri*, arceri, prohiberi (vide ad I, 1, n. 1, et II, 22, n. 3), *jussit;* conf. Plutarchum in Fabio; Frontin. I, 8, n. 2, et Silium, VII, 260 sq.

4. *Quæ pars plus reciperet*, scilicet captivorum. — *Argenti pondo bina et selibras*, libras dimidiatas. CCL

Ducentos quadraginta septem[5] quum plures Romanus, quam Pœnus, recepisset, argentumque pro eis debitum, sæpe jactata in senatu re[6], quoniam non consuluisset Patres, tardius erogaretur, inviolatum ab hoste agrum[7], misso Romam Quinto filio, vendidit, fidemque publicam impendio privato exsolvit. Hannibal pro Geronii mœnibus[8], cujus urbis, captæ atque incensæ ab se, in usum horreorum pauca reliquerat tecta[9], in stativis erat. Inde frumentatum duas exercitus partes mittebat : cum tertia ipse expedita in statione erat, simul castris præsidio, et circumspectans, necunde impetus in frumentatores fieret.

XXIV. Romanus tunc exercitus in agro larinati[1] erat: præerat Minucius magister equitum, profecto, sicut ante dictum est, ad urbem dictatore. Cæterum castra, quæ in monte alto ac tuto loco posita fuerant, jam in planum deferuntur[2]; agitabanturque pro ingenio ducis consilia calidiora, ut impetus aut in frumentato-

δραχμὰς apud Plutarch. Fab. p. 178. Si argenti libra æqualis est minæ Græcorum, valebit paulum supra 21 thaleros; Stroth. Cæterum de hac summa Hannibal, captivis abundans, aliquid remisit post victoriam ad Cannas, si Gellio VII, 18, fides habenda, qui tradit, eum *argenti pondo libram et selibram* pactum esse; sed auxit pretium teste Livio, infr. cap. 58, si *nummus quadrigatus* fuit denarius vel drachma. — Creverius notat *argenti pondo bina et selibras* esse duas libras romanas et semissem argenti, qui sunt mille sestertii, sive unum sestertium; id est, marcæ nostrates argenti tres cum septem unciis, et 144 granis. Ed. — *In militem præstaret*, pro quovis milite solveret, ut *stipendium præstare* V, 32.

5. *Ducentos quadraginta septem*, CCXL apud Plutarchum, loc. laud.

6. *Sæpe jactata in senatu re;* vide ad III, 10, n. 2.

7. *Inviolatum ab hoste agrum;* cf. not. 3.

8. *Pro Geronii mœnibus;* vide ad cap. 18, n. 5.

9. *In usum horreorum pauca reliquerat tecta;* Polybius, III, 100, τοὺς μὲν οἰκήτορας κατέφθειρε, τὰς δὲ πλείστας οἰκίας ἀκεραίους διεφύλαξε καὶ τὰ τείχη, βουλόμενος σιτοβολίοις χρήσασθαι πρὸς τὴν παραχειμασίαν. — *Necunde;* vide c. 2, n. 3.

Cap. XXIV. 1. *In agro larinati*, etc.; vide ad cap. 18, n. 6, et conf. Polyb. III, 101. — *Sicut ante dictum est* sup. cap. 18.

2. *In planum deferuntur;* conf. ad V, 38, n. 4, et XXI, 32, n. 7. — *Consilia calida* (ut al. *fervida*), teme-

res palatos, aut in castra, relicta cum levi præsidio, fieret. Nec Hannibalem fefellit, cum duce mutatam esse belli rationem, et ferocius, quam consultius, rem hostes gesturos. Ipse autem (quod minime quis crederet[3]), quum hostis propius esset, tertiam partem militum frumentatum, duabus in castris retentis, dimisit: dein castra ipsa propius hostem[4] movit, duo ferme a Geronio millia, in tumulum hosti conspectum; ut in-

raria ac periculosa, quæ fere iniri solent ab iis, qui calidioris ingenii (et juventutis) impetu se abripi patiuntur; Doer. Conf. ad Sil. VII, 34; XV, 337; infr. ad XXXV, 32, n. 7, et Wakefield. del. Tragœd. tom. I, pag. 401; tom. II, pag. 359, ubi græce θερμὸς, θερμουργὸς, etc., eodem sensu dici monet.

3. *Quod minime quis crederet,* sc. exercitum tam valde imminutum, tertia parte dimissa, quum hostis in propinquo esset; Strothius. Crediderim potius, hæc verba glossatori tribuenda, et Livii mentem esse hanc: *Ipse autem, quum hostis propius esset,* non, ut antea, duas exercitus partes frumentatum misit (vide cap. 23 extr.), sed *tertiam* tantum *partem,* etc. — Hic omnem Creverii notam transcribere operæ pretium videtur, quia multa in Livio obscura dilucide explicat. « Cur autem, inquit, quisquam ægre credat eum ducem qui, hoste procul dissito, duas militum partes frumentatum mittebat, postquam propius accessit hostis, jam solummodo tertiam partem militum misisse? Omnino hæc parenthesis parum digna Livio videtur, et aut corrupta, aut etiam penitus tollenda. Neque enim simile quidquam reperitur apud Polybium, quem hic sequitur Livius. Cæterum de toto hoc negotio operæ pretium est accuratissimum illum scriptorem consulere, qui rem distinctius et apertius narrat, in hunc fere modum. Postquam Minucius in tumulum illum, unde Numidas dejecerat, castra transtulit, Hannibal aliquandiu maximam partem militum in castris tenuit. Verum post aliquot dies coactus est partim frumentatum, partim ad pecora pascenda quamplurimos dimittere. Quod quum sensisset Minucius, ipse ad castra hostium cum legionibus successit: equitatum et levem armaturam in pabulatores emisit. Hannibali neque ad certandum acie satis virium erat, neque ad opem palatis per agros suis ferendam. Jamque vellebant vallum hostium Romani, quum Hasdrubal, collectis frumentatoribus qui Geronium refugerant ad quatuor millia, auxilium Hannibali jam prope obsesso in castris tulit. Tum Romani abscedere coacti sunt, multis tamen hostium ad castra cæsis. Frumentatorum major etiam cædes fuit. Postero die Hannibal in priora castra, quæ pro Geronii mœnibus erant, recepit suos: ac postea parcius et cautius pabulati sunt Carthaginienses.» Ed.

4. *Propius hostem;* vide ad II, 48, n. 5. — *Duo ferme millia;* vide ad IX, 24, n. 2. — *In tumulum hosti conspectum;* vide II, 5, n. 8. — Hanc lectionem restituit J. Fr. Gon. quum antea vulgaretur e Lipsii conjectura *tumulum hostium in conspectu.* Ed.

tentum sciret esse ad frumentatores, si qua vis fieret, tutandos. Propior inde ei atque ipsis imminens Romanorum castris tumulus apparuit : ad quem capiendum si luce palam iretur, quia haud dubie hostis breviore via præventurus erat, nocte clam missi Numidæ ceperunt[5]. Quos tenentes locum, contempta paucitate, Romani postero die quum ejecissent[6], ipsi eo transferunt castra. Tum itaque, ut exiguum spatii vallum a vallo aberat, et id ipsum totum prope compleverat romana acies, simul et per aversa castra a castris Hannibalis[7] equitatus, cum levi armatura[8] emissus in frumentatores, late cædem fugamque hostium palatorum fecit. Nec acie certare Hannibal ausus; quia tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat. Jamque artibus Fabii (pars exercitus aberat[9]), jam ferme sedendo et cunctando[10] bellum gerebat, receperatque suos in priora castra, quæ pro Geronii mœnibus erant. Justa quoque acie et collatis signis dimicatum, quidam auctores sunt[11] : primo concursu Pœnum usque ad castra fusum; inde eruptione facta repente versum terrorem in Romanos; Num. Decimii Samnitis deinde interventu prælium restitutum. Hunc, principem genere ac divitiis non Boviani modo, unde erat, sed toto

5. *Nocte clam missi Numidæ ceperunt:* delendum τὸ *ceperunt;* Gronov. Περὶ δισχιλίους τῶν λογχοφόρων missos dicit Polyb. III, 101.

6. *Postero die quum ejecissent :* immo *dejecissent;* Gron.

7. *Aversa castra a castris Hann.;* vide ad III, 5, n. 3, et V, 29, n. 1.

8. *Equitatus, cum levi armatura,* etc. Et gravem armaturam in aciem eductam tradit Polyb. III, 102.

9. *Pars exercitus aberat* frumentatum dimissa, quod tertium inculcari vix crediderim; Str. *Jamque artibus Fabii, dum pars exercitus aberat, ferme sedendo,* etc. Conj. idem et Gronovius.

10. *Sedendo et cunctando;* vide ad VII, 37, n. 4.

11. *Quidam auctores sunt* (vide ad II, 58, n. 1), verbi causa, Polyb., qui tamen de *Num. Decimii interventu* (ut X, 19) nihil tradit. — *Boviani;* vide ad IX, 28, n. 1. Mox *equites ducentos adducentem* edd. antt.; sed *equites adducentem* MSS plerique; unde *equites ad D ducentem* edidere VV. DD.

Samnio, jussu dictatoris octo millia peditum, et equites quingentos ducentem in castra, ab tergo quum apparuisset Hannibali, speciem parti utrique præbuisse novi præsidii, cum Q. Fabio a Roma venientis : Hannibalem insidiarum quoque aliquid timentem recepisse suos : Romanum insequutum, adjuvante Samnite, duo castella eo die expugnasse : sex millia hostium cæsa, quinque admodum Romanorum[12] : tamen in tam pari prope clade famam egregiæ victoriæ cum vanioribus literis magistri equitum Romam perlatam.

XXV. De his rebus persæpe et in senatu et in concione actum est. Quum, læta civitate, dictator unus nihil nec famæ, nec literis crederet; ut vera omnia essent[1], secunda se magis, quam adversa, timere diceret; tum M. Metilius[2] tribunus plebis, *id enim ferendum esse* negat[3]. *Non præsentem solum dictatorem obstitisse rei bene gerendæ, sed absentem etiam gestæ obstare : et in ducendo bello sedulo tempus*[4] *terere, quo diutius in magistratu sit, solusque et Romæ et in exercitu imperium habeat. Quippe consulum*[5] *alterum in acie cecidisse; alterum, specie classis punicæ persequendæ, procul ab Italia ablegatum. Duos præto-*

12. *Quinque* (millia) *admodum Romanorum;* vide ad XXI, 36, n. 3.

Cap. XXV. 1. *Ut vera omnia essent;* vide ad II, 38, n. 3. Est vero asyndeton elegans, nec opus *et* addere ante *ut;* Gron.

2. *M. Metilius*, non *Metellus*. Conf. Plutarch. Fab. p. 178. — Hujus *Metilii*, cum L. Lætorio legati, meminit etiam lib. XXV, 22. Ed.

3. *Id enim ferendum esse negat;* vide ad III, 39, n. 8. « Ob sequens voc. *ferendum* post *enim* videtur omissum *vero*, aut ab ipso Livio, aut a librariis. *Obstare rei* a) non credendo veram, b) minuenda ejus magnitudine, c) prohibendo ejus honore, qs. efficere velle non gestam ; » Bauer.

4. *In ducendo bello tempus trahere;* vide ad III, 41, n. 7. Sane *in bello ducendo*, quum semel occupatur aliquis eo trahendo, tempus teri non potest; at *ducendo* teri potest, ut modus terendi temporis exponatur: itaque delend. *in;* Bauerus. Forte pro *in* leg. *ita*.

5. *Consulum alterum*, Flaminium, *alterum*, Cn. Servilium, *specie* (vide ad II, 32, n. 2) *classis punicæ*, etc.: vide sup. c. 11.

*res Sicilia atque Sardinia occupatos*[6], *quorum neutra hoc tempore provinciæ prætore egeat. M. Minucium magistrum equitum, ne hostem videret, ne quid rei bellicæ gereret, prope in custodiam habitum*[7]. *Itaque, Hercule, non Samnium modo, quo jam, tanquam trans Iberum agro, Pœnis concessum sit*[8], *et campanum, calenumque, et falernum agros pervastatos esse, sedente Casilini dictatore*[9], *et legionibus populi romani agrum suum tutante. Exercitum cupientem pugnare, et magistrum equitum, clausos prope intra vallum retentos; tanquam hostibus captivis arma adempta. Tandem, ut abscesserit inde dictator, ut obsidione liberatos, extra vallum egressos fudisse ac fugasse hostes. Quas ob res, si antiquus animus plebi romanæ esset, audaciter se laturum fuisse*[10] *de abrogando Q. Fabii imperio: nunc modicam rogationem*[11] *promulgaturum de æquando magistri equitum et dictatoris*

6. *Duos prætores Sicilia atque Sardinia occupatos*, T. Otacilium Crassum et A. Cornelium Mammulam. Confer c. 10, 31; XXIII, 21, n. 2, et Pigh. Annal. ad an. 536. Mox pro *quorum* legend. *quarum*, vel *quum*, nisi cum Creverio tollere malis voc. *prætore;* Strothius.

7. *Prope in custodiam habitum;* v. ad II, 14, n. 2.

8. *Non Samnium modo, quo jam ... Pœnis concessum sit* (cessum sit; Ern. Unde jam Pœnis cessissent Romani; Str.), *et*, etiam, *campanum ... agros pervastatos esse* Pœnos. *Concedere* et *cedere alicui* tum *aliquid* tum *aliqua re* recte dici, multis exemplis ad h. l. ad XXIV, 6, et XXXII, 35 extr. probavit Drakenb. Sed forte pro *Pœnis* leg. *Pœnos*, et hæc vox post *Hercule*, vel ante *sed* aut *esse* ponenda. Pro *et campanum* edit. Mediol. et al. *sed campanum;* at vide ad lib. III, cap. 71, n. 4.

9. *Sedente Casilini dictatore* (vide ad VII, 37, n. 4), *et* cum *legionibus populi romani agrum suum tutante*, invidiose dicta, inprim. agro illo jam vendito, ut fides publica exsolveretur; vide cap. 23. — *Clausos prope retentos*, claudendo. — *Ut*, simul ac, *abscesserit inde dictator, ut*, tanquam, *obsidione*, etc., qui varius τοῦ *ut* usus sic non placet.

10. *Audaciter se laturum fuisse:* sic vett. libro pro *audacter*, et rectius, etsi improbet illud Quintil. I, 6; III, 17. — *De abrogando Q. Fabii imperio:* Bauerus putat, auribus seu euphoniæ id datum pro *Q. Fabio*, et Dukerus, ex MS Harl. leg. *Fabio*. Cf. tamen ad XXVII, 20, n. 5, et XXIX, 19, n. 2.

11. *Modicam rogationem*, minus

*jure : nec tamen ne ita quidem prius mittendum ad exercitum Q. Fabium, quam consulem in locum C. Flaminii suffecisset.* Dictator concionibus se abstinuit, in actione minime popularis[12]. Ne in senatu quidem satis æquis auribus audiebatur, tunc quum hostem verbis extolleret, bienniique clades per temeritatem atque inscientiam ducum acceptas referret: *magistroque equitum, quod contra dictum suum pugnasset, rationem* diceret *reddendam esse. Si penes se summa imperii consiliique sit, propediem effecturum, ut sciant homines, bono imperatori haud magni fortunam momenti esse : mentem rationemque dominari. Se in*[13] *tempore, et sine ignominia servasse exercitum, quam multa millia hostium occidisse, majorem gloriam esse.* Hujus generis orationibus frustra habitis, et consule creato M. Atilio Regulo[14], ne præsens de jure imperii dimicaret, pridie quam rogationis ferendæ dies adesset, nocte ad exercitum abiit. Luce orta, quum plebis concilium esset, magis tacita invidia dictatoris favorque magistri equitum animos versabat[15], quam satis audebant homines ad suadendum, quod vulgo placebat,

severam.— *Nec tamen ne ita quidem:* otiosa videtur prior negatio, et forte leg. *ac* pro *nec :* sed nihil affirmo, quum *et* aut *ac* jungi τῷ *ne quidem* haud soleat; Bauer.

12. *In actione minime popularis :* immo *populari;* Gron. probb. Drak., Stroth., Doer. et Bauero, cujus nota est : « De actione, non de ipso Fabio, sermo est; nec, si Fabius popularis fuisse negaretur, adderetur *in actione:* quid, quod ne ipse quidem agebat, sed tribuni de eo. » Enimvero non modo causa Fabii minime erat *popularis*, h. e. grata plebi, quæ Minucio favebat : sed nec ipse *popularis in actione hac*, i. e. in hac causa a plebe *non æquis auribus audiebatur*, vel potius se non ita auditum iri sciebat.

13. *Se in tempore* (quum maxime opportunum et opus esset; Gronov. Cf. ad II, 47, n. 4), *et signe ignominia*, etc. Conf. Sil. VII, 396 sq.

14. *Consule creato M. Atilio Regulo* (in locum defuncti Flaminii), qui jam consul fuerat anno Urb. 525. — *Rogationis ferendæ* de æquando dictatoris et magistri eq. jure.

15. *Favorque magistri eq. animos versabat;* vide ad II, 45, n. 6. — *Ad suadendum;* conf. ad librum II, cap. 56, n. 6.

prodire : et, favore superante[16], auctoritas tamen rogationi deerat. Unus inventus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat, loco non humili solum, sed etiam sordido, ortus : patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis[17], filioque hoc ipso in servilia ejus artis ministeria usum.

XXVI. Is juvenis, ubi[1] ex eo genere quæstus pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris fortunæ fecit, togaque et forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus causisque adversus rem et famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores pervenit. Quæstura quoque et duabus ædilitatibus, plebeia et curuli, postremo et prætura perfunctus, jam ad consulatus spem quum attolleret animos, haud parum callide auram favoris popularis[2] ex dictatoria invidia petiit, scitique plebis unus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quique Romæ, quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem, in contumeliam ejus latam acceperunt. Ipse, qua gravitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem et populi in se sæ-

16. *Favore superante*, quum permulti adessent, qui faverent rogationi (conf. ad VIII, 10, n. 1), *deerat*, qui *auctoritatem rogationi* præstaret, *suasor legis ;* vide ad II, 56, n. 6. — *Priore anno prætor fuerat*, scilic. urbanus, unde priore anno ejus non meminit; Sigon.

17. *Ipsum institorem mercis;* vide ad Juvenal. VII, 221.

Cap. XXVI. 1. *Is juvenis ubi*, etc.; pro *ubi* in omnibus fere MSS *utrum:* unde Gronov. conj. *Is juvenis (etenim ex eo...placuere) proclamando*, etc. Et rectius, opinor, Periz. *UT PRIM.*, h. e. *ut primum. Togaque et forum placuere*, artes pacis et eloquentia forensis; nisi et ad hanc *toga* h. l. referenda; vid. ad Tacit. Annal. XI, 7, n. 6. — *Proclamando*, declamando, dicendo : sed consulto, et per contemptum utitur verbo minus decoro, clamosum notaturo, et vociferatorem, non oratorem; Bauer. Rabularum more vociferando, et altos clamores tollendo : unde *proclamator* apud Cic. Or. I, 46, pro rabula; Doer. Conf. Silium, VIII, 244 sq.

2. *Auram favoris popularis;* vide ad III, 33, n. 2. — *Dictatoria* pro *dictatoris*, vel in dictatorem. — *Scitique plebis*, ex eo, *unus*, solus, *gratiam* populi *tulit*, etsi suasor tantum legis fuerat, non auctor.

vientis injuriam tulit : acceptisque in ipso itinere literis senatusconsulti[3] de æquato imperio, satis fidens, haudquaquam cum imperii jure artem imperandi æquatam, cumque invicto a civibus hostibusque animo ad exercitum rediit.

XXVII. Minucius vero, quum jam ante vix tolerabilis fuisset secundis rebus ac favore vulgi, tum utique immodice immodesteque, non Hannibale magis victo ab se, quam Q. Fabio, gloriari : *Illum in rebus asperis unicum ducem ac parem*[1] *quæsitum Hannibali, majorem minori, dictatorem magistro equitum, quod nulla memoria habeat annalium*[2], *jussu populi æquatum in eadem civitate, in qua magistri equitum virgas ac secures dictatoris tremere atque horrere soliti sint : in tantum suam felicitatem virtutemque enituisse. Ergo sequuturum se fortunam suam, si dictator in cunctatione ac segnitie, deorum hominumque*[3] *judicio damnata, perstaret.* Itaque, quo die primum congressus est cum Q. Fabio, *statuendum omnium pri-*

3. *Literis senatusconsulti :* planius quidam MSS *lit. senatus.* Sed cur omnes fere libri exhibent *consulti,* vel *S. C.?* — *Literis senatus consulisque* conj. Stroth. et *literis senatusque consulto* (ut ante *scitique plebis*) Gronov. qui etiam monet, post legem Horatiam, seu Hortensiam, plebiscitorum Patres factos auctores, et, ut plebis eluderent auctoritatem, eadem senatusconsultis confirmasse. Conf. ad I, 17, n. 6, et XL, 41, n. 7. — Gronovianam lectionem cum Creverio comprobamus; nec mirere senatusconsulti mentionem fieri in re per plebem transacta, ut bene notavit Gronovius. Ed. — *Cumque invicto :* τὸ *que* damnavit Gronov. et quatuor MSS auctoritate motus delevit Stroth. Sed Bauer. ordinat *satis fidens, cumque invicto animo redit,* aut legit *cum æque invicto.*

Cap. XXVII. 1. *Unicum ducem ac parem;* vide ad VII, 33, n. 1.

2. *Quod nulla memoria habeat annalium;* confer Polyb. III, 103, et Plut. Fab. pag. 179, qui etiam monent, tunc primum duos dictatores tempore uno fuisse; quo tamen non ante anno 536 factum esse, dicit Liv. XXIII, 23 pr. Nam Fabius et Minucius propr. pro dictatore, vel prodictatores erant; vid. c. 8 et 31. — *Magistri equ. virgas ac secures dictat. tremere atque horrere* (vide ad XXI, 63, n. 15) *soliti;* confer VIII, 32 seq.

3. *Deorum hominumque judicio :* nam illi Minucio dederant victoriam, hi jura dictatoris.

*mum*, ait, *esse, quemadmodum imperio æquato utantur. Se optimum ducere, aut diebus alternis, aut, si majora intervalla placerent, partitis temporibus, alterius summum jus imperiumque esse; ut par hosti non solum consilio, sed viribus etiam esset, si quam occasionem rei gerendæ habuisset.* Q. Fabio haudquaquam id placere[4] : *omnia enim fortunam habituram, quæcumque temeritas collegæ habuisset : sibi communicatum cum illo, non ademptum, imperium esse; itaque se nunquam volentem*[5] *parte, qua posset, rerum consilio gerendarum cessurum: nec se tempora aut dies imperii cum eo, exercitus divisurum, suisque consiliis, quoniam omnia non liceret, quæ posset, servaturum.* Ita obtinuit, uti legiones, sicut consulibus mos esset, inter se dividerent. Prima et quarta[6] Minucio, secunda et tertia Fabio evenerunt : item equites pari numero, sociumque et latini nominis auxilia diviserunt : castris se quoque separari magister equitum voluit.

XXVIII. Duplex inde Hannibali gaudium fuit : neque enim quidquam eorum, quæ apud hostes agerentur, eum fallebat, et perfugis multa indicantibus, et per suos explorantem; nam et liberam Minucii[1] teme-

4. *Q. Fabio haudquaquam id placere :* ab eo potius optionem datam dicit Polyb. III, 103; *omnia enim fortunam habituram* quasi in potestate sua, *quæcumque*, etc., hoc est, omnia cæco casui et fortunæ obnoxia fore, scilicet secum reputabat, quæ permitterentur collegæ, qui temere, non prudenter et certo consilio, res gerere soleret.

5. *Itaque se nunquam volentem* (vide ad XXI, 39, n. 4) *rerum consilio gerendarum parte cessurum*, eam partem quoque alii concessurum, permissurum (confer ad cap. 25, n. 8), toto exercitu tradito, *qua posset*, scil. consilio res gerere, diviso exercitu, quia imperium sibi cum Minucio communicatum, non ademptum esset; quo sensu mox dicitur : *suis consiliis, quoniam omnia non liceret, quæ posset, servaturum.* Mox ante *exercitus* edd. omnes ante Drak. inferunt *sed*, quod a plerisque MSS abest; vide ad III, 71, n. 4.

6. *Prima et quarta Minucio :* Fabio, teste Plut.

Cap. XXVIII. 1. *Liberam Minucii*

ritatem se suo modo captaturum, et solertiæ Fabii dimidium virium decessisse. Tumulus erat inter castra Minucii Pœnorumque : eum qui occupasset, haud dubie iniquiorem erat hosti locum facturus. Eum non tam capere sine certamine volebat Hannibal, quanquam id operæ pretium erat, quam causam certaminis cum Minucio, quem semper occursurum ad obsistendum satis sciebat, contrahere. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori, quia non modo silvestre quidquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat : re ipsa natus tegendis insidiis[2], eo magis quod in nuda valle nulla talis fraus timeri poterat. Et erant in anfractibus cavæ rupes, ut quædam earum ducenos armatos possent capere. In has latebras, quot quemque locum apte insidere poterant, quinque millia conduntur peditum equitumque[3]. Necubi tamen aut motus alicujus temere egressi, aut fulgor armorum fraudem in valle tam aperta detegeret; missis paucis prima luce ad capiendum, quem ante diximus, tumulum, avertit oculos hostium. Primo statim conspectu

*temeritatem*, temerarium Minucium (ut mox *solertiæ Fabii* pro *solerti Fabio*, cap. 60, *tantæ virtutis comes*, hoc est, tam fortis viri, et alia; vide ad III, 15, n. 8), qui nunc *liberius*, et ex arbitrio agere posset, *se suo modo*, suis artibus, *captaturum*, decepturum, et in fraudem insidiasque illecturum (conf. XXXVIII, 45; XL, 23; XLIV, 24, 25), scilicet cogitabat sperabatque; vide ad II, 32, n. 6. *Insidiari* et *captare* junguntur XXXII, 33, n. 11. Verba *suo modo* spectant omnino ad consuetum agendi modum, et fraudes insidiasve Hannibalis, nec bene a Bauero exponuntur : suo jure, vel arbitrio, ut placeret, *nach Herzenslust*.

2. *Natus tegendis insidiis;* vide ad lib. V, cap. 37, n. 6, et lib. XXII, c. 4, n. 5. — *Detegendis* quidam præferunt; sed vide Drak. ad h. l. Ed.

3. *Quinque millia conduntur peditum equitumque*, forte *equites quingenti;* Gron. coll. Polyb. III, 104. Recte; nisi Livius numerum rotundum aut alios auctores sequutus est. — *Necubi;* vide ad cap. 2, n. 3. — *Quem ante diximus* non reperiuntur in Pal. sec. teste Gebhardo, qui ea non necessaria arbitratur, quia vix tribus prægressis lineis ejus tumuli fecit mentionem; quo et accedit Rapheleng. Sed vulgatam tuetur Drak. quia in id conspirant fere omnes scripti et editi, quos ob morem Livii audiendos existimat. Ed.

contempta paucitas : ac sibi quisque deposcere[4] pellendos inde hostes. Ad locum capiendum dux ipse inter stolidissimos ferocissimosque ad arma vocat; et vanis animis et minis increpat hostem. Principio levem armaturam dimittit, deinde conferto agmine mittit equites : postremo, quum hostibus quoque subsidia mitti videret, instructis legionibus procedit. Et Hannibal, laborantibus suis[5] alia atque alia, crescente certamine, mittens auxilia peditum equitumque, jam justam expleverat aciem[6], ac totis utrimque viribus certabatur. Prima levis armatura Romanorum, præoccupatum inferiore loco succedens tumulum[7], pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, et ad signa legionum refugit. Peditum acies inter perculsos impavida sola erat, videbaturque, si justa aut si recta pugna esset, haudquaquam impar futura : tantum animorum fecerat prospere ante paucos dies res gesta! Sed exorti repente insidiatores eum tumultum[8] terroremque, in latera utrimque ab tergoque incursantes, fecerunt, ut neque animus ad pugnam, neque ad fugam spes cuiquam superesset.

4. *Ac sibi quisque deposcere* (vide ad II, 49, n. 1) *pellendos inde hostes ac locum capiendum. Dux*, etc. bene conj. Perizon. Sed pro alterutro *ac* leg. *et*. Utrobique frigere verba *ad locum cap.* et glossatori tribuenda putat Bauer. Mox suspicari possis : *principio levem armaturam emittit, deinde equites : postremo conferto agmine... et instructis legionibus procedit.* Παραυτίκα μὲν ἐξαπέστειλε τοὺς ψιλοὺς, μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς ἱππεῖς· ἑξῆς δὲ τούτοις κατόπιν αὐτὸς ἦγε συνεχῆ τὰ βαρέα τῶν ὅπλων, Polyb. Πρῶτον μὲν ἀπέστειλε τὴν κούφην στρατιὰν, ἔπειτα τοὺς ἱππεῖς· τέλος δὲ... πάσῃ δυνάμει κατέβαινε συντεταγμένος, Plut. Fab. pag. 180. Quis ferre possit *dimittit*, vel *demittit... mittit... mitti?* Hinc jam Gron. et Bauer. delendum putarunt *dimittit*, aut leg. *emittit*, seu *immittit*.

5. *Et Hannibal laborantibus suis* (vide ad III, 31, n. 1), *alia atque alia mittens auxilia*, ut apud Polyb. III, 105, συνεχῶς μὲν ἐπαποστέλλων τοῖς ἐν τῷ λόφῳ τοὺς βοηθήσαντας.

6. *Jam justam expleverat aciem;* vide ad VI, 13, n. 3.

7. *Succedens tumulum* (ut XXVII, 18; XXXI, 45; XXXVIII, 9, n. 5, al.), *in succedentem equitem;* confer ad I, 3, n. 8; et ad Tac. Ann. II, 20, n. 3.

8. *Exorti repente insidiatores eum*

XXIX. Tunc Fabius, primo clamore paventium audito, dein conspecta procul turbata acie, « Ita[1] est, « inquit, non celerius, quam timui, deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio Hannibalem et virtute et fortuna superiorem videt: sed aliud « jurgandi succensendique tempus erit; nunc signa « extra vallum proferte. Victoriam hosti extorqueamus, « confessionem erroris civibus. » Jam magna ex parte cæsis aliis, aliis circumspectantibus fugam[2], Fabiana se acies repente, velut cælo demissa[3], ad auxilium ostendit. Itaque, prius quam ad conjectum teli veniret, aut manum consereret, et suos a fuga effusa, et ab nimis feroci pugna hostes continuit. Qui solutis ordinibus vage dissipati erant, undique confugerunt ad integram aciem; qui plures simul terga dederant, con-

*tumultum*, etc.; vide ad II, 29, n. 6, et IX, 31, n. 6.

Cap. XXIX. 1. *Ita est*, factum est, quod putavi ac prædixi; *non celerius*, tam celeriter, *quam timueram* (satis celeriter, nec tamen celerius, quam timueram, ut qui præcipitem Minucii temeritatem cognitam haberem; Duk.), *fortuna* adversa *temeritatem*, temerarium ducem, *deprehendit*, præter opinionem, ac repente oppressit; vide ad IX, 23, n. 3. Strothius malebat delere τὸ *non*, vel *quam* ponere ante *deprehendit*. Priori conjecturæ favet Plut. Fab. pag. 181. A. ὡς τάχιον μὲν, ἢ ἐγὼ προσεδόκων, βράδιον δ' ἢ αὐτὸς ἔσπευδε Μινούκιος, ἑαυτὸν ἀπολώλεκε! Baueri nota est: « Vix commodo sensu dictum; et vero contra rem: sane enim, ne celeriter satis ac nimis subito illud fieret, timuisse videtur Fabius. Et quid sit tandem, *non celerius*, non *ante*, non prius quam credidisset Fabius? *Tardius* ergo ita eventurum crediderat? Immo celerius? Quid multa? Plane sano sensu destitui videntur verba ita posita; et aut frustra lusit Livius luxuriabundus, aut *non* delendum. Si sit *non tardius*, omnia constent. Si tamen *non celerius* manserit, ita conceperis: credideram, sat celeriter ita eventurum, ac miror, non prius factum, *ich sah immer, wenn es geschehen würde:* non celerius factum, quam timui; quippe semper, jam tum ab initio, metueram: non inopinanti affertur, sed dudum timenti. » — *Extorqueamus, c. er. civ.;* hunc locum imitatus est Val. Max. V, 11, 14. Ed.

2. *Cæsis aliis, aliis circumspectantibus fugam:* prius *aliis* abest a plerisque MSS, prob. Jac. Gronovio; vide ad III, 37, n. 6.

3. *Velut cælo demissa;* vid. ad VII, 12, n. 5. Confer Polyb. III, 105, et Sil. VII, 536-729, qui etiam Hannibalem a Fabio justa acie victum fingit: quod nemo historicorum tradidit. — *Integram aciem*, ut mox *integri exercitus;* vide ad IX, 41, n. 5.

versi in hostem, volventesque orbem[4], nunc sensim referre pedem, nunc conglobati restare. Ac jam prope una acies facta erat victi atque integri exercitus, inferebantque signa in hostem; quum Pœnus receptui cecinit, palam ferente Hannibale[5], ab se Minucium, se a Fabio victum. Ita per variam fortunam diei majore parte exacta, quum in castra reditum esset; Minucius, convocatis militibus, « Sæpe ego, inquit, au-« divi, milites, eum primum esse virum, qui ipse « consulat, quid in rem sit[6]; secundum eum, qui bene « monenti obediat : qui nec ipse consulere, nec alteri « parere sciat, eum extremi ingenii esse. Nobis quo-« niam prima animi ingeniique negata sors est, se-« cundam ac mediam teneamus : et, dum imperare « discimus, parere prudenti in animum inducamus. « Castra cum Fabio jungamus : ad prætorium ejus si-« gna quum tulerimus, ubi ego eum *parentem* appel-« lavero[7], quod beneficio ejus erga nos ac majestate « ejus dignum est; vos, milites, eos, quorum vos modo « arma dexteræque texerunt, *patronos* salutabitis, et, « si nihil aliud, gratorum certe nobis animorum glo-« riam dies hæc dederit. »

XXX. Signo dato, conclamatur inde, ut colligantur vasa[1] : profecti et agmine incedentes ad dictatoris castra in admirationem et ipsum, et omnes, qui circa erant, converterunt. Ut constituta sunt ante tribunal

4. *Volventesque orbem;* v. II, 50, n. 6. — *Nunc c. restare;* v. IV, 58, n. 5.

5. *Palam fer. H.;* v. IV, 45, n. 5.

6. *Eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit* (vide ad I, 27, n. 5); *secundum*, etc. Cf. Plutarch. Fab. pag. 181. Expressa pæne verba Hesiodi Ἔργ. 293 sq., ubi Cic. pro Cluent. 31, et aliorum imitationes laudant intpp. — *Eum extremi ingenii esse;* vid. ad librum III, cap. 62, n. 5.

7. *Ubi ego eum parentem appellavero*, etc. Cf. Plut. Fab. p. 181, et Sil. VII, 730 sq. Non nisi castra juncta tradit Polyb. III, 105. — Mox alterum *ejus* post *majestate* forsan ejiciendum; et deinde leg. *ut, si nihil aliud*, etc. Illud jam monuit Gronov., hoc Bauer.

Cap. XXX. 1. *Ut colligantur vasa;* vide ad I, 24, n. 7.

signa, progressus ante alios[2] magister equitum, quum *patrem* Fabium appellasset, circumfusosque militum ejus totum agmen *patronos* consalutasset, « Parenti-« bus, inquit, meis, dictator, quibus te modo nomine, « quo fando possum[3], æquavi, vitam tantum debeo : « tibi quum meam salutem, tum omnium horum. Ita-« que plebeiscitum, quo oneratus magis, quam hono-« ratus sum, primus antiquo abrogoque : et, quod tibi « mihique, quod exercitibusque his tuis[4], servato ac « conservatori sit felix, sub imperium auspiciumque « tuum redeo, et signa hæc legionesque restituo. Tu, « quæso, placatus me magisterium equitum[5], hos or-« dines suos quemque tenere jubeas. » Tum dextræ interjunctæ, militesque, concione dimissa, a notis ignotisque benigne atque hospitaliter invitati; lætusque dies ex admodum tristi paulo ante ac prope exsecrabili factus. Romæ, ut est perlata fama rei gestæ, dein literis non magis ipsorum imperatorum, quam vulgo militum ex utroque exercitu affirmata, pro se quisque Maximum laudibus ad cælum ferre. Par gloria apud

2. *Progressus ante alios;* vide ad IV, 10, n. 2. — *Circumfusos militum*, milites, ut *expediti militum* XXX, 9 pr. (ubi vide Drak.) *quingenti armatorum* XXXIII, 30, n. 5. — Comparat hic Rollinus Plut. cum Livio, quorum prior orationem Minucii acuminis plenam, alter gravem, et simplicitate commendabilem refert. Ed.

3. *Nomine, quo fando possum*, τιμιωτέραν οὐκ ἔχων προσηγορίαν, Plutarch. Fab. pag. 181. F. — *Quod fando* conjecerat Vossius, sed *quo* tuetur Walchius, Emend. p. 81, ubi multa congerit exempla, verbi causa, Liv. I, 291; IV, 39; Horat. Sat. I, 6, 15, et al. Ed. — *Plebeiscitum;* cf. c. 25, 26, et II, 33, n. 2. — *Antiquo abrogoque;* vid. IV, 58, n. 10, ubi de utroque vocabulo disseruimus. Ed.

4. *Quod exercitibus his tuis;* al. *meo exercitui tuoque.* Illud modestius et ambitiosius; Gronovius. Sed forte leg. *quodque exercitibus his suis;* Duker. Aut ex pluribus codd. *quod exercitibus*, vel *et quod exercitibus his tuis;* Drak. — *Sit felix;* v. ad I, 28, n. 1.

5. *Tu, quæso, placatus me magisterium*, etc. Vide ad III, 29, n. 1. — *Quam vulgo militum :* immo *vulgi;* Gronov. — *Maximum*, Fabium : qui inde *scutum populi*, ut Marcellus *gladius*, est dictus (vide Flor. II, 6, et Plutarch. Fab. pag. 185), et vere rem romanam cunctando restituisse creditus. (Vide Ennium apud Ciceron. de

Hannibalem hostesque Pœnos erat : ac tum demum sentire, cum Romanis atque in Italia bellum esse. Nam biennio ante adeo et duces romanos et milites spreverant, ut vix cum eadem gente bellum esse crederent, cujus terribilem eam famam a patribus accepissent. Hannibalem quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt, *tandem eam nubem, quæ sedere in jugis*[6] *montium solita sit, cum procella imbrem dedisse.*

XXXI. Dum hæc geruntur in Italia, Cn. Servilius Geminus[1] consul cum classe centum viginti navium, circumvectus Sardiniæ et Corsicæ oram, et obsidibus utrimque acceptis, in Africam transmisit; et priusquam in continentem exscensiones faceret, Meninge insula vastata, et ab incolentibus Cercinam, ne et ipsorum ureretur diripereturque ager, decem talentis argenti acceptis, ad litora Africæ accessit, copiasque exposuit. Inde ad populandum agrum ducti milites, navalesque socii[2] juxta effusi, ac si insulis cultorum egentibus

Sen. 4, et Virg. Æn. VI, 847.) Mox *gloria* est sextus casus.

6. *Tandem eam nubem, quæ sedere in jugis*, etc. Homero Il. V, 522 sq. hoc dictum deberi videtur; Gron. Ad verbum expressit Plutarch. Fab. pag. 181, C. « Quum in cacuminibus montium nubes consident, hiemabit : si cacumina pura fient, disserenabit. » Plin. XVIII, 35, seu 82. — Hos ingenii lusus Livio objicit vir inter Gallos celeberrimus, *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, c. 5, princ. : « Je m'imagine qu'Hannibal « disait très-peu de bons mots, et qu'il « en disait encore moins en faveur de « Fabius et de Marcellus contre lui-« même. J'ai du regret de voir Tite-« Live jeter ses fleurs sur ces énormes « colosses de l'antiquité : je voudrais « qu'il eût fait comme Homère, qui « néglige de les parer, et qui sait si « bien les faire mouvoir. » Ed.

Cap. XXXI. 1. *Cn. Servilius Geminus*, classi præfectus (vide cap. 11), *cum classe*, etc. Conf. Polyb. III, 96, ex quo etiam Lipsius adjecit numerum navium, qui in MSS desideratur. — *Meninx* et *Cercina*, hod. *Zerbi* et *Kerkine*, insulæ vicinæ, et Syrti min. adjacentes. Conf. ad Sil. III, 310, 318; Plin. V, 7, ibique Hard. *Menige* multi MSS, ut et Μήνιξ pro Μήνιγξ apud Polyb. I, 39, 2, et in cod. Coislin. ap. Ptol. IV, 3, 8, probb. Jac. Gron. et Drak. Conf. Casaub. ad Strab. l. II, p. 123; Jac. Gron. ad Mel. II, 7. Sed librarii haud dubie lineolam supra lit. *i* positam cum puncto confuderunt. Conf. Schweigh. ad Polyb. I, 45, 13.

2. *Navalesque socii* (vide ad IX, 38, n. 1), *juxta* (vid. ad V, 6, n. 3)

prædarentur. Itaque in insidias temere illati, quum a frequentibus palantes, ab locorum gnaris ignari circumvenirentur, cum multa cæde ac fœda fuga retro ad naves compulsi sunt. Ad mille hominum, cum his Sempronio Blæso quæstore[3], amissum : classis, a litoribus hostium plenis trepide soluta, in Siciliam cursum tenuit, traditaque Lilybæi T. Otacilio prætori, ut ab legato ejus P. Sura Romam reduceretur. Ipse[4], per Siciliam pedibus profectus, freto in Italiam trajecit, literis Q. Fabii accitus et ipse, et collega ejus M. Atilius, ut exercitus ab se, exacto jam prope semestri imperio[5], acciperent. Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt: Cœlius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit; sed et Cœlium[6] et cæteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, jus fuisse dicendi dictatoris : quam moram quia

*effusi* (idem quod mox *palantes;* vide ad I, 14, n. 7), *ac si* in *insulis cultorum*, incolarum, *egentibus*, desertis, *prædarentur.*

3. *Ad mille hominum, cum his Sempron. Blæso quæstore*, scilic. *amisso*, vel *existente* (illud intelligit Stroth., hoc Gron. et Drak.), *amissum :* sed potius del. *his;* Doujat. et Doer. Pro *his* forte leg. *Ti.* vel *Tib.* De hac clade nihil apud Polyb.

4. *Ipse* (Servilius consul) *per Siciliam pedibus profectus*, pedestri, seu, ut aiunt, terrestri itinere; Stroth. Confer XXVI, 19, n. 11. Sic et *pedibus ire*, per terram continentem, vel in ea, ut πεζεύειν apud Polyb. X, 48, n. 6; XVI, 29, n. 11, et contra *navibus ire* infra XXVIII, 17. Hinc *copiæ navales et pedestres*, hoc est, terrestres, peditatus et equitatus, XXVI, 51, n. 1, et XXXVII, 53, n. 7 (ubi vide Gron. et Drak.), quemadmodum apud Polyb. πεζοὶ, vel πεζικαὶ δυνάμεις, seu παρασκευαὶ, et τὰ πεζικὰ στρατόπεδα, a quibus non modo ἱππεῖς et τὰ ἱππικὰ στρατ. distinguuntur, sed etiam αἱ ναῦς, seu ναυτικαὶ παρασκ. et δυνάμεις I, 20; XXIX, 38; II, 2, n. 11; III, 95; πεζομαχία pugna terrestris, cui ναυμαχία opponitur apud Polyb. V, 69, n. 7. Confer Schweigh. ad Athen. XII, 19 extr., et Tzschuck. ad Nep. Ages. II, 1. — *Ipse* auctoritatis et reverentiæ vim habet, diciturque de eo, de quo potissimum sermo est. Confer ad Juvenal. I, 62; V, 30. — Mox *exercitus*, scilicet Fabianum et Minucianum. Confer cap. 32 pr.

5. *Exacto jam prope semestri imperio;* vide ad III, 29, n. 5.

6. *Sed et Cœlium* (vide ad XXI, 38, n. 8) *et cæteros fugit, uni consuli... jus fuisse dicendi dictatoris... ut a po-*

exspectare territa jam clade civitas non poterat, eo decursum esse, ut a populo crearetur, qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriamque insignem ducis, et augentes titulum imaginis posteros[7], ut, qui pro dictatore, dictator diceretur, facile obtinuisse.

XXXII. Consules, Atilius [1] Fabiano, Geminus Servilius Minuciano exercitu accepto, hibernaculis mature communitis (extremum auctumni erat), Fabii artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt. Frumentatum exeunti Hannibali diversis locis opportuni aderant, carpentes agmen [2], palatosque excipientes. In casum universæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non veniebant: adeoque inopia est coactus Hannibal, ut, nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit, nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si insequentes consules eisdem artibus bellum gererent. Quum ad Geronium jam hieme impediente constitisset bellum, Neapolitani legati Romam venere: ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ, atque

*pulo crearetur, qui pro dictatore esset;* conf. ad cap. 8, n. 5, et ad X, 29, n. 2.

7. *Augentes titulum imaginis posteros* (vide ad IV, 16, n. 4, et confer VIII, 40 extr.) *facile obtinuisse* (vide ad II, 44, n. 4), *ut, qui pro dictatore* (confer ad X, 29, n. 2), scilicet *esset* (ut paulo ante dixit Livius, qui verbum substant. sæpe omittit), *dictator diceretur;* nisi malis *crederetur,* quod in multis MSS legitur. *Ut dictator pro dictatore*, vel *prodictatore diceretur* edd. ante Drak. sed *qui* in omnibus fere MSS exstat. *Ut prodictatore* (nomin. casu) vel *pro prodictatore dictator crederetur* conj. Gron.

Cap. XXXII. 1. *Consules M. Atilius Regulus* (vide cap. 25) et *Geminus Servilius;* vide XXI, 57, et ad III, 1, n. 1. — Polybius parum accurate hanc magistratuum successionem tradit III, 106, ubi confer Schweigh. De *Fabiano* et *Minuciano exercitu,* vide cap. 27 extr. Pro *extrémum* (scilicet tempus) in plerisque MSS *tum:* unde *medium* conj. Gron. *Tum enim auctumni erat tempus* edd. ante Drak.

2. *Carpentes agmen;* vide ad III, 5, n. 1. — *In casum universæ dimicationis non veniebant;* vid. ad I, 38, n. 2. — *Adeoque inopia est coactus:* forte leg. *adque id inopiæ est redactus.* Drak. conj. *ad idque inopiæ est coactus*, Scheller in Lex. *adeoque ad inopiam est c.*, Schæf. *adeoque inopiæ,* et Burm. ad Luc. VII, 406, *eoque inopiæ.*

ita verba facta, ut dicerent : *Scire sese, romani populi ærarium bello exhauriri: et, quum juxta*[3] *pro urbibus agrisque sociorum, ac pro capite atque arce Italiæ, urbe romana atque imperio geratur, æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi quum ad templorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ*[4] *a majoribus relictum foret; eo juvare populum romanum. Si quam opem in sese crederent*[5], *eodem studio fuisse oblaturos. Gratum sibi patres romanos populumque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent; dignosque judicaverint, ab quibus donum, animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re, majus ampliusque, acciperent.* Legatis gratiæ actæ pro munificentia curaque; patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta.

XXXIII. Per eosdem dies speculator carthaginiensis, qui per biennium fefellerat, Romæ deprehensus, præcisisque manibus dimissus : et servi quinque et viginti in crucem acti, quod in campo Martio conjurassent[1]. Indici data libertas, et æris gravis viginti millia. Legati et ad Philippum, Macedonum regem missi, ad

3. *Ad Geronium... constitisset bellum;* vide ad XXI, 49, n. 1, et XXII, 18, n. 5. — *Et, quum juxta pro urbibus* (vide ad V, 6, n. 3), *ac pro capite atque arce Italiæ, urbe rom.* (vide ad I, 55, n. 6) *geratur,* scilicet bellum; nisi potius cum Gron. pro *et quum* leg. *id quum*, vel *cernatur* (vide ad XXI, 41, n. 2) pro *geratur.*

4. *Ad subsidium fortunæ,* quo, tanquam præsidio, in adversa fortuna uti possent. Confer ad II, 20, n. 2.

5. *Si quam opem in sese* esse *crederent,* scilicet armorum. Sed potius *aliam* ante *opem* excidit; Duker. Mox diversa junguntur tempora *duxissent* et *judicaverint*. Conf. ad cap. 33, n. 2.

Cap. XXXIII. 1. *Quod in campo Martio conjurassent,* haud dubie contra rempublicam: sed quod eos *in campo Martio* conjurasse dicit, non magis ad notitiam historiæ aut augendam atrocitatem facinoris facere videtur, quam si in foro, circo, vel alio loco conjurassent; Duk. — *Æris gravis* 20 *millia;* confer ad cap. 10, n. 8. — Is est apud Crev. numerandi modus : sub hæc tempora, assibus uncialibus factis, mutata est æris ad argentum ratio, ita ut jam non bini asses cum semisse in sestertium, deni in denarium, sed quaterni in sestertium, senideni in denarium contribuerentur. Testis est Plin. XXXIII, 3. *Æris gravis viginti millia* sunt denarii 2000; marcæ argenti parisienses 31, cum dua-

deposcendum Demetrium Pharium[2], qui, bello victus, ad eum fugisset; et alii in Ligures ad expostulandum, quod Pœnum opibus auxiliisque suis juvissent; simul ad visendum ex propinquo, quæ in Boiis atque Insubribus gererentur. Ad Pineum quoque regem in Illyrios legati missi ad stipendium, cujus dies[3] exierat, poscendum[4]; aut, si diem proferre vellet, obsides ac-

bus unciis. Ablegat quoque ad Appendicem de ære gravi, in sui operis t. I.

2. *Ad deposcendum Demetrium Pharium*, ducem Teutæ, Illyrici reginæ, et Corcyræ præfectum, qui ab ea ad Romanos desciverat, sed, post pacem cum Teuta factam, ad his defecerat, et in *bello* Illyrico, ejus causa renovato, *victus* a L. Æmilio Paulo consule ad *Philippum, Macedonum regem, fugerat.* Conf. not. 3; Polyb. II, 10, 11, 65, 66; III, 16, 18, 19; IV, 16, 19, 37, 66; V, 12, 101, 105, 108; VII, 9-14; IX, 23, 32, n. 19; Appian. B. Illyr. VII, 8; Zonar. VIII, 20. *Philippus*, Demetrii filius, Antigoni Gonatæ nepos, Persei pater.

3. *Stip., c. d. ex.*; v. IX, 34, n. 8.

4. *Ad Pineum quoque, regem Illyriorum, legati missi ad stipendium poscendum:* nam Teuta, noverca ejus, et Agroni nupta, quo mortuo acceperat tutelam filii regnique administrationem, pacem cum Romanis fecerat his conditionibus, ut tributa quotannis penderet, maxima Illyrici parte cederet, et cum duobus tantum lembis, iisque inermibus, navigaret ultra Lissum; vide Polyb. II, 4 et 12. *Pineus* (al. Pinneus et Pinnes) filius Agronis, et nepos Pleurati (vide Polyb. II, 4, et Appian. Ill. VII, 8), cui *Scerdilædus* successisse videtur. De hoc et reliquis Illyrici regibus, quorum Livius mentionem facit, Schweigh. ad Polyb. II, 5, hæc notavit: « *Scerdilædus*, vel potius Scerdilaidas, frater Agronis, rex memoratur Liv. XXVI, 24; XXVIII, 5; Polyb. X, 41. Sed prius, quam ad regnum pervenit, postquam Teuta (Pinei noverca et tutrix) regno se abdicavit, et Demetrius Pharius Pinei tutelam suscepit (vide Zonar. VIII, 19, et Dio Cass. Fragm. Vales. 46, pag. 21, ed. Reim. coll. fragm. Ursin. 151, pag. 63, 64), videtur in consortium regni venisse, aut certe parti Illyrici cum absoluto pæne imperio fuisse præfectus: quo tempore cum Demetrio Phario junxit classem, et cum Philippo fœdus fecit; vide Polyb. IV, 16, n. 29; V, 3. Deinde a Philippo defecit, et bello petitus est (Polyb. V, 95, 101, 108): quo bello Romani Scerdilædo faverunt (Polyb. V, 110), nec tamen, ob belli punici molem, tueri firmiter Illyricum a Philippi invasione potuerunt, qui Scerdilædo Ardiæos, Romanis *Atintaniam*, in Illyrico ab iis expugnatam (v. Polyb. II, 5, n. 11, et VII, 9) eripuit; v. Liv. XXVII, 30. Hinc anno 542 fœdere Romanorum cum Ætolis contra Philippum comprehensus est. Liv. XXVI, 24. Filium Scerdilædus habuit *Pleuratum*, avo cognominem, Liv. XXXI, 28 qui per aliquod tempus simul cum patre regnavit, et Thraciæ etiam parti alicui præfuisse videtur, Liv. XXVI, 24; XXVII, 30; XXVIII, 5; XXIX, 12; Polyb. X, 41. Pleurati filius *Gentius* vel *Genthius* fuit (Liv. XLIV, 30, et Polyb. XXXII, 18,

cipiendos. Adeo, etsi bellum ingens in cervicibus[5] erat, nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat. In religionem etiam venit, ædem Concordiæ[6], quam per seditionem militarem biennio ante L. Manlius prætor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus non esse. Itaque duumviri ad eam rem creati a M. Æmilio prætore urbis, Cn. Pupius et K. Quintius Flamininus, ædem in arce[7] faciendam locaverunt. Ab eodem prætore ex senatusconsulto literæ ad consules missæ, ut, si iis videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret: se in eam diem, quam jussissent, comitia edicturum. Ad hæc a consulibus rescriptum, *Sine detrimento reipublicæ abscedi non posse ab hoste. Itaque per interregem comitia habenda esse potius, quam consulum alter a bello avocaretur.* Patribus rectius visum est, dictatorem a consule dici[8] comitiorum habendorum causa. Dictus L. Veturius Philo, M'. Pomponium Mathonem magistrum equitum dixit. His vitio creatis[9], jussisque die quarto decimo se magistratu abdicare, ad interregnum res rediit.

qui constanter Γένθιος dicitur, ut et Appiano Maced. 16, et Illyr. 9, mendose autem Γενδίων et Γέντιος Athen. X, 54, et XIV, 4), qui victus captusque ab Anicio cum duobus filiis, *Scerdilædo* et *Pleurato*, Romam in triumphum abductus est Liv. XLIV, 32; XLV, 43.» De Gentii genere, uxore, filiis et fratribus v. inf. XLIV, 30 et 32.

5. *Bellum ingens in cervicibus erat;* vide ad III, 31, n. 1. — *Nullius rei cura, ne longinqua quidem*, rei procul remotæ; sed ita forte leg. *longinquæ;* Ernest. — *In religionem etiam venit;* vide ad II, 5, n. 4.

6. *Ædem Concordiæ* (vide ad IX, 46, n. 12), *quam per seditionem militarem*, ejus tempore, vel propter eam (vide ad II, 18, n. 1, et V, 12, n. 6), *biennio ante L. Manlius vovisset:* qui tamen anno potius superiore *prætor in Gallia* fuerat. Conf. XXI, 17, 25. Forte leg. *anno ante.....locatam* sq. Vide ad librum V, cap. 23, n. 6. — *Prætore urbis;* vide ad librum XXV, cap, 1, n. 7.

7. *Ædem in aree faciendam;* vide ad I, 55, n. 6.

8. *Dictatorem a consule* altero *diei;* nisi potius leg. *a consulibus*, scilicet rem inter se comparantibus.

9. *His vitio creatis;* vid. ad librum V, cap. 17, n. 4.

XXXIV. Consulibus prorogatum in annum imperium. Interreges proditi a patribus C. Claudius, Ap. filius, Centho, inde P. Cornelius Asina. In ejus interregno comitia habita magno certamine Patrum ac plebis. C. Terentio Varroni, quem sui generis hominem, plebei insectatione principum, popularibusque artibus conciliatum, ab Q. Fabii opibus et dictatorio imperio concussis[1] aliena invidia splendentem, vulgus et extrahere ad consulatum nitebatur, patres summa ope obstabant, ne se insectando sibi æquari assuescerent homines. Q. Bæbius Herennius[2], tribunus plebis, cognatus C. Terentii, criminando non senatum modo, sed etiam augures, quod dictatorem prohibuissent comitia perficere, per invidiam eorum favorem candidato suo conciliabat. *Ab hominibus nobilibus, per multos annos bellum quærentibus*[3], *Hannibalem in Italiam adductum : ab iisdem, quum debellari possit, fraude id bellum trahi. Cum quatuor militum legionibus universis pugnari posse apparuisse eo, quod M. Minucius, absente Fabio, prospere pugnasset; duas legiones hosti ad cædem objectas, deinde ex ipsa cæde ereptas, ut* pater patronusque *appellaretur*[4], *qui prius vincere*

Cap. XXXIV. 1. *Ab Q. Fabii opibus.....concussis,* imminutis (confer XXVIII, 44; XXXI, 7; XXXIII, 19, n. 1, ubi cf. Drak., Duk. ad Flor. II, 15, n. 12; Heins. ad Vellei. II, 2), h. e. post imminutionem potentiæ ejus (vide ad I, 1, n. 5), *aliena,* Fabii, *invidia,* quam ei potissimum fecerat concionibus suis, *splendentem,* eminentem, vigentem. Verba h. l. ita junge : *Patres summa ope obstabant C. Terentio Varroni, quem sui generis hominem...vulgus et* (h. e. etiam, quod hinc editores ante Drakenborch. substituere) : *extrahere* (vide ad V, 12, n. 11) *ad consulatum nitebatur.*

2. *Q. Bæbius Herennius,* forte pater Q. Bæbii XXXI, 6 : saltem Herennius non modo nomen est, sed et cognomen Bæbiorum et Octaviorum; Gron. *Vibus Terentius* conj. Sigon. et Pigh., quia *cognatus C. Terentii* fuerit.

3. *Bellum quærentibus,* h. e. causam belli. Conf. ad I, 14, n. 5. Mox *militum legionibus,* ut cap. 37 extr. *navium classem;* Doer.

4. *Ut pater patronusque appellaretur* Fabius; conf. c. 29, 36. Fabiani consilii causam maligne comminiscitur tribunus.

*prohibuisset Romanos, quam vinci. Consules deinde Fabianis artibus, quum debellare possent, bellum traxisse. Id fœdus inter omnes nobiles ictum : nec finem ante belli habituros, quam consulem vere plebeium, id est, hominem novum*[5], *fecissent. Nam plebeios nobiles jam eisdem initiatos esse sacris, et contemnere plebem, ex quo contemni desierint*[6] *a patribus, cœpisse. Cui non id apparere*[7], *id actum et quæsitum esse, ut interregnum iniretur, ut in patrum potestate comitia essent? Id consules ambos ad exercitum morando quæsisse : id postea, quia invitis iis dictator esset dictus comitiorum causa, expugnatum esse, ut vitiosus dictator per augures fieret*[8]. *Habere igitur interregnum eos : consulatum, unum certe, plebis romanæ esse: populum liberum habiturum, ac daturum ei, qui magis vere vincere, quam diu imperare, malit.*

XXXV. Quum his orationibus accensa plebs esset, tribus patriciis petentibus[1], P. Cornelio Merenda, L.

5. *Hominem novum;* vide ad I, 34, n. 8. — *Plebeios nobiles,* quorum majores gesto magistratu curuli in senatum pervenissent; Strothius. — *Jam eisdem initiatos esse sacris,* h. e. iisdem fraudibus artibusque clandestinis imbutos: quod venuste transfertur ab iis, qui ad mysteria, seu *initia* (vide ad XXXI, 14, n. 3; XXXI, 47, n. 4; XXXIX, 8, n. 4), aliave sacra arcana admittuntur : unde et *Bacchis,* h. e. Baccharum bacchantiumque conventibus *aliquem initiare* XXXIX, 9, ubi conjicerem *Bacchiis,* seu *Bacchicis,* scil. sacris, nisi *Bacchis* legeretur etiam ibid. cap. 10, 13, 14.

6. *Ex quo contemni desierint a patribus;* conf. ad IV, 35, n. 4.

7. *Cui non id apparere, id,* etc. Prius *id* forte delendum, et abest ab uno Hearnii codice. — *Ut in patrum potestate comitia essent:* nam interreges non erant nisi patricii; Gronov. Conf. VI, 41.

8. *Ut vitiosus dictator per augures fieret;* vide ad V, 17, n. 4. — *Consulatum, unum certe, plebis rom. esse;* vide ad III, 62, n. 5, et VI, 35, n. 4. — *Populum liberum habiturum,* scil. consulatum, eum in arbitrio et potestate populi fore (conf. Gronovium), *ac daturum* pro arbitrio ei, *qui magis.....malit;* vide ad IX, 7, n. 4. Gron. ante *populum* inserere malebat *et;* sed Strothius delere τὸ *esse;* vel cum Pal. sec. legere *consulatum unum certe plebis romanæ etiam populum,* etc., quod sic melius sibi invicem respondeant membra.

Cap. XXXV. 1. *Tribus patriciis petentibus* consulatum, et *duobus nobilibus jam,* qui jam nobiles erant, quod

Manlio Vulsone, M. Æmilio Lepido, duobus nobilibus jam, familiarum plebei, C. Atilio Serrano et Q. Ælio Pæto, quorum alter pontifex, alter augur erat, C. Terentius consul unus creatur, ut in manu ejus[2] essent comitia rogando collegæ. Tum experta nobilitas, parum fuisse virium in competitoribus, L. Æmilium Paulum, qui cum M. Livio consul fuerat[3], et damnatione collegæ et sua prope ambustus evaserat, infestum plebei[4], diu ac multum recusantem, ad petitionem compellit. Is proximo comitiali die, concedentibus om-

vel ipsi vel majores eorum magistratus curules gesserant (non quia *alter pontifex, alter augur erat*, quæ sacerdotia etiam plebeia fuisse, patet ex X, 6, n. 9), sed *familiarum plebei*, seu plebis, scilicet existentibus vel hominibus, hoc est, de plebe, vel plebeiis. Confer ad II, 33, n. 2; III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5.

2. *Ut in manu ejus essent* (vide ad V, 20, n. 1) *comitia rogando collegæ;* vide ad III, 35, n. 1, et VII, 24, n. 6.

3. *L. Æmilium Paulum, qui cum M. Livio* Salinatore *consul fuerat* an. Urbis 533, et universo Illyrico subacto triumphaverat. Confer ad cap. 33, n. 2, et Polyb. III, 16-19. Eidem bello affuisse Livium, refert Zonaras, eumque ex invidia peculatus reum, vel ob prædam non æqualiter divisam militibus, *damnatum* fuisse, Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 50, et Frontin. Strat. IV, 1, n. 45. Cf. infra XXVII, 34; XXIX, 37, Sil. XV, 594 seq.; Pigh. Ann. ad ann. 534. Ex XXIX, 37, et Val. Max. IV, 2, n. 2, intelligitur, eum Neronis odio ardentem in exsilium profectum, esse testimonio ejus præcipue afflictum: de quibus acerbis inter M. Livium et C. Claudium Neronem (qui postea simul consules censoresque fuere) inimicitiis, confer XXVII, 34, 35, et XXIX, 37. — *Damnatione collegæ et sua* damnatione *prope ambustus evaserat*, capitis reus damnationem vix effugerat, magnamque abstulerat turpitudinem, ut cap. 40 pr. *se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse.* (Post *prope* ponenda est distinctio, ut dicat Livius, parum affuisse, quin Æmilius quoque una cum collega damnaretur; Duk. Sed *prope ambustus* dicitur, ut *semiustus* cap. 40.) Confer et cap. 49, n. 6. Idem e Livio tradit Sil. VIII, 289 seq. non vero, quod sciam, quisquam historicorum. Metaphora ab eo, qui igne vel fulmine corripitur, ducta; Gebh. Sic et *amburi*, et *incendio alicujus aduri* dixit Cic. Mil. 5, Har. R. 5, et ad Att. V, 20. Nos: *er war mit einem blauen Auge davon gekommen;* Stroth. Similiter infra XXXIX, 6, n. 6, *incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus erat, conflagrare*, ob eamdem invidiam et suspicionem damnari. Confer ad XXIV, 26, n. 3; XL, 15, n. 5; Gron. Diatr. in Stat. c. 33. — Gebhardus optime notat huc pertinere festivam narrationem Strabonis, l. XIV, de Athenodoro, a quo civitate ejectus fuit Boëthus cum suis. Ed.

4. *Infestum plebei*, plebi, *diu... compellit*, eadem de Livio traduntur

nibus, qui cum Varrone certaverant, par magis in adversandum, quam collega, datur consuli. Inde prætoria comitia habita : creati M'. Pomponius Matho et P. Furius Philus. Romæ juri dicundo urbana[5] sors Pomponio, inter cives romanos et peregrinos P. Furio Philo evenit. Additi duo prætores, M. Claudius Marcellus in Siciliam, L. Postumius Albinus in Galliam. Omnes absentes creati sunt[6]; nec cuiquam eorum, præter Terentium consulem, mandatus honos, quem jam non antea gessisset, præteritis aliquot fortibus ac strenuis viris; quia in tali tempore nulli novus magistratus[7] videbatur mandandus.

XXXVI. Exercitus quoque multiplicati sunt : quantæ autem peditum equitumque additæ sint copiæ, adeo et numero et genere copiarum variant auctores, ut vix quidquam satis certum[1] affirmare ausim.

XXVII, 34. — *Par magis in adversandum*, magis talis, qui sufficiat ad adversandum Varroni, *quam* qui *collega* cum eo communiter rem gerat; Stroth. Confer ad VII, 33, n. 1.

5. *Romæ juri dicundo urbana sors*, provincia, hoc est, prætura sorte *Pomponio evenit*. Sic et XXIV, 44, n. 1; *peregrina sors*, XXIII, 30, n. 12; *urbanam et peregrinam sortem in jurisdictione habere*, sorte accipere præturam et jurisdictionem, et 25, 3 pr. *sortiri provinciam urbanam et peregrinam, quæ duorum ante sors fuerat*. Confer ad III, 2, n. 1; X, 26, n. 4; XXX, 40, n. 4. In MSS *juri d.*; in edd. antt. *juris dicundi*; et Gron. malebat *jure dicundo*, ut XLII, 28, et apud Suet. Cæs. 7 pr. Sed his quoque locis *juri* potius legendum crediderim. Confer ad III, 35, n. 1. — *Inter cives Romanos et peregrinos*; vox *Romanos* a quibusdam libris abest, prob. Pigh. et Ern. — Hic non videtur supervacaneum, illa addere, quæ notavit Creverius, unum scilicet primo fuisse prætorem, juris dicendi causa, mox et alium ob confluentem peregrinorum multitudinem creatum : partita fuit inter ambos jurisdictio, ita ut alter res *urbanas*, alter *peregrinas* curaret. Urbani prætoris major erat dignitas, quippe qui absentibus consulibus senatum haberet, et cons. munia obiret. Duos prætores primum Romæ creatos statuunt Pighius et Freinsh. anno ultimo primi punici belli. Post aliquot annos adjecti sunt duo prætores, qui novas provincias populi romani, Siciliam ac Sardiniam, regerent. Vid. Pomponium de Orig. juris. Ed.

6. *Omnes absentes creati sunt*; vide ad IV, 42, n. 1.

7. *Novus magistratus*, nondum ab eo gestus.

Cap. XXXVI, 1. *Vix quidquam satis certum*, forte *certi* : et paulo ante del. *copiarum*. Cf. tamen ad I, 3, n. 8.

Decem millia novorum militum alii scripta in supplementum ; alii novas quatuor legiones [2], ut octo legionibus rem gererent : numero quoque peditum equitumque legiones auctas [3], millibus peditum et centenis equitibus in singulas adjectis ; ut quina millia peditum, treceni equites essent ; socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent [4]. Septem et octoginta millia armatorum, et ducentos in castris romanis, quum pugnatum ad Cannas est, quidam auctores sunt [5]. Illud haudquaquam [6] discrepat,

2. *Alii novas quatuor legiones* scriptas, scilicet *auctores sunt*, quod mox sequitur. Confer cap. 27 extr. ; Polyb. III, 107, et ad hæc et seqq. Matthiæ im Magazin für Philologen, herausgegeben von Ruperti und Schlichthorst. Bremen 1796, tom. I, pag. 71-82.

3. *Numero quoque peditum equitumque legiones auctas ... trecenti equites essent ;* vide ad VIII, 8, n. 10. Pro *centenis ... millibus peditum* (vide ad XXIX, 15, n. 5) *et centenis ;* forte leg. *centum* ob. voc. *singulas.* — Notat Crev. nihil opus fuisse adjectione centenorum equitum in singulas legiones, ut treceni essent : nam hic solennis est numerus, et notaverat antea ad XXI, 17. Nisi quis credat in ipso ardore belli, et periculo augescente, imminutum esse superiore anno copiarum numerum; quod sane non est verisimile. Tamen hoc loco Polybium intueri videtur Livius : necesse est igitur ut ambo aut erraverint, aut male tractati fuerint a librariis. Ed.

4. *Socii duplicem numerum equitum darent, pedites æquarent,* æquum, seu parem numerum peditum conficerent ac darent. Confer VIII, 8, n. 11, et Lips. Mil. Rom. II, 7. Sed τῶν ἱππέων πλῆθος ὡς ἐπίπαν (ut plurimum) τριπλάσιον datum dicit Polyb. III, 107; VI, 26 et 30, ad quæ loca vide Schweigh. qui non διπλάσιον in omnibus illis legendum putat, sed *duplicem* potius *numerum equitum* ad singulares refert casus. Neque eumdem semper numerum aut peditum, aut equitum fuisse sociorum, docent Lips. loco laud., et Duk. et Drak. infra ad XXXVIII, 35, n. 9, et XL, 36, n. 6. Confer Ind. voc. *Socii.* Enim vero *triplicem numerum equitum* h. l. omnino legendum esse putat Matthiæ loco laudato; *pediti æquarent,* scilicet numerum, MSS Cantabr. et Put. prob. Jac. Gron. *Peditum* conj. Salmas.

5. *Quidam auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1. De numero ipso vide cap. 49, 50; Polyb. III, 113, 117; Plut. Fab. pag. 182 B. *Ad Cannas, fuisse auctores sunt* ingeniose, quidquid contra dicat Matthiæ loco laudato, conj. Perizon. ut omnia pendeant a verbis *alii novas quatuor legiones,* etc. neque tres, sed duæ tantum diversæ historicorum sententiæ exponantur : nam octies 5,000 efficiunt 40,000, et, adjecto altero tanto sociorum, 80,000 peditum; deinde treceni equites per octo legiones sunt 2,400, et, si his addideris bis tantum sociorum, erunt 7,200.

6. *Illud haudquaquam discrepat;* vide ad IX, 16, n. 1.

majore conatu atque impetu rem actam, quam prioribus annis, quia spem, posse vinci hostem, dictator præbuerat. Cæterum, priusquam signa ab urbe novæ legiones moverent, decemviri libros adire atque inspicere jussi [7] propter territos vulgo homines novis prodigiis: nam, et Romæ in Aventino, et Ariciæ, nuntiatum erat, sub idem tempus lapidibus pluisse [8]: et multo cruore signa in Sabinis Cereris, aquas e fonte calidas manasse [9]. Id quidem etiam, quod sæpius acciderat [10], magis terrebat: et in via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cælo tacti exanimatique fuerant: ea prodigia ex libris procurata [11]. Le-

7. *Decemviri libros adire, a. i. jussi;* vide ad III, 10, n. 6.

8. *Lapidibus pluisse,* etc.; vide ad I, n. 1.

9. *Multo cruore signa in Sabinis... manasse,* ut XXIII, 31 extr. et XXVII, 4. Confer ad I, 31, n. 1; XXII, 1, n. 11 et 17. Pro vulg. *in Sabinis cædis, aquas e fonte calidas manasse,* Stroth. dedit: *Cæretes aquas e fonte c. m.* e conj. J. Fr. Gron. coll. XXII, 1, n. 14. *Cæretes aquas sanguine mixtas fluxisse.* Sed aquæ Cæretanæ natura fuere *calidæ* (vide Strab. V, 2, 3, pag. 220), et *calidæ* vix dici possunt pro sanguine mixtis. Nos recepimus emendat. Jac. Gron., qui docet, in fertilissima Sabinorum regione nullos deos magis Cerere Bacchoque cultos (conf. XLI, 28, et Strab. V, 3, n. 1, pag. 228), multasque aquas frigidas fuisse, verbi causa Blandusiæ (vide Intpp. Hor. Od. III, 13, n. 1 seq. 9 seq.), ad Cutilias, seu Cotilias (vide Strab. V, 3, n. 1; Suet. Vesp. 24; Vitruv. VIII, 3), Albulas et Labanas; vide Strab. V, 3, n. 11, pag. 238. *Cærites aquas e fonte cruentas m.* conj. Crev. *in Sabinis Cereris, aquas VII* (nam in plerisque MSS est *aquasque*) *e fonte calidas,* vel *et fontes calidos m.* Drak. Confer de lacu septem aquis in Sabinis Cluver. Ital. ant. II, 9, pag. 682); *et multo cruore signa in Sabinis sudasse, aquasque e fonte candidas* (hoc est, lactei coloris) *manasse* Wakef. ad Lucret. V, 1128, non male, nec sine auctoritate MSS.

10. *Id quidem etiam, quod sæpius acciderat,* prodigia modo memorata, etiam illud de aquis Cæritibus, cujus forsan sæpius mentionem fecit Livius in libris deperditis. — *Magis terrebat,* scilicet quod semper illud tristes casus sequuti erant; Stroth. *et* (*id quidem... terrebat*) *in via,* etc. conj. Perizon. coll. 35, 21. Sed vide Duker. — *In via fornicata,* concamerata, *quæ ad campum* Martium *erat,* eo ex Urbe ferebat; vide Nardin. Rom. vet. VI, 10. *Fornix* est vel concameratio, vel arcus (ut XXXVI, 23; XL, 51; XLIV, 11), inpr. triumphalis, qui sæpe *signis,* vel statuis impositis ornatus erat, quale genus in multis occurrit numis. Conf. XXXVII, 3, n. 4, et Cic. Verr. II, 63.

11. *Ea prodigia ex libris procurata;* vide ad I, 20, n. 11, et III, 10, n. 6.

gati a Pæsto pateras aureas Romam attulerunt : iis, sicut Neapolitanis [12], gratiæ actæ; aurum non acceptum.

XXXVII. Per eosdem dies ab Hierone classis Ostiam cum magno commeatu accessit [1]. Legati syracusani in senatum introducti nuntiarunt : *Cædem C. Flaminii consulis exercitusque allatam adeo ægre tulisse regem Hieronem, ut nulla sua propria regnique sui clade moveri magis potuerit. Itaque, quanquam probe sciat, magnitudinem populi romani admirabiliorem prope adversis rebus, quam secundis esse; tamen se omnia, quibus a bonis fidelibusque sociis bella juvari soleant, misisse : quæ ne accipere abnuant, magno opere se patres conscriptos orare. Jam omnium primum ominis causa Victoriam auream pondo trecentum viginti afferre sese : acciperent eam tenerentque, et haberent propriam et perpetuam. Advexisse etiam trecenta millia modium tritici, ducenta hordei, ne commeatus deessent : et, quantum præterea opus esset, quo jussissent, subvecturos. Milite atque equite scire, nisi romano latinique nominis* [2], *non uti populum romanum : levium armorum auxilia* [3] *etiam externa vidisse in castris romanis. Itaque misisse mille sagittariorum ac fundito-*

— *Legati a Pæsto;* v. ad lib. X, cap. 14, n. 2.

12. *Sicut Neapolitanis;* v. cap. 32.

Cap. XXXVII. 1. *Ab Hierone classis Ostiam accessit;* vide ad XXVII, 5, n. 4. — *Magnitudinem populi romani*, etc.; vide ad XXVII, 14, n. 1. — *Victoriam auream pondo trecentum* 20; vide ad XXX, 21, n. 1. — *Trecenta millia modium.* Si Creverium sequimur, hæc ita capiemus : modius romanus minor erat nostro, et ejus dodrantem paulo plus continebat. Trecenta igitur millia modium romanorum æquiparantur modiis nostratibus 231,250; et ducenta millia nostratibus circiter 154,166. Ed.

2. *Milite atque equite nisi romano latinique nominis*, etc.; vide ad I, 10, n. 2, et XXI, 55, n. 6. *Milites* autem sæpe dicuntur *pedites*, et equitibus opponuntur (v. cap. XXVI, 29; XXVII, 38, n. 5; XXVIII, 1; XXXV, 23), ut ὁπλῖτες; ἱππεῦσιν, et *exercitus* equitatui XXX, 36; XL, 52, atque classi XXVI, 42. Confer Gron. ad XXVIII, 1; Græv. ad Justin. XIII, 3, et Cic. ad Div. X, 10; Intpp. Vellei. II, 15, et Front. II, 5, n. 37.

3. *Levium armorum auxilia* pro

*rum, aptam manum adversus Baliares ac Mauros, pugnacesque alias missili telo gentes.* Ad ea dona consilium quoque addebant, *Ut prætor, cui provincia Sicilia evenisset, classem in Africam trajiceret; ut et hostes in terra sua bellum haberent, minusque laxamenti daretur*[4] *iis ad auxilia Hannibali submittenda.* Ab senatu ita responsum regi est: *Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse, atque uno*[5] *tenore, ex quo in amicitiam populi romani venerit, fidem coluisse, ac rem romanam omni tempore ac loco munifice adjuvisse: id, perinde ac deberet, gratum populo romano esse. Aurum et a civitatibus quibusdam allatum*[6]*, gratia rei accepta, non accepisse populum romanum. Victoriam omenque accipere; sedemque ei se Divæ dare, dicare Capitolium, templum Jovis Optimi Maximi. In ea arce urbis romanæ sacratam, volentem propitiamque*[7]*, firmam ac stabilem fore populo romano.* Funditores, sagittariique, et frumentum traditum consulibus. Quinqueremes ad navium[8] classem, quæ cum T. Otacilio proprætore in Sicilia erant, quin-

vulg. *l. armatorum a.* ex emend. Gron. reposui h. l. et XLIII, 18, n. 2. Latinitas id postulat, idemque firmatur auctoritate edit. pr. XLII, 65, n. 5, et librorum MSS infra cap. 45 extr. XXV, 34, n. 4, et XXVII, 18, n. 3. Sic contra XLIV, 4, dicitur: *qui gravium armorum erant.* Possis et legere *levis armaturæ auxilia.* Sed illud doctius est, et facilius ita ab indoctis hominibus corrumpi potuit. De auxiliis externis levium armorum in exercitu Rom. vide Schel. ad Hygin. pag. 1037. — *Mille sagittariorum;* confer Sil. VIII, 613, ex quo suadente Ruben. Elect. II, 15, conjicere possis *ter mille,* vel potius *tria millia,* nisi Silius licentia poetica numerum auxisse censeri debet; Drak. — Nostri ferunt *mille,* omissa voce *ter.* Ed.

4. *Minusque laxamenti daretur;* confer ad II, 24, n. 4.

5. *Uno tenore;* vide ad librum V, cap. 5, n. 5.

6. *Aurum et* (etiam) *a civitatibus quibusdam*, etc.; vide cap. 32 et 36. — *Gratiam rei accipere,* voluntate benigna acquiescere, eamque gratam habere, aut laudibus gratove animo prosequi.

7. *Volentem propitiamque;* vide ad I, 16, n. 4.

8. *Ad navium classem;* vide ad cap. 34, n. 3. *Navium* numerum excidisse putat Gron. — *E rep.;* vide ad VI, 22, n. 2.

que et viginti additæ, permissumque est, ut, si e re publica censeret esse, in Africam trajiceret.

XXXVIII. Delectu perfecto, consules paucos morati dies, dum socii ab nomine latino[1] venirent. Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jure jurando ab tribunis militum adacti[2], jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. Nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat; et, ubi ad decuriatum aut centuriatum[3] convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites

Cap. XXXVIII. 1. *Ab nomine latino;* vide ad I, 10, n. 2.

2. *Jure jurando ab tribunis mil. adacti*, etc.; vide ad II, 24, n. 7, et II, 32, n. 1. Nota Drak. est : « Ad h. l. hæsit Lips. mil. Rom. I, 6. Ex sententia Schelii in diss. post Hygin. Gromat. cap. 1, olim, quum milites conscriberentur, sacramento rogati dicebant, se jussu consulum conventuros, etc. Quum postea convenirent, ut decuriarentur, aut centuriarentur, sponte inter se conjurabant, sese fugæ et formidinis ergo non abituros, etc. In utraque autem re mutationem hoc tempore factam existimat; atque non tantum priori sacramento, sed posteriori etiam conjurationi spontaneæ jus jurandum, in quod legitime milites a tribunis militum adigebantur, substitutum esse. Id si placet, huic pericopæ proxima verba *nam ad eam diem nil præter sacramentum fuerat* adjungenda, et majori distinct. a sqq. separanda sunt. Sed post hæc tempora adhuc *sacramenti* militaris mentio fit XXV, 5; XXVIII, 27, et al. An igitur verba illa *jussu consulum conventuros, neque injussu abituros* expungenda sunt, quæ certe apud Frontin. Strat. IV, 1, n. 4 omittuntur? an potius transponenda hoc modo? *jure jurando ab tribunis mil. adacti : nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. Et ubi ad decuriatum*, etc. Olim milites, quo tempore conscribebantur, sacramento dicebant, jussu consulum, etc.; quum vero decuriarentur, aut centuriarentur, sponte *conjurabant, sese fugæ*, etc. Voluntaria illa conjuratio nunc mutata est, ejusque loco milites legitime in eadem verba a tribunis mil. adacti sunt jure jurando. Ultima hæc emendatio etiam Creverio in mentem venit. Confer ad XLV, 2, n. 1. Ab *jure jurando* h. l. distinguitur *sacramentum*. Forsan hoc fuit sine solenn deorum invocatione, et dirarum imprecatione, quæ in illo erat; Stroth. Illud erat necessarium et legitimum, ad quod milites a tribunis adigebantur, hoc voluntarium, et ultro præstitum; Sigon. et Ern. Recte : nam illud mox per *legitimam juris jurandi adactionem*, hoc per *fœdus voluntarium* explicatur; Doer.

3. *Ad decuriatum aut centuriatum* explicant vulgo : ad præfecturas decuriarum et centuriarum; sed rectius ad divisionem in decurias et centurias; vide ad VI, 2, n. 4. Tò *ad* delendum putant Duker. et Doer. Ille exponit, ut decuriarentur equites, etc.; hic,

conjurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, et aut hostis feriendi, aut civis servandi causa. Id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam juris jurandi adactionem translatum. Conciones, prius quam ab urbe signa moverentur, consulis Varronis multæ ac feroces fuere, denuntiantes, bellum arcessitum in Italiam ab nobilibus, mansurumque in visceribus reipublicæ [4], si plures Fabios imperatores haberet; se, quo die hostem vidisset, perfecturum. Collegæ ejus Pauli una, pridie quam ex urbe proficiscerentur, concio fuit verior, quam gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo: *Mirari se, quomodo quis* [5] *dux, prius quam aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosset, jam nunc togatus in urbe sciret, quæ sibi agenda armato forent; et diem quoque prædicere posset, qua cum hoste signis*

*ubi convenissent*, scilicet tribuni militum, ut decuriarent, etc.; hoc est, in decurias et centurias describerent milites. Si hanc rationem admiseris, obscure, nec satis accurate; si illam, haud latine loquutus est Livius. — Hunc locum illustrat Walchius, Emend. pag. 179 seqq. ubi quorumdam grammaticorum auctoritate nititur. Ed. — *Equites decuriati, centuriati pedites* (vide ad VI, 2, n. 4) *conjurabant*, una, singuli et omnes jurabant, *sese fugæ atque formidinis ergo* (vide ad VI, 27, n. 1) *non abituros*, etc.; vide ad II, 32, n. 1. Mox *ad tribunos et ad legitimam juris jurandi* (ad jus jurandum) *adactionem* quidam MSS prob. Gron.

4. *In visceribus reip.* ut XXXII, 21; XXXIII, 44; XXXIV, 48. Confer ad Sil. VII, 490. — *Se, quo die hostem vidisset, perfecturum*, confecturum, ad finem perducturum, scil. *bellum*, debellaturum esse; ut passim; vide Gron. qui etiam legere et distinguere malebat: *denuntiantis, bellum, arcessitum in Italiam ab nobilibus, mansurumque... haberet, se, quo die*, etc. Cæterum hæc verba exornavit Silius VIII, 263 seq.

5. *Mirari se, quomodo quis dux*, in MSS *quod nequi dux*, unde Gron. conj. *qui nunquam dux*, scil. fuisset; quod auget indignationem. Sed ellipsis verbi dura est, et verba seqq. non ad id spectant, sed omnino ad ducem modo in Urbe creatum. Mox pro vulg. *locatus* ex emend. Mureti, quam et alii probarunt, non dubitanter recepi *togatus*, cui *armatus* opponitur, ut passim. Confer ad cap. 39, n. 4, et ad III, 50, n. 1.

*collatis esset dimicaturus. Se, quæ consilia magis res dent hominibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura non præcepturum* [6]. *Optare, ut, quæ caute atque consulte gesta essent, satis prospere evenirent. Temeritatem, præterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse.* Id sua sponte apparebat, tuta eum celeribus consiliis præpositurum : et, quo id constantius perseveraret [7], Q. Fabius Maximus sic eum proficiscentem allocutus fertur [8] :

XXXIX. « Si aut collegam, id quod mallem, tui si-
« milem, L. Æmili, haberes, aut tu collegæ tui simi-
« lis esses, supervacanea esset oratio mea; nam et duo
« boni consules, etiam me indicente [1], omnia e repu-
« blica fide vestra faceretis, et mali, nec mea verba
« auribus vestris, nec consilia animis acciperetis. Nunc
« et collegam tuum et te talem virum intuenti mihi
« tecum omnis oratio est ; quem video nequidquam
« et virum bonum et civem fore. Si altera parte clau-

6. *Ea ante tempus immatura non præcepturum ;* vide ad IX, 23, n. 1. — *Ad id locorum;* vide ad IX, 45, n. 1. Mox *eum* e MSS adjeci. — *Tuta celeribus consiliis*, etc.; vide ad IX, 32, n. 2.

7. *Et quo* (ut eo) *constantius* κατὰ *id* (in eo) *perseveraret*, ut apud Cic. p. Quinct. 24 et al.

8. *Q. Fabius Max. sic eum proficiscentem alloquutus fertur;* confer Sil. VIII, 298 seq., et Plut. in Fab.

Cap. XXXIX. 1. *Etiam me indicente*, ut apud Terent. Adelph. III, 5, n. 62, et forte Cic. Fin. II, 3 extr., hoc est, non dicente, tacente, ut *indictum, insperante, intolerans, inopinans, insciens, inficiens;* Gron. qui hanc lect. e vestigiis MSS restituit pro valg. *e. me tacente.* — *E republica* (v. ad VI, 22, n. 2) *fide vestra* (vide ad VII, 18, n. 1), forte cum Drak. leg. *ac fide*, vel cum Perizon. *fideque.* Desideratur sane copula, nisi *fide vestra* est : secundum fidem vestram; Bauer. Respicitur haud dubie vulgaris formula senatusconsulti, qua magistratus, quibus a senatu mandabatur negotium, jubebantur *curare*, seu *videre*, seu *facere, quod e re publica fideque sua ducerent*, vel *esse censerent*, vel *ita ut e republica fideque sua videretur.* Cf. ad XXII, 11, n. 1; XXIII, 24, n. 1; XXIV, 14, n. 4; XXV, 7, n. 3; XXVII, 38, n. 4; XXIX, 10, n. 3; XXIX, 13, n. 1; XXXIII, 31, n. 4; XXXIII, 45, n. 1; XXXVIII, 8, n. 2; Gell. XV, 11; Cic. Phil. III, 15. Sic et ὡς αὐτῷ δοκεῖ συμφέρειν ἐκ τῆς ἰδίας πίστεως ap. Polyb. XXVIII, 1, n. 9; ταῦτα γίνεσθαι οὕτως, ὡς ἂν αὐτοῖς ἐκ τῶν δημοσίων πραγμάτων

« dicet respublica [2], malis consiliis idem ac bonis ju-
« ris et potestatis erit. Erras enim, L. Paule, si tibi
« minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Han-
« nibale, futurum censes. Nescio, an infestior hic ad-
« versarius, quam ille hostis, maneat : cum illo in acie
« tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus cer-
« taturus es : et adversus Hannibalem legionesque ejus
« tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est : Var-
« ro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis
« etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria [3] : tamen
« ille consul demum, et in provincia, et ad exerci-
« tum, cœpit furere : hic, prius quam peteret consu-
« latum, deinde in petendo consulatu, nunc quoque
« consul, prius quam castra videat aut hostem, insa-
« nit. Et, qui tantas jam nunc procellas [4], prælia at-
« que acies jactando, inter togatos ciet, quid inter
« armatam juventutem censes facturum, et ubi extem-
« plo verba res sequitur? Atqui si hic, quod facturum
« se denuntiat, extemplo pugnaverit, aut ego rem mi-
« litarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut
« nobilior alius Trasimeno locus nostris cladibus erit.
« Nec gloriandi tempus [5] adversus unum est; et ego,

πίστεώς τε τῆς ἰδίας φαίνηται in senatusconsulto apud Gruter. pag. 503; κρίνειν τε καὶ πράξειν ὅ τι δοκιμάσειε συνοίσειν apud Appian. Pun. 32 pr.

2. *Si altera parte claudicet resp.*, quia alter consul malus est, minusve idoneus, cui eadem potestas est, etiam *malis* ejus *consiliis idem ac bonis* tuis *iuris et potestatis erit*, illa eadem auctoritate exsequenda erunt ac tua bona; Stroth. Eodem auctore post *fore*, non post *respublica*, majorem distinct. posui, etsi parum interest. *Claudet* pro *claudicet* in MS Put. prob. Gron. quem vide sis. — *Nescio, an infestior... maneat;* vide ad II, 2, n. 3.

3. *Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria;* vide ad IX, 19, n. 7. — *Tamen ille*, etc. brevius dictum per omissionem, sic explendam : ut tamen liceat, vel quia opus est illum memorare; non ominis causa, sed alia de causa eum memoro; Bauer. Confer ad I, 12, n. 1. — *In provincia;* vide ad II, 40, n. 9.

4. *Procellas inter togatos ciet*, etc.; vide ad II, 12, n. 7, et III, 50, n. 1.

5. *Nec gloriandi tempus* (id est, locus, causa, opportuna conditio, ut græce καιρὸς sæpe facultas et copia

« contemnendo potius quam appetendo gloriam, mo-
« dum excesserim. Sed ita res habet : una ratio belli
« gerendi adversus Hannibalem est, qua ego gessi. Nec
« eventus modo hoc docet (stultorum iste magister est),
« sed eadem ratio, quæ fuit, futuraque, donec res eæ-
« dem manebunt, immutabilis est. In Italia bellum geri-
« mus, in sede ac solo nostro; omnia circa plena civium
« ac sociorum sunt; armis, viris, equis, commeatibus
« juvant juvabuntque: id jam fidei documentum in ad-
« versis rebus nostris dederunt[6]. Meliores, prudentio-
« res, constantiores nos tempus diesque facit. Hannibal
« contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia ini-
« mica infestaque, procul ab domo, procul ab patria.
« Neque illi terra, neque mari est pax : nullæ eum ur-
« bes accipiunt, nulla mœnia : nihil usquam sui videt :
« in diem rapto vivit. Partem vix tertiam exercitus ejus
« habet, quem Iberum amnem trajecit : plures fames,

rei; Bauer.) *adversus unum est*, id est, apud te unum, coram te uno. Ita Str. cujus nota est: « Sententia eo pertinet, ut arrogantiæ et gloriandi speciem a se amoveat Fabius, dum suam belli gerendi rationem optimam dicit. Ineptum foret, inquit, me, haud in concione gloriantem, coram te uno gloriari velle, a quo tam longe absum, ut forsan potius in *contemnendo gloriam*, quam in *appetendo* eam, *modum excesserim*. Nihilominus tamen dicendum est, quod sine arrogantia dictum velim, eam *rationem belli gerendi unam* veram esse, *qua ego* bellum *gessi*. » Sed si τὸ *unum* ad Paulum referas, hæc cum iis, quæ paulo post sequuntur, *sed ne adversus te quidem gloriabor* (confer not. 9), non bene conciliari possunt, quum particulæ *ne quidem* jam ante de alio, contra quem gloriari videri possit Fabius, sermonem fuisse, aperte innuant: nec pronomen *te* quum gravitatis, tum ambiguitatis causa omissurus h. l. fuisse videtur Livius : itaque τὸ *unum* ad Varronem referendum; Doer. Recte, opinor : sed pro *unum* forte cum Gron. leg. *hunc*, vel potius cum Burm. ad Quintil. Decl. 330, *vanum;* nisi malis *Varronem*. Pro *et ego* in plerisque libris minus apte legitur *ut ego*.

6. *Id*, tale, *fidei documentum.... dederunt*, « brevius dictum pro : *nam id f. d. d.*, ut dubitari nefas sit, vel, quod dubium non est ex documento fidei, quod dederint. Ita Homerus sæpe utitur pro nomine τοῖος, talis, v. c. Il. V, 828, τοίη τοι ἐγὼν ἐπιτάῤῥοθός εἰμι, i. e. *quippe* ego tibi sum adjutrix, ut nil timeas » ; Bauer. — *Inter omnia inimica*, ubi omnia sunt ei inimica. — *In diem rapto vivit;* vide ad IV, 10, n. 1.

« quam ferrum, absumpsit; nec his paucis jam victus « suppeditat. Dubitas ergo, quin sedendo[7] superaturi « simus eum, qui senescat in dies? non commeatus, « non supplementum, non pecuniam habeat? Quam « diu pro Geronii, castelli Apuliæ inopis[8], tanquam « pro Carthaginis mœnibus? Sed ne adversus te qui- « dem ego gloriabor[9]. Cn. Servilius atque Atilius, « proximi consules, vide, quemadmodum eum ludi- « ficati sint. Hæc una salutis est via, L. Paule, quam « difficilem infestamque cives tibi magis, quam ho- « stes, facient. Idem enim tui, quod hostium milites, « volent[10]; idem Varro, consul romanus, quod Hanni- « bal, pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus « resistas, oportet: resistes autem, adversus famam « rumoresque hominum si satis firmus steteris, si te « neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia « moverit. Veritatem laborare[11] nimis sæpe aiunt,

7. *Quin sedendo* (vide ad VII, 37, n. 4, et XXI, 48, n. 8) *superaturi simus eum, qui senescat in dies;* vide ad I, 22, n. 3, et IV, 10, n. 1.

8. *Quam diu pro Geronii, castelli A. inopis* (vide ad cap. 18, n. 5), *t. pro C. mœnibus sedit? Ne adversus,* etc. forte leg.; nisi potius h. l. est ἀποσιώπησις (confer XXII, 50, n. 2; XLV, 38, n. 3; ad Sil. VI, 110, et VII, 248) modesta in mentione ejus rei, quæ ad laudem Fabii proprie pertinebat, ut siluerit *eum tenui, maceravi*, vel *sedere coegi:* præsertim quum subsequatur, *sed ne adversus te quidem ego gloriabor;* Gronovius. Sed ἀποσιώπησις morata mihi frigere inter amicos videtur; nec aut turpitudinis, aut acerbitatis, ulla hic reticentia, aut vehementior animi agitatio, in his utique verbis; Bauerus. In quibusdam MSS et multis edd. antt. post *mœnibus* verba *pugnatum est* addita, sed a Petrarcha, teste Valla. Cæterum ante Geronium per hiemem et ver totum castra Pœnorum castris romanis fuerant opposita. Confer Polybium, III, 107 pr.

9. *Sed ne adversus te quidem ego gloriabor;* in pron. *ego* præcipua vis est: non ego de me solo hoc gloriabor, ne apud te quidem, quum *consules Servilius et Atilius* eadem ratione bellum gesserint (conf. cap. 32), et Hannibalem tenentes *ludificati sint;* Stroth. Conf. not. 5. Mox *tibi* ex uno MS recepi cum Strothio pro vulg. *sibi;* quod a vett. edd. ante Aldum plane abest.

10. *Idem enim tui, quod hostium, milites volunt,* scilic. manum statim conserere; Stroth.

11. *Veritatem laborare,* obscurari, premi; Ern. Male se habere, nulla ei

« exstingui nunquam : gloriam qui spreverit, veram « habebit. Sine, timidum pro cauto [12], tardum pro « considerato, imbellem pro perito belli vocent : malo « te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent. « Omnia audentem contemnet Hannibal; nil temere « agentem metuet. Nec ego, ut nihil agatur [13], moneo; « sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna : tuæ po- « testatis semper, tuaque omnia sint. Armatus inten- « tusque sis, neque occasioni tuæ desis, neque suam « occasionem hosti des. Omnia non properanti clara « certaque erunt : festinatio improvida est, et cæca. »

XL. Adversus ea oratio consulis haud sane læta fuit [1], magis fatentis, ea, quæ diceret, vera, quam facilia factu esse. *Dictatori magistrum equitum intolerabilem fuisse* [2] : *quid consuli adversus collegam seditiosum ac temerarium virium atque auctoritatis fore?*

fide habita, *verkannt werden;* Doer. Conf. ad librum III, cap. 31, n. 1. — Hic Walchius, Emend. p. 26, Livium comparat cum Polybio, Hist. XIII, 5: Οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτὴ (ἡ ἀλήθεια) δι' αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων· καὶ ποτὲ μὲν παραχρῆμα δείκνυσι τὴν αὐτῆς δύναμιν, ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα τέλος αὐτὴ δι' ἑαυτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος. Plura sunt ex hujus loci comparatione quæ moneri queant. Primum hinc vindicatur Livio suum *nimis sæpe*, cujus loco J. H. Vossius emendabat *veritatem inimicitiis laborare sæpe aiunt.* Sane turbant librarii, forsitan in illa particularum conjunctione *nimis sæpe* offensi : sed generalis requiritur sententia, qualem dedit Mureti emendatio; vix locum habet, quæ, relata ad Æmilii Varronisque consuetudinem, nullis stabiliatur historiæ documentis. Porro, ut notat Creverius, *laborare* est defectum vel deliquium pati, quod liquido ostendit Polyb. ἐπισκοτισθεῖσα, et sequens *exstingui.* Noti sunt *lunæ* et *solis labores*, et poetis et historicis frequentati, verbi causa, Virgil. Georg. II, 478, et Æn. I, 746. Ed.

12. *Sine timidum* te *pro cauto*, etc. Conf. ad c. 12, n. 12, ubi eadem ipsi Fabio Minucius objiciebat. Ed.

13. *Nec ego, ut nihil agatur, moneo :* a plerisque MSS et omnibus edd. antt. abest τὸ *moneo*, prob. Gronovio modo pro *væ*, quod in MS Put. legitur post fortuna, reponatur *velim.* — *Neque occasioni tuæ desis, neque suam hosti des;* vid. ad librum I, cap. 11, n. 1; lib. I, cap. 56, n. 10, et lib. III, cap. 46, n. 3.

Cap. XL. 1. *Haud sane læta*, ex læto animo profecta. — Nos : *erfreulich, tröstlich;* Doer.

2. *Dictatori magistrum equitum*, Fabio Minucium, *intolerabilem fuisse*, ab illo ferociam hujus et temeritatem

*Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse: optare, ut omnia prospere evenirent. At, si quid adversi caderet*[3], *hostium se telis potius, quam suffragiis iratorum civium, caput objecturum.* Ab hoc sermone[4] profectum Paulum tradunt, prosequentibus primoribus[5] patrum. Plebeium consulem sua plebes prosequuta, turba, quam dignitate, conspectior. Ut in castra venerunt, permixto novo exercitu ac vetere, castris bifariam factis, ut nova minora essent propius Hannibalem, in veteribus major pars, et omne robur virium esset; tum consulum anni prioris M. Atilium[6], ætatem excusantem, Romam[7] miserunt; Geminum Servilium[8] in minoribus castris legioni romanæ, et socium peditum equitumque duobus millibus præficiunt. Hannibal, quanquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat, tamen adventu consulum mire gaudere. Non solum enim nihil ex raptis in diem commeatibus superabat, sed ne, unde raperet, quidem quidquam reliqui erat, omni undique frumento, postquam ager parum tutus erat, in urbes munitas convecto, ut vix decem dierum (quod compertum postea est) frumentum superesset, Hispano-

non coerceri potuisse. — *Se populare incendium p. c. semiustum effugisse;* vide ad cap. 35, n. 3.

3. *Si quid adversi caderet:* malim *adverse;* Bauer. — *Suffragiis iratorum civium,* arbitrio; Doer.

4. *Ab hoc sermone,* statim post eum; Strothius. Confer ad librum I, cap. 1, n. 5.

5. *Prosequentibus primoribus,* etc.; vide ad VI, 34, n. 6. — *Conspectior;* vide ad II, 5, n. 8. — *Propius Hannibalem;* vide ad II, 48, n. 5.

6. *Consulum anni prioris M. Atilium;* vide ad IX, 27, n. 3.

7. *Ætatem excusantem* (vid. ad VI, 22, n. 3) *Romam miserunt,* ubi eum triennio post censorem fuisse, ex Liv. XXIV, 11; Valer. Max. II, 9, 8, et Fastis constat. Hinc Polybium errasse, qui lib. III, 109, 114, 116, eum interfuisse pugnæ cannensi, et in ea periisse tradit, jam docuere Schweigh. ad hh. ll. et Perizon. Animadv. hist. cap. 1 extr. p. 35.

8. *Geminum Servilium,* ut cap. 45 extr.; vide ad III, 1, n. 1. — *Nihil ex raptis in diem commeatibus superabat;* vide ad lib. IV, cap. 10, n. 1, et lib. VIII, cap. 10, n. 1.

rumque ob inopiam transitio parata fuerit, si maturitas temporum exspectata foret.

XLI. Cæterum temeritati consulis ac præpropero ingenio materiam etiam fortuna dedit : quod in prohibendis prædatoribus tumultuario prælio [1], ac procursu magis militum, quam ex præparato aut jussu imperatorum, orto, haudquaquam par Pœnis dimicatio fuit. Ad mille et septingenti [2] cæsi, non plus centum Romanorum sociorumque occisis. Cæterum victoribus effuse sequentibus metu insidiarum obstitit Paulus consul; cujus eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat [3], Varrone indignante ac vociferante, emissum hostem e manibus; debellarique, ni cessatum foret, potuisse. Hannibal id damnum haud ægerrime pati : quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris consulis, ac novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium, haud secus quam sua, nota erant; dissimiles discordesque imperitare; duas prope partes tironum militum in exercitu esse. Itaque, locum et tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima nihil præter arma ferentes secum milites ducens, castra plena omnis fortunæ publicæ privatæque relinquit; transque proximos montes læva pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per convallem [4], medium agmen, traducit, ut

Cap. XLI. 1. *Tumultuario prælio;* vide ad I, 37, n. 4.

2. *Ad mille et septingenti;* vide ad IV, 59, n. 4.

3. *Cujus eo die (nam alternis diebus imperitabant) imperium erat;* v. ad II, 1, n. 11, et conf. inf. c. 45, et Polyb. III, 110. Ex his locis Dodwell. in Præl. Cambd. p. 668, putat confici, eo tempore consules non solum in castris, verum etiam in Urbe, alternis diebus fasces habuisse : cui bene respondere Wessel. Probab. c. 39 monet Duk. — *Inescatam;* vide XLI, 23.

4. *Impedimenta per convallem traducit*, ita ut essent *medium agmen* inter pedites equitesque; Strothius. Similis epexegesis exempla vide IX, 40; XXVIII, 14; XXIX, 25; XXXIX, 31; XLII, 59; Gronov. — Videtur innuere Livius equitatum ac peditatum ipsos superasse montes; sola impedi-

diripiendis velut desertis fuga dominorum castris occupatum impeditumque hostem opprimeret. Crebri relicti in castris ignes [5], ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga præciperet [6], falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis consules [7] voluisse.

XLII. Ubi illuxit, subductæ primo stationes, deinde propius adeuntibus insolitum silentium admirationem fecit. Jam satis comperta solitudine, in castris concursus fit ad prætoria consulum, nuntiantium fugam hostium adeo trepidam, ut, tabernaculis stantibus, castra reliquerint: quoque fuga obscurior esset, crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, ut signa proferri juberent, ducerentque ad persequendos hostes, ac protinus castra diripienda : et consul alter velut unus turbæ militaris erat. Paulus etiam atque etiam dicere, providendum præcavendumque esse. Postremo, quum aliter neque seditionem, neque ducem seditionis sustinere posset, Marium Statilium præfectum cum turma lucana [1] exploratum mittit. Qui, ubi adæquitavit portis, subsistere extra munimenta cæteris jussis, ipse cum duobus equitibus vallum intravit; speculatusque omnia cum cura renuntiat, insidias profecto esse : ignes in parte castrorum, quæ vergat in hostem, relictos : tabernacula aperta, et omnia cara in promptu relicta : argentum quibusdam locis temere per vias, velut objectum ad prædam, vidisse. Quæ ad

menta, ut quæ gravioris sunt moliminis, traducta per convallem longiore circuitu. Ed.

5. *Crebri relicti in castris ignes*, etc., noto stratagemate exercitus castra insciis hostibus moventis. Confer Frontin. I, 1, n. 9; I, 5, n. 22 et 24; Onos. c. 10, § 5; Leo., c. 11, § 24.

6. *Dum ipse longius spatium viæ fuga præciperet;* al. *præriperet.* Conf. ad III, 46, n. 5.

7. *Tenere in locis consules*, scil. in quibus erant, in castris; Duk. *Tenere iis locis* conj. Jac. Gron.

Cap. XLII. 1. *Cum turma lucana;* vide ad X, 33, n. 1.

deterrendos a cupiditate animos nuntiata erant, ea accenderunt; et, clamore orto a militibus, *ni signum detur, sine ducibus ituros*, haudquaquam dux defuit: nam extemplo Varro signum dedit proficiscendi. Paulus, quum ei sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent[2], obnuntiari jam efferenti porta signa collegæ jussit. Quod quamquam Varro ægre est passus, Flaminii tamen recens casus[3], Claudiique consulis primo punico bello memorata navalis clades, religionem animo incussit[4]. Dii prope ipsi eo die magis distulere, quam prohibuere, imminentem pestem Romanis. Nam forte ita evenit, ut, quum referri signa in castra jubenti consuli milites non parerent, servi duo, Formiani unus, alter Sidicini equitis, qui, Servilio atque Atilio consulibus, inter pabulatores excepti a Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos: qui deducti ad consules nuntiant, omnem exercitum Hannibalis trans proximos montes sedere in insidiis. Horum opportunus adventus consules imperii potentes fecit[5], quum ambitio alterius suam primum apud eòs prava indulgentia majestatem solvisset.

2. *Pulli quoque auspicio non addixissent;* vide ad I, 36, n. 3, et ad Tac. Ann. II, 14, n. 4. *Auspicio* pro in auspicio, vel quo tempore auspicio operam dabat, ut *ludis* (II, 36, n. 2), et similia; Drakenb. — *Obnuntiari,* triste auspicium cum formula *alio die* nuntiari, ut deterreatur a consilio suo, et inceptum impediatur. Cf. Cic. Phil. II, 33; pro Sext. XXXVI, 37, et al.

3. *Flaminii tamen recens casus,* et P. *Claudii* Pulchri... *clades,* quæ contemptui auspiciorum tribuebantur. De illa vide sup. cap. 3 sq. de hoc Epit. lib. XIX; Cic. Nat. Deor. II, 3, et de Div. I, 16; II, 33; Valer. Max. I, 4, 3; Polyb. I, 49-52. *Casus,* calamitas, vel fatum, mors. Sic fere *suo casu absumi* XXIII, 22 pr. et *fato perire* ap. Virg. Æn. IV, 696, ubi cf. Intpp.

4. *Religionem animo incussit;* vide ad II, 5, n. 4.

5. *Consules imperii potentes fecit,* h. e. effecit, ut imperium exercere, et milites, pugnandi cupiditate ardentes, coercere possent. Conf. ad VIII, 13, n. 9, et IX, 14, n. 4. — *Ambitio alterius* consulis, Flaminii. — Vocab. *ambitio* Crever. intelligitur, cura ambiendi et aucupandi militum favoris per assentationem et indecorum obsequium. Ed. — *Apud eos,* scil. milites. Sed dura est ellipsis. Forte leg. *apud accensos prava indulgentia.* — *Maje-*

XLIII. Hannibal, postquam motos magis inconsulte Romanos, quam ad ultimum temere evectos [1], vidit, nequidquam, detecta fraude, in castra rediit. Ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequibat; novaque consilia in dies non apud milites solum, mixtos ex colluvione omnium gentium, sed etiam apud ipsum ducem, oriebantur. Nam quum initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset exposcentium stipendium debitum, querentiumque annonam primo, postremo famem; et mercenarios milites, maxime hispani generis, de transitione cepisse consilium fama esset; ipse etiam interdum Hannibal de fuga in Galliam dicitur agitasse, ita ut, relicto peditatu omni, cum equitibus se proriperet. Quum hæc consilia atque hic habitus animorum esset in castris, movere inde statuit, in calidiora atque eo maturiora messibus Apuliæ loca; simul ut, quo longius ab hoste recessisset [2], transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. Profectus est nocte, ignibus similiter factis, tabernaculisque paucis in speciem relictis, ut insidiarum par priori metus contineret Romanos. Sed, per eumdem Lucanum Statilium, omnibus ultra castra transque montes exploratis, quum relatum esset, visum procul hostium agmen, tum de insequendo eo consilia agitari cœpta. Quum utriusque consulis eadem, quæ semper ante, fuisset sententia [3], cæterum Varroni fere omnes, Paulo nemo, præter Servilium, prioris anni consulem, assentiretur, majoris partis sententia ad no-

*statem solvisset*, imminuisset, aut totam pæne sustulisset, ut I, 49.

Cap. XLIII. 1. *Ad ultimum temere evectos*, abreptos, ut XXXV, 31; forte et XLII, 62, nisi *spe vana evectus* est elatus. — *Nequidquam*, sine operæ successu fructuque. Conf. ad XLII, 64, n. 2. — Verba *detecta fraude* glossam redolent; Doer.

2. *Quo longius ab hoste recessisset*, eo *impeditiora*, etc. Conf. ad II, 45, n. 12. *Quod longius* optimi MSS.

3. *Quum utriusque consulis eadem, quæ semper ante, fuisset* (malim *esset*,

bilitandas clade romana Cannas, urgente fato, profecti sunt. Prope eum vicum Hannibal castra posuerat aversa a Vulturno vento[4], qui campis torridis siccitate nubes pulveris vehit. Id quum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare præcipue futurum erat, quum aciem dirigerent, ipsi aversi, terga tantum afflante vento, in obcæcatum pulvere effuso hostem pugnaturi.

XLIV. Consules, satis exploratis itineribus, sequentes Pœnum, ut ventum ad Cannas est, ubi in conspectu Pœnum habebant, bina castra communiunt, eodem ferme intervallo, quo ad Geronium, sicut ante, copiis divisis[1]. Aufidus amnis, utrisque castris affluens, aditum aquatoribus ex sua cujusque[2] opportunitate haud sine certamine dabat. Ex minoribus tamen castris, quæ posita trans Aufidum erant, liberius aquabantur Romani, quia ripa ulterior nullum habebat hostium præsidium. Hannibal spem nactus, locis natis ad equestrem pugnam[3], qua parte virium invictus erat, facturos copiam pugnandi consules, dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari ac discordia consulum romana castra, quum Paulus Semproniique et Fla-

quam *fuisset*, quod rectius ad *quæ* suppletur) *sententia;* dum Paulus in prudentia pugnam evitandi, et Varro in temeritate pugnam committendi sibi constabat; Doer. — *Cannæ*, al. *Canna*, olim oppidum, postea *vicus* Apuliæ ad *Aufidum* flumen (*Ofanto*); vide Polyb. III, 107, et de *Aufido* c. 44, et Polyb. III, 110.

4. *A Vulturno vento*, Euro, vel potius Euronoto (*Südost*); vide Gell. II, 22, et ad Silium, IX, 491 sq. — *Ipsi aversi* a vento. — *Pulvere effuso*. Walchius, Emend. p. 158, hanc lectionem impugnat, vitiumque ita eximendum censet: *pulvere offuso;* qua de re ablegat ad Gronovii Observationes, lib. IV, cap. 21. Ed.

Cap. XLIV. 1. *Quo ad Geronium, sicut ante, copiis divisis;* conf. c. 40, et ad cap. 39, n. 8. Verba *sicut ante* glossam sapiunt.

2. *Ex sua cujusque opportunitate*, quo quisque pro castrorum situ opportune flumen adire poterat; Doer. — De *Aufido* vide ad cap. 43, n. 2.

3. *Locis natis ad equestrem pugnam;* vide ad V, 37, n. 6. — Mox *Semproniique* pro *Sempronii*. Conf. ad I, 43, n. 4.

minii temeritatem Varroni, Varro speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabium [4] objiceret; testareturque deos hominesque hic, *nullam penes se culpam esse, quod Hannibal jam velut usu cepisset Italiam* [5]; *se constrictum a collega teneri* [6]; *ferrum atque arma iratis et pugnare cupientibus adimi militibus;* ille, *si quid projectis ac proditis ad inconsultam atque improvidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpæ exsortem, omnis eventus participem fore* diceret. *Videret, ut, quibus lingua tam prompta ac temeraria, æque in pugna vigerent manus.*

XLV. Dum altercationibus magis, quam consiliis, tempus teritur, Hannibal ex acie, quam ad multum diei tenuerat instructam, quum in castra cæteras reciperet copias, Numidas ad invadendos [1] ex minoribus castris Romanorum aquatores trans flumen mittit. Quam inconditam turbam quum vixdum in ripam egressi clamore ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas prope portas evecti sunt. Id vero indignum visum, ab tumultuario auxilio [2] jam etiam castra romana terreri; ut ea modo una causa, ne extemplo transirent flumen, dirigerent-

4. *Speciosum timidis ac segnibus ducibus exemplum Fabium*, Fabium, tanquam exemplum, quo duces, qualis Paulus sit, ad timiditatem et segnitiem suam tegendam utantur; Doer. *Fabii* edd. ante Crev.

5. *Quod Hannibal jam velut usu cepisset Italiam;* vide ad I, 46, n. 1. *Suam* pro *usu* edd. ante Gron.

6. *Se constrictum a collega teneri*, quasi vinculis, hoc est, prohiberi ab agendo et pugnando. — *Projectis ac proditis ad inconsultam pugnam legionibus;* conf. ad II, 43, n. 5. *Proficere* homines, vitam, spem, etc., tanquam rem vilem, nulliusve pretii, pro nihilo habere et spernere, vel, tanquam expositum infantem, haud curare, et periculis exponere. Hinc *si tanta clades vilem vitam non fecit, nulla faciet* infr. c. 60, n. 9; *prodigus vitæ* et alia. Conf. ad Silium, I, 225, et VI, 226.

Cap. XLV. 1. *Numidas ad invadendos*, etc. Conf. Polyb. III, 112. — *Trans flumen* Aufidum, ubi erant *castra minora* Romanorum. Cf. cap. 44. — *Inconditam turbam;* vid. ad XXI, 57, n. 11.

2. *Ab tumultuario auxilio*, a Nu-

que aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit. Itaque Varro postero die, cui sors ejus diei imperii erat [3], nihil consulto collega, signum pugnæ proposuit, instructasque copias flumen traduxit, sequente Paulo, quia magis non probare, quam non adjuvare, consilium poterat. Transgressi flumen eas quoque, quas in castris minoribus habuerant, copias suis adjungunt: atque ita instructa [4] acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) romanos equites locant, deinde pedites: lævum cornu extremi equites sociorum [5], intra pedites, ad medium juncti legionibus romanis tenuerunt: jaculatores cum cæteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Consules cornua tenuerunt; Terentius lævum, Æmilius dextrum. Gemino Servilio media pugna tuenda data.

XLVI. Hannibal luce prima, Baliaribus levique alia armatura [1] præmissa, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita in acie locabat. Gallos Hispanos-

midis auxiliaribus, subito in re trepida concitatis; Doer. Conf. ad I, 37, n. 4. *Auxilium*, ut vulgo *auxilia*, pro copiis auxiliaribus.

3. *Cui sors ejus diei imperii erat;* vide ad II, 1, n. 11, et X, 26, n. 4. Conf. Polyb. III, 113. — *Signum pugnæ proposuit;* vide ad librum VI, c. 8, n. 1.

4. *Atque ita instructa acie, in dextro cornu*, etc. Cf. de acie et universa pugna cannensi Polyb. III, 113 sq.; Appianum, Bell. Hannib. cap. 19 sq.; *Guischardt* in *Mémoires militaires*, tom. I, cap. 48. Mox *romanos equites locant, medios pedites*, vel *medii pedites*, scil. erant, vel *medium pedites ... tenuerunt* suspicari possis cum J. Fr. Gronov. coll. Polyb. III, 113. Sed bene monet Jac. Gron., mirum non esse, nihil directe dici de media acie (ut nec X, 27 extr.), quum clare pateat ex seqq., hos pedites usque *ad medium* aciei patuisse, donec *jungerentur* peditibus sociorum, a quibus læva pars aciei incipiebat.

5. *Lævum cornu extremi equites sociorum*, h. e. in extrema ejus parte, post pedites, locati, *intra*, in interiore ejus parte, *pedites* sociorum, *ad medium*, versus mediam aciem, et in ea, *juncti legionibus romanis, tenuerunt: jaculatores cum cæteris* (ex emend. Drak. pro vulg. *tenuerunt jaculatores: ex cæteris*) *levium armorum auxiliis prima acies facta;* conf. ad cap. 37, n. 2. *Jaculatores et cætera l. a. auxilia* conj. Gron. — *Gemino Servilio;* vid. ad III, 1, n. 1.

Cap. XLVI. 1. *Baliaribus levique alia armatura;* vid. ad librum XXI, cap. 55, n. 2.

que equites prope ripam lævo in cornu adversus romanum equitatum : dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus firmata ; ita ut Afrorum utraque cornua essent, interponerentur his medii Galli atque Hispani. Afros romanam magna ex parte crederes aciem ; ita armati erant[2], armis et ad Trebiam, cæterum magna ex parte ad Trasimenum captis. Gallis Hispanisque scuta ejusdem formæ fere erant ; dispares ac dissimiles gladii : Gallis prælongi, ac sine mucronibus[3] : Hispano, punctim magis, quam cæsim, assueto petere hostem, brevitate habiles, et cum mucronibus. Sane et alius habitus gentium harum tum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat. Galli super umbilicum erant nudi : Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus, constiterant. Numerus omnium peditum, qui tum steterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum. Duces cornibus præerant ; sinistro Hasdrubal, dextro Maharbal[4] : mediam aciem Hannibal ipse cum fratre Magone tenuit. Sol, seu de industria ita loca-

2. *Ita armati erant*, Afri ut Romani, etc. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. III, 114. — *Gallis Hispanique scuta ejusdem formæ erant*, scil. vasta quidem et longa, sed plana, et parum lata, adeoque non tegentia corpus ; vide ad XXXVIII, 17 et 21 ; Polyb. II, 30 ; III, 114 ; Spanh. ad Callim. Hymn. in Del. 184 ; Lips. Mil. rom. III, 2.

3. *Gallis prælongi, ac sine mucronibus gladii*, quibus cæsim tantum feriebant. Conf. XXXVIII, 17 ; Polyb. II, 33 ; III, 114 ; VI, 23 ; Spanh. ad Callim. Hymn. in Del. 172. — *Hispano punctim magis, quam cæsim ... brevitate* (ob eam) *habiles* gladii, *et cum mucronibus* ; vide ad VII, 10, n. 1, et Polyb. II, 30, 33 ; III, 114. *Habilis*, ut *facilis*, qui facile regi, tractari et fingi potest. Contra *inhabilis* dicitur XXIV, 34, n. 3, et XXXIII, 30. Cf. ad III, 70, n. 1. — *Sane et alius* (reliquus ; vide ad IV, 10, n. 2) *habitus*, etc. ex emend. Gron. pro vulg. *ante cæteros habitus*, etc. Hoc, quod Grutero debetur, in nullo MS exstat ; illud ex membranis, fœde h. l. corruptis, erutum. — *Galli super umbilicum erant nudi*, etc. Cf. Appian Gall. Exc. VIII (ubi v. Schw.), et verba Pol. III, 114 : Τῶν μὲν Κελτῶν γυμνῶν, τῶν δὲ Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων κατὰ τὰ πάτρια, ξενίζουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν συνέβαινε γίγνεσθαι τὴν πρόσοψιν.

4. *Dextro Maharbal* ; apud Polyb.

tis, seu quod forte ita starent, peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Pœnis in septemtrionem versis. Ventus (Vulturnum incolæ[5] regionis vocant), adversus Romanis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.

XLVII. Clamore sublato, procursum ab auxiliis; et pugna levibus primum armis commissa : deinde equitum gallorum hispanorumque lævum cornu cum dextro romano concurrit, minime equestris more[1] pugnæ. Frontibus enim adversis concurrendum erat, quia, nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant in directum utrimque nitentes. Stantibus[2] ac confertis postremo turba equis, vir virum amplexus detrahebat equo. Pedestre magna jam ex parte certamen factum erat : acrius tamen, quam diutius, pugnatum est; pulsique romani equites terga vertunt. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. Primo et viribus et animis pares constabant ordines Gallis Hispanisque : tandem Romani, diu ac sæpe connisi, æqua fronte[3] acieque densa impulere hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, a cætera prominentem acie. Impulsis

Ἄννων. At apud Appian. Bell. Hannib. 20, dextro cornu præest Mago, et sinistro Hannon.

5. *Ventus (Vulturnum incolæ)*, etc. Vide ad cap. 43, n. 3.

Cap. XLVII. 1. *Minime equestris more pugnæ*, quippe quæ alias vaga, nec confertis ordinibus, sed ab aliis a fronte, ab aliis a latere committebatur; Stroth. Vide ad Tac. Ann. VI, 35, n. 3, et confer ad hæc et seqq. Polyb. lib. III, cap. 115. — *Claudebant in directum utrimque nitentes.* Claudebant hinc romanos, inde gallos hispanosque equites, qui proinde cogebantur in directum adversis frontibus niti. Ed.

2. *Stantibus*, jam immobilibus, *ac confertis postremo*, postquam concurrissent, *turba equis*, ob nimiam turbam in angustiis loci; Gron.

3. *Æqua fronte* (ἐπὶ τῆς εὐθείας, et ἐπὶ μίαν εὐθεῖαν apud Polyb. III, 113) *acieque densa;* nos : *in gerader Linie und tiefer Schlachtordnung;* Stroth. — *Impulere;* vide ad I, 14, n. 8. — *Hostium cuneum* (vide ad II, 50, n. 8) *prominentem*, cui *frons æqua*, seu recta opponitur. Mox *institere* malebat Gron.

deinde ac trepide referentibus pedem insistere; ac tenore uno [4] per præceps pavore fugientium agmen in mediam primum aciem illati, postremo, nullo resistente, ad subsidia Afrorum [5] pervenerunt; qui utrimque reductis alis constiterant, media, qua Galli Hispanique steterant, aliquantum prominente acie: qui cuneus ut pulsus æquavit frontem primum, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit [6], Afri circa jam cornua fecerant; irruentibusque incaute in medium Romanis, circumdedere alas: mox, cornua extendendo, clausere et ab tergo hostes. Hinc Romani, defuncti nequidquam prælio uno [7], omissis Gallis Hispanisque, quorum terga ceciderant, et adversus Afros integram pugnam ineunt, non tantum eo iniquam, quod inclusi adversus circumfusos, sed etiam quod fessi cum recentibus ac vegetis pugnabant.

XLVIII. Jam et sinistro cornu Romanis [1], ubi sociorum equites adversus Numidas steterant, conser-

4. *Ac tenore uno* (vide ad V, 5, n. 5) *per agmen fugientium præceps pavore*, ob pavorem præcipiti cursu ruens; Doer.

5. *Ad subsidia Afrorum* (conf. ad II, 20, n. 2) *pervenerunt, qui utrimque*, in utroque cornu, *reductis alis constiterant*, longius remoti a romana acie, *media Gallorum Hispanorumque prom. acie* in modum *cunei*, vel lunulæ (ἐν μηνοειδεῖ σχήματι, vel εἰς τοῦ μηνίσκου τὸ κύρτωμα), et romanæ propius admota. Conf. Polyb. III, 113 extr. 115, et Front. Strat. II, 3, n. 7. — Creverii nota est: Ita constiterant, ut efficerent utrimque alas introrsum reductas, ac velut retractas, Gallorum Hispanorumque acie ultra illas alas non parum prominente. Quæ prius Livius vocavit *cornua*, dum dicit utraque cornua Afrorum fuisse, hic *alas* vocat. In iis quæ sequuntur, hæ eædem voces rursus promiscue usurpantur. Ed.

6. *Deinde nitendo etiam sinum in medio dedit cuneus*, id est, Romanis omni virium nisu instantibus; Doer. Nitentibus Romanis, nisu impulsus adverso: est quasi hypallage, ut apud Virg. Georg. III, 215, *urit videndo femina*, i. e. equo mare eam (equam) videnti; Bauerus. Forte leg. *cedendo*. Ἑπόμενοί γε τούτοις οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ συντρέχοντες ἐπὶ τὰ μέσα καὶ τὸν εἴκοντα τόπον τῶν πολεμίων, Polyb.

7. *Defuncti nequidquam prælio uno* cum Gallis Hispanisque. Mox *et* pro vulg. *etiam* (quod modo præcessit, et mox sequitur) ex optimis MSS (a quibus etiam τὸ *integram* abest) reposui, etsi plane delere malim.

Cap. XLVIII. 1. *Jam et sinistro*

tum prælium erat, segne primo, et a punica cœptum fraude. Quingenti ferme Numidæ[2], præter solita arma telaque, gladios occultos sub loricis habentes, specie transfugarum quum ab suis, parmas post terga habentes, adequitassent, repente ex equis desiliunt; parmisque et jaculis ante pedes hostium projectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos, considere ab tergo jubentur; ac, dum prælium ab omni parte conseritur, quieti manserunt. Postquam omnium animos oculosque occupaverat certamen, tum, arreptis scutis, quæ passim inter acervos cæsorum corporum strata erant, aversam adoriuntur romanam aciem; tergaque ferientes, ac poplites cædentes[3], stragem ingentem, ac majorem aliquanto pavorem ac tumultum, fecerunt. Quum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala jam spe prælium esset, Hasdrubal, qui ea parte præerat[4], subductos ex media acie Numidas, quia se-

*cornu Romanis* ex optimis MSS revocavi pro vulg. *Jam et in sinistro cornu romano.*

2. *Quingenti ferme Numidæ*, etc., quos alii dicunt sexcentos, alii quadringentos, et Appian. Bell. Hannib. XX, 22, Celtiberos fuisse. Cf. Front. Strat. II, 5, 27; Valer. Max. VII, 4, 2, et Sil. X, 185 sq. Nihil de ea re apud Polybium. Mox *præter consueta arma* edd. ante Gron. *Præterita arma* optimi MSS, unde *præter justa arma* edidit Gronov. et *præter solita arma* Drak. ex emend. Heins. ad Vellei. II, 111, n. 2, et Periz. « Numidas equites Livius XXXV, 11, et Claudian. Bel. Gild. 435, tantum jaculis instructos, cætera inermes fuisse tradunt. Quæ sunt ergo *justa* aut *solita arma* eorum præter *tela?* Lips. Milit. rom. III, 8, a Livio XXIII, 29, etiam numidas equites armatos memorari observat, et ex horum genere fuisse eos, de quibus hic agit Livius, suspicatur. » Duker. Immo *telaque* dixit pro, *id est, tela;* vide ad II, 42, n. 7.

3. *Terga ferientes, ac poplites cædentes*, succidentes, ut cap. 51. Terga et poplites hostis, vel aversi, vel fugientis, maxime petuntur. Conf. Hor. Od. III, 2, 16, et ad Sil. IV, 341. — *In mala jam spe*, quamvis nil boni jam sperarent; ut in mala spe poterat: sed magis Livianum fuerit *ut in mala jam spe;* Bauer.

4. *Hasdrubal, qui ea parte præerat;* sed præfuit sinistro cornu Pœnorum (vide cap. 46), et hoc c. 48 de sinistro cornu Rom. agitur. Gron. coll. cap. 46, et Polyb. III, 116, locum hunc ita emendat : *Hasdrubal, qua parte præerat, victor, lævum quoque Roman. cornu adortus pari fortuna, Numidas, quia segnis..... mittit : hi-*

gnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit : Hispanos et Gallos pedites, jam Afris prope fessis cæde [5] magis quam pugna, adjungit.

XLIX. Parte altera pugnæ Paulus, quamquam primo statim prælio funda graviter ictus fuerat, tamen et occurrit sæpe cum confertis [1] Hannibali, et aliquot locis prælium restituit, protegentibus eum equitibus romanis [2]; omissis postremo equis, quia consulem et ad regendum equum vires deficiebant. Tum denuntianti cuidam, jussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt : « Quam mallem, « vinctos mihi traderet [3] ! » Equitum pedestre prælium, quale jam haud dubia hostium victoria, fuit ; quum

*spanos et gallos equites jam Afris*, etc. Et Periz. *Hasdrubal, qui victor ad eam partem penetraverat, subductos ex acie Numidas*, etc. Sigonius conj. *læva* pro *ea ;* et Stroth. *qua parte* cum Gronovio legit. At Bauer. putat, Hasdrubalem nunc hic imperasse, nunc illic, ut intelligere liceat *qui tum ea parte præerat.* Conf. ad VII, 15, n. 2. — Hæc et quæ sequuntur, ut Creverii verbis utar, omnino corrupta sunt, et pro deploratis habenda : nam præterquam quod Hasdrubal non hac parte, sed læva præerat, quonam modo ex media acie subduci possunt Numidæ, qui in dextro cornu locati fuerant ? Postremo quid necesse est adjungi Afris in media acie gallos hispanosque pedites, qui in ea semper fuere ? Rem clare ex Polybio discimus. Hasdrubal, qui in lævo cornu hispanis gallisque equitibus præerat, quum occidione occidisset romanum equitatum, transiit in dextrum cornu, et conjunctus Numidis sociorum equites in fugam vertit. Eos deinde persequendos cædendosque permittit Numidis. Ipse cum suis gallis hispanisque equitibus romanos pedites cum Afris tum maxime pugnantes a tergo invadit. Hæc est rerum series, ad quam verba Livii refingere perquam difficile foret. Ed.

5. *Fessis cæde magis quam pugna* brevius dictum pro prælio, opera prælianti, quæ cædes esset magis, verius, quam pugna ; cædendo, non pugnando ; Bauerus.

Cap. XLIX. 1. *Cum confertis*, cum densa manu.

2. *Protegentibus eum equitibus rom.* (primum justo militiæ suæ more in equis ; Gron.) ; *postremo omissis equis* (conf. ad IX, 39, n. 5), ita ut pedites peditem tegerent, quum, consulis exemplum sequuti, ad pedes descendissent. — *Denuntianti*, nuntianti.

3. *Quam mallem vinctos mihi traderet* eos, quam nunc, dum ad ultimum pedibus pugnant, trucidandos ! Strothius. *Quam mallem*, id est, non mallem, vel *quam parum* mallem, non *quantopere :* perinde est, ac si vinctos

victi mori in vestigio[4] mallent, quam fugere; victores, morantibus victoriam irati, trucidarent, quos pellere non poterant. Pepulerunt tamen[5] jam paucos superantes, et labore ac vulneribus fessos. Inde dissipati omnes sunt, equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus, tribunus militum, quum, prætervehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset: « L. Æmili, inquit, quem unum « insontem culpæ cladis hodiernæ dii respicere debent, « cape hunc equum. Dum et tibi virium aliquid super« est, comes ego te tollere possum ac protegere: ne « funestam hanc pugnam morte consulis feceris; etiam « sine hoc[6] lacrymarum satis luctusque est. » Ad ea consul: « Tu quidem, Cn. Corneli, macte virtute esto; « sed cave, frustra miserando exiguum tempus e ma« nibus hostium evadendi absumas. Abi, nuntia pu« blice Patribus, urbem romanam muniant, ac prius, « quam hostis victor adveniat, præsidiis firment; pri« vatimque Q. Fabio, L. Æmilium præceptorum ejus « memorem et vixisse, et adhuc mori[7]. Me in hac strage « militum meorum patere exspirare, ne aut reus ite« rum e consulatu sim, aut accusator collegæ exsistam,

mihi tradidisset; Bauer. Plut. in Fab. p. 183, D, vertit: Τοῦτο μᾶλλον ἠβουλόμην, ἢ εἰ δεδεμένους παρέλαβον, quasi legerit: *quod* vel *id mallem, quam si vinctos m. t.*

4. *Mori in vestigio*, in loco, quo starent; Doer.

5. *Pepulerunt tamen* victores, Pœni, Romanos, *jam paucos superantes*, quum jam pauci eorum superessent; Gron. — *Prætervehens equo* pro *prætervectus*, quod noluit dicere, ut in re velut *nimis* præsenti; Bauer.

6. *Etiam sine hoc*, sine morte tua; ut nos: *ohne diess;* Doer. *Sine hac* conj. Gronov. et paulo ante *insontem culpa.* — *Macte virtute esto;* vide ad II, 12, n. 10.

7. *Et adhuc mori*, nunc, quum maxime; in eo esse, ut (sic memor ejus) moriatur; Bauer. — Walchius, Emend. p. 190, Bauero non assentitur explicanti *adhuc* per *nunc maxime*, quod exemplis probatum vellet, neque tamen cum Vossio deleret particulam: *adhuc* idem est atque *insuper;* confer Horat. Ep. I, 12, v. 15; Tac. Annal. I, 17; Cicer. de Amic. cap. 9; Plin. XXIII, 2, et al. Ed. — *Ne aut reus iterum e consulatu*, post eum, *sim;*

« ut alieno crimine innocentiam meam protegam. » Hæc exigentes[8] prius turba fugientium civium, deinde hostes, oppressere: consulem, ignorantes quis esset, obruere telis; Lentulum inter tumultum abripuit equus: tum inde effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decem in majora, duo ferme in vicum ipsum Cannas perfugerunt: qui extemplo a Carthalone atque equitibus, nullo munimento tegente vicum, circumventi sunt. Consul alter, seu forte, seu consilio, nulli fugientium insertus agmini[9], cum septuaginta fere equitibus Venusiam perfugit[10]. Quadraginta quinque millia peditum, duo millia septingenti equites, et tanta prope civium sociorumque[11] pars, cæsi dicuntur: in his ambo consulum quæstores L. Atilius et L. Furius Bibaculus; unus et viginti tribuni militum; consulares quidam, prætoriique, et ædilicii: inter eos Cn. Servilium Geminum et M. Minucium nume-

vid. ad IV, 31, n. 1; XXII, 35, n. 3; Gron. Obss. IV, 20.

8. *Hæc exigentes*, agentes (ut ap. Cic. ad Div. X, 24), agentes sermone, colloquentes, ἐξηγουμένους, Ernest. Loquentes, inter se quasi expostulantes, certantes amice; Bauer.

9. *Nulli fugientium insertus agmini*, nulli e tribus, modo memoratis. *Īnsertus*, quod etiam Bauero placuisse video, reposui pro vulg. *infestus*, quod ineptum est. *Infertus* conj. Perizon. *Immistus* Gron. (quod recepit Stroth.), et *ingestus* Burm. De numero fugientium, captorum et cæsorum cf. Polyb. III, 117, et Appian. Bell. Han. 24-27.

10. *Cum septuaginta fere equitibus Venusiam* (vid. ad cap. 13 pr.) *perfugit:* ita et Polyb. Conf. XXV, 6. Mox *quinque* post *quadraginta* inserui ex melioribus MSS, quia cap. 59 et 60, *L millia;* et XXV, 6, *plus L millia* memorantur, et ita certe magis sibi constat Livius. Quæ loca nisi obstarent, pro *XLV millia*, cum Strothio suspicari possis *LXV millia*, quoniam Polyb. LXX millia habet, et Livius modo dixerat, 19000 effugisse, supra vero, cap. 36, in castris rom. 87200 fuisse. Cæterum 77000 interiisse scribit Dionys. II, p. 89, 45000 auctor Epit. Liv., 50000 Plut. Fab. pag. 183, 43500 Eutr. III, 10, et 44000 Oros. IV, 16.

11. *Et* in his *tanta prope civium sociorumque pars*, æque magna, par. Ita latine dici dubitabat Dukerus; sed Bauerus monet, τὸ *que*, vel *et* pro *quam*, *ac* positum esse, et *tanta et* pro *tanta quanta*, ut græce ἴσος καὶ pro ὡς, verbi gratia, apud Thucyd. I, 14, ἴσα καὶ ἱκέται ἐσμέν. Gronov. conj. *tanta pr. civ. quanta sociorum*

rant, qui magister equitum priore anno[12], aliquot ante consul fuerat: octoginta præterea aut senatores, aut qui eos magistratus gessissent[13], unde in senatum legi deberent, quum sua voluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo prælio tria millia peditum, et equites trecenti dicuntur.

L. Hæc est pugna Cannensis, Alliensi cladi nobilitate par: cæterum ut illis, quæ post pugnam accidere, levior, quia ab hoste cessatum est; sic strage exercitus gravior fœdiorque. Fuga namque ad Alliam[1] sicut urbem prodidit, ita exercitum servavit: ad Cannas fu-

*pars*. Possis et *æqua* pro *tanta*. Sed neutrum probabile.

12. *M. Minucium, qui mag. equit. priore anno* (vid. cap. VIII, 12 sq.), *aliquot* annis *ante consul fuerat*, scil. an. Urb. 531.

13. *Aut senatores, aut qui eos magistratus gessissent, unde*, e quibus, h. e. quibus gestis, *in senatum legi deberent*, sc. magistratus curules: nam in locum senatorum demortuorum, vel senatu motorum hi a censoribus primi et præ cæteris legi solebant debebantque, deinde alii, qui minores magistratus gerebant aut gesserant; vide infr. XXIII, 23. Festi verba sunt: « Qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum cepere, in senatu sententiam dicunt, non tamen senatores vocantur ante, quam in senioribus sunt censi: » et Gell. III, 18: « Non pauci sunt, qui opinantur, pedarios senatores appellatos, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. Quid igitur, quum senatusconsultum per discessionem fiebat, nonne universi senatores sententiam pedibus ferebant? — Immo pedarii dicti, qui, nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed, quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant, et sententiæ jus habebant: nam et curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant; et, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed, quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significant verba edicti, quo nunc quoque consules, quum senatores in curiam vocant, utuntur: SENATORES QUIBUSQUE IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET. » Cf. ad I, 32, n. 13; XXIII, 32, n. 2; XXVI, 3 pr. XXVII, 34, n. 3 (qui locus huc refertur a Sigonio, sed de M. Livio agit, qui ob dolorem potius et iram ignominiæ acceptæ senatoris partes agere recusavit, donec cognati eum hominis causa *stantem coegit in senatu sententiam dicere*), et XXVIII, 45, n. 3 (ubi vox *senator* a multis MSS abest prob. Gronovio, quia in senatum venerint plures, pluresque sententiam dixerint, quam senatores); Manut. de Sen. rom. cap. 1, p. 906, in Thes. Græv.

Cap. L. 1. *Fuga namque ad Alliam* (vide V, 38) *Urbem prodidit;* vide

gientem consulem vix septuaginta sequuti sunt; alterius morientis prope totus exercitus fuit. Binis in castris quum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntium, qui in majoribus erant, mittunt; *dum prælio, deinde ex lætitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse.* Eam sententiam alii totam aspernari; *Cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non venire, quum æque conjungi possent? quia videlicet plena hostium omnia in medio essent, et aliorum, quam sua, corpora tanto periculo mallent objicere.* Aliis non tam sententia displicere, quam animus deesse. P. Sempronius Tuditanus, tribunus militum, « Capi ergo ma-« vultis, inquit, ab avarissimo et crudelissimo hoste, « æstimarique capita vestra, et exquiri pretia ab inter-« rogantibus, romanus civis sis, an latinus socius [2], ut

ad II, 43, n. 5. — *Alterius morientis prope totus exercitus fuit,* h. e. eum in moriendo, vel ejus moriendi consilium sequutus est; ita ut verbi *mori* vis ex partic. *morientis* repetatur ad verbum *fuit:* nam scripsit ita Livius, ut membra sibi aptius responderent, et passim *esse alicujus* dixit pro *sequi aliquem;* Stroth. Conf. ad III, 36, n. 4, et XXI, 11, n. 1. Eodem fere modo Lipsius hæc verba interpretatus est: Æmilio morienti prope omnis exercitus commoritur. Contra *morientis esse* non latine dici posse pro *commori* monet Gronovius. At Drak. et Crev. notant, *esse alicujus morientis* non per se quidem dici pro *alicui commori,* sed tamen pro: morienti favere, adhærere, sequi, imitari, comitari, et hoc pro: cum eo perire. Gronovius emend. *alterius mortem prope totus exercitus fuit,* ut sensus sit, illos Paulum recta suadentem, prædicentem, deterrentem, et *unum insontem culpa cladis* (vide cap. 49), non audivisse, sed, Varroni vano credulos, traxisse in id periculum, quo simul perierint, adeoque mortem ejus, crimen suum, morte consimili luisse. Sic eadem fere exprimitur sententia: « Sed ineptum Lipsii acumen; Gronovianum vero poeticum plane, immo sophisticum, aut nugatorium, falsum quoque videtur. Cur enim exercitus romanus lueret mortem consulis? Quiane temere pugnassent? Nugæ. Forte innuit Livius, maximam cladem tulisse alterum exercitum, vel cornu Æmilii, quum plures tamen ex altero, Varronis, cornu evaserint. Ne sic quidem placet, nec verum satis est. *Mortui* quoque, non *morientis,* scriberet. Quid, si *fugit* legerimus? » Bauer. Hoc *fugit* in plerisque libris exstat, sed non magis h. l. aptum est. Forte leg. *comes* pro *totus:* quo sensu passim *comes mortis* et *morientis* dicitur.

2. *Romanus civis sis, an latinus*

« ex tua contumelia et miseria alteri honos quæratur? « Non tu : si quidem L. Æmilii consulis, qui se bene « mori, quam turpiter vivere, maluit, et tot fortissi- « morum virorum, qui circa eum cumulati jacent, ci- « ves estis. Sed ante, quam opprimit lux, majoraque « hostium agmina obsepiunt iter, per hos, qui inor- « dinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpa- « mus. Ferro atque audacia via fit, quamvis per confer- « tos hostes. Cuneo quidem hoc laxum atque solutum « agmen, ut si nihil obstet, transibimus. Itaque ite « mecum, qui et vosmet ipsos et rem publicam salvam « vultis. » Hæc ubi dicta dedit[3], stringit gladium, cuneoque facto per medios vadit hostes : et quum in latus dextrum, quod patebat, Numidæ jacularentur, translatis in dextrum scutis, in majora castra ad sexcentos evaserunt; atque inde protenus, alio magno agmine adjuncto, Canusium incolumes perveniunt. Hæc apud victos magis impetu animorum, quem ingenium suum cuique aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum, aut imperio cujusquam, agebantur.

*socius :* nam verendum erat, ne Hannibal, ut olim (vid. c. 7), Romanos, pretio redimendos, in vincula daret, et latini nominis socios sine pretio dimitteret; Doer. — *Non tu*, scil. ita facies, hoc committes; Str. Δειχτικῶς dictum, et ἀποσιώπησις affectui consentanea. Conf. ad I, 7, n. 4; XXII, 39, n. 8; Gron. Obss. IV, 20. — Hæc apostrophe pungit et stimulat singulorum animos : namque acrius movent, quæ unumquemque statim feriunt, quam quæ in universum dicta ad singulos minus fere pertinere videntur. Ed. — *Qui se bene mori, quam turpiter vivere maluit*, pleonasmus pronominis pers. *se*, ut apud Cic. Cat. I, 2, *cupio me clementem esse*; Bauer. Conf. supra ad lib. IX, cap. 3, n. 3.

3. *Hæc ubi dicta dedit*, etc., hexameter integer et dimidius.—*Latus dextrum, quod patebat*, expositum erat, scil. ictui, seu vulneri, ut XXXI, 39, ubi etiam eodem sensu *apertum* dicitur; vide ad XXV, 16, n. 12. Mox *ad sexcenti* leg. cum Jac. Gronovio. Cf. ad lib. IV, c. 59, n. 4. Deinde *protenus* scripsi pro *protinus* (vide ad Juvenal. III, 140; XII, 102), et *impetu animorum, quem* e quibusdam MSS et omnibus antt. edd. ante Gronovium restitui pro *i. a., quod*, etsi refrag. Gron. qui hoc relativum τὸ *hæc* respicere putat : *quod*, sc. ex illis consiliis. Possis et *quos* legere : quod jam monuit Bauerus.

LI. Hannibali victori quum cæteri circumfusi gratularentur, suaderentque, ut, tanto perfunctus bello, diei quod reliquum esset, noctisque insequentis, quietem [1] et ipse sibi sumeret, et fessis daret militibus; Maharbal, præfectus equitum, minime cessandum ratus, « Immo, ut, quid hac pugna sit actum, scias, die « quinto, inquit, victor in Capitolio epulaberis. Se- « quere : cum equite, ut prius venisse, quam ventu- « rum, sciant, præcedam. » Hannibali nimis læta res est visa, majorque, quam ut eam statim capere animo posset. Itaque, *voluntatem se laudare Maharbalis*, ait; *ad consilium pensandum temporis opus esse.* Tum Maharbal, « Non omnia nimirum eidem dii dedere. « Vincere scis, Hannibal; victoria uti nescis. » Mora ejus diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio. Postero die ubi primum illuxit, ad spolia legenda, fœdamque etiam hostibus spectandam stragem insistunt. Jacebant tot Romanorum millia, pedites passim equitesque, ut quem cuique fors aut pugna junxerat aut fuga. Assurgentes quidam ex strage media cruenti,

Cap. LI. 1. *Diei quod reliquum esset, noctisque insequentis, quietem;* v. ad V, 19, n. 3. — *Maharbali* eadem tribuit Valer. Max. IX, 5 extr. 4; sed *Adherbali* (forte per errorem librariorum) Florus II, 6, Magoni Sil. X, 375 sq. et amicis priora, at illa *vincere scis Hannibal, victoria uti nescis* Barcæ Plutarch. in Fab. p. 184. A. Conf. Gell. X, 24, et, qui eum descripsit, Macrob. I, 4. Mox ante *venisse* ex edd. antt. forte inserendum *te.* — Hic ego religiosum haberem prætermittere mentionem viri, cujus nomen ipsam eloquentiam repræsentat : « Tu sais « vaincre, disait un brave Africain au « plus rusé capitaine qui fut jamais, « mais tu ne sais pas user de la vic- « toire. » *Bossuet, Oraison funèbre de la reine d'Angleterre.* Multa de hoc Maharbalis dicto viri clariss. disseruerunt, Hannibalemque ab omni vituperatione defendunt, inpr. Rollinus in Hist. Rom. et *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains,* cap. 4; quorum hic talia notat : « Il n'en « est pas de la consternation d'un « peuple belliqueux, qui se tourne « presque toujours en courage, comme « d'une vile populace, qui ne sent « que sa faiblesse. Une preuve qu'Han- « nibal n'aurait pas réussi, c'est que « les Romains se trouvèrent encore en « état d'envoyer partout du secours. » Etenim præterquam quod munitissima urbs foret, etiam duæ legiones præsi-

quos stricta matutino frigore [2] excitaverant vulnera, ab hoste oppressi sunt. Quosdam et jacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt, nudantes cervicem jugulumque, et reliquum sanguinem jubentes haurire. Inventi sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foveas, obruentesque ora superjecta humo interclusisse spiritum apparebat. Præcipue convertit omnes [3] substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus, naso auribusque laceratis, quum, manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem exspirasset.

LII. Spoliis ad multum diei [2] lectis, Hannibal ad minora ducit castra oppugnanda, et omnium primum, brachio objecto [2], flumine eos excludit: cæterum ab omnibus, labore, vigiliis, vulneribus etiam fessis, maturior ipsius spe deditio est facta. Pacti, ut arma atque

dio Romæ supererant, multaque hominum millia Hannibal ad Cannas amiserat. Ed.

2. *Stricta matutino frigore vulnera*, adstricta, contracta, concreta. — *Sanguinem haurire;* vid. VII, 10, n. 6.

3. *Præcipue convertit omnes* in se et sui admirationem, ut XXVI, 29; XXIX, 26; XLII, 49; XLV, 20. — *Substratus Numida vivus*, quum adhuc vivus esset; nisi hæc vox ab aliena manu est illata: certe *vivus* non inventus est Numida, quia statim subjungitur: *quum exspirasset, naso auribusque* Romani *laceratis;* Doer. Sed unde tum constabat, Numidam *vivum* fuisse substratum Romano? nec commode verba *naso auribusque* ad Romanum, et reliqua ad Numidam referuntur. Præterea Silius VI, 41 sq. et Valer. Max. III, 2, 11, tradunt, Romanum aures nasumque Numidæ laniando dentibus exspirasse: idemque Livius narrabit, modo pro *hostem* reposueris *hostis*, scil. Romanus, forte et *q. eum*, h. e. *quod*, seu *quum eum*, pro *quum*. Cæterum vocem *vivus* suspectam reddit Silius, qui utrumque *exanimem* dicit; nisi forte vivus est inventus Numida, et mox ipse etiam exspiravit. — *Inutilibus*, detruncatis nempe, vel mutilatis; Doer. — *Laniando hostem exspirasset*, laniato hoste, quum eum laniasset.

Cap. LII. 1. *Ad multum diei*, ut XXIII, 27, n. 3, et *in multum diei* XXVII, 2, n. 5; *multa dies* et *nox* III, 60, et XXXV, 4; *ad multum diem* apud Cicer. ad Att. XIII, 9.

2. *Brachio objecto* (vide ad IV, 9, n. 8), *flumine eos excludit*, ut c. 59, *aqua* (et aquatione) *arcere*, vel ut *intercludere* I, 27; III, 70; IV, 39 al. et nostrum *abschneiden*. — *Pacti* Ro-

equos traderent, in capita romana trecenis nummis quadrigatis [3], in socios ducenis, in servos centenis, et ut, eo pretio persoluto, cum singulis abirent vestimentis, in castra hostes acceperunt; traditique in custodiam omnes sunt, seorsum cives sociique. Dum ibi tempus teritur, interea quum ex majoribus castris, quibus satis virium aut animi fuit, ad quatuor millia hominum, et ducenti equites, alii agmine, alii palati passim per agros, quod haud minus tutum erat, Canusium perfugissent, castra ipsa ab sauciis timidisque eadem conditione, qua altera, tradita hosti. Præda ingens parta est: et, præter equos virosque, et si quid argenti [4] (quod plurimum in phaleris equorum erat; nam ad vescendum facto perexiguo, utique militantes, utebantur), omnis cætera præda diripienda data est. Tum sepeliendi causa conferri in unum corpora suorum jussit: ad octo millia [5] fuisse dicuntur fortissimorum virorum. Consulem quoque romanum conquisitum sepultumque, quidam auctores sunt. Eos, qui

mani, quum paciscendo promisissent, se *in capita rom.*, pro singulo quoque Romano, pretium 300 nummorum daturos esse (nam *pacisci* et *aliquid* et *aliqua re* dicitur), ea conditione, *ut arma atque equos traderent, in castra* sua obsessa *acceperunt hostes*, h. e. Pœnos; Doer. Ego potius transpositis verbis legendum crediderim: *pacti, ut arma atque equos traderent, et ut, pretio persoluto, in capita rom. trecenis... centenis, cum singulis abirent vestimentis.*

3. *Trecen. num. quadrigatis*, argenteis, seu denariis; Stroth. Τρεῖς μνᾶς habet Polyb. VI, 58, 5. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ, et inde bigati* (ut XXIII, 15, et *argentum bigatum* XXXIII, 23, 37; XXXVI, 39, 40 al.) *quadrigatique dicti*, Plin. XXXIII, 3, seu 13. Conf. ad XXIII, 15, n. 5. — Trecenti quadrigati, secundum Creverii supputationes, efficiunt marcas argenti nostratis 4 cum unciis 5 et dimidia unciæ parte; centum æquant marcam unam cum quatuor unciis et semuncia. Ed.

4. *Et si quid argenti* erat, *quod plurimum in phaleris equorum* (vide ad IX, 46, n. 16) *erat: nam ad vescendum facto* argento, supellectile mensaria, ex argento facta, *perexiguo* tum homines, *utique*, saltem, vel præcipue (vide II, 30, n. 1), *militantes, utebantur.*

5. *Ad octo millia*, 5700 ap. Polyb. III, 117. — *Consulem quoque rom. c. s. quidam auctores sunt* (vide ad

Canusium perfugerant, mulier Apula, nomine Busa, genere clara ac divitiis, mœnibus tantum tectisque a Canusinis acceptos, frumento, veste, viatico etiam juvit : pro qua ei munificentia postea, bello perfecto, ab senatu honores habiti sunt.

LIII. Cæterum, quum ibi tribuni militum quatuor essent, Fabius Maximus de legione prima, cujus pater priore anno dictator fuerat, et de legione secunda L. Publicius Bibulus et P. Cornelius Scipio, et de legione tertia Ap. Claudius Pulcher, qui proxime ædilis fuerat; omnium consensu ad P. Scipionem, admodum adolescentem, et ad Ap. Claudium summa imperii[1] delata est. Quibus consultantibus inter paucos de summa rerum, nuntiat P. Furius Philus consularis viri filius : *Nequidquam eos perditam spem fovere : desperatam comploratamque rem esse publicam*[2]. *Nobiles juvenes quosdam, quorum principem L. Cæcilium Metellum*[3], *mare ac naves spectare, ut, deserta Italia, ad regem aliquem transfugiant.* Quod malum, præterquam atrox, super tot clades etiam novum, quum stupore ao miraculo torpidos defixisset[4], et, qui aderant, consilium advocandum de eo censerent; negat consilii rem esse Scipio juvenis, fatalis dux[5] hujusce belli.

II, 58, n. 1); conf. Sil. X, 503 sq. De *Busa* conf. Val. Max. IV, 8, 2.

Cap. LIII. 1. *Summa imperii* et *rerum;* vide ad III, 5, n. 6.

2. *Desperatam comploratamque remp.;* vide ad III, 38, n. 3.

3. *Nobiles juvenes quosdam, quorum principem L. Cæcilium Metellum,* etc.; vide ad Sil. X, 415 sq. — *Ad regum aliquem* edd. ante Drak.; sed ita Livius *finitimorum* vel simile quod addidisset; Doer. Mox *præterquam quod atrox* edd. ante Gronov., non MSS; vide ad V, 14, n. 5.

4. *Quum stupore ac miraculo torpidos defixisset;* vide ad III, 47, n. 9. Mox pro *consilium* et *consilii* al. *concilium* et *concilii;* vid. I, 54, n. 1.

5. *Fatalis dux hujusce belli;* vide ad V, 19, n. 3. Mox *nullo* (sc. loco) omnes fere MSS. *Nusquam* edd. ante Gronovium. Hoc glossam redolet : sed illud nemo, quod sciam, ita dixit. Immo leg. *nulla,* quod et monuit Bauer.; etsi Schæfer. adversatur, qui putat, ipsam lectionis varietatem arguere, *nullo* a Livii manu profectum esse. — Nostri ferunt *nullo.* Ed.

*Audendum atque agendum, non consultandum*, ait, *in tanto malo esse. Irent secum extemplo armati, qui rempublicam salvam vellent. Nullo verius, quam ubi ea cogitentur*[6], *hostium castra esse*. Pergit ire, sequentibus paucis, in hospitium Metelli; et, quum concilium ibi juvenum, de quibus allatum erat, invenisset, stricto super capita consultantium gladio, « Ex « mei animi sententia[7], inquit, ut ego rempublicam « populi romani non deseram, neque alium civem ro- « manum deserere patiar. Si sciens fallo[8], tu me, Ju- « piter optime maxime, domum, familiam, remque « meam pessimo leto afficias[9]! In hæc verba, L. Cæ- « cili, jures, postulo, cæterique, qui adestis: qui non « juraverit, in se hunc gladium strictum esse sciat. » Haud secus pavidi, quam si victorem Hannibalem cernerent, jurant omnes; custodiendosque semet ipsos Scipioni tradunt.

LIV. Eo tempore, quo hæc Canusii agebantur, Venusiam ad consulem ad quatuor millia peditum equitumque, qui sparsi fuga per agros fuerant, pervenere. Eos omnes Venusini per familias benigne accipiendos curandosque quum divisissent, in singulos equites togas, et tunicas[1], et quadrigatos nummos quinos vice-

6. *Quam ubi ea cogitentur;* vide ad II, 29, n. 6.

7. *Ex mei animi sententia*, scil. *juro*, quod in edd. antt., non in MSS addi, et in formulis jurandi sæpe omitti docet Gron. Obss. IV, 14. Sed ita displicet τὸ *ut* post *juro*, et forte delendum. Conf. XLIII, 15 extr. — Vocabulum *ut* defendit Creverius, notatque hanc formulam jurisjurandi, sicut evenit fere semper in illis pervulgati usus formulis, nonnulla supplenda relinquere. Sic locum explanat: Vere et ex animo precor, ita me dii juvent, ament, *ut ego remp.*, etc. Ed.

8. *Si sciens fallo, tu me*, etc., ex 4 MSS recepi, suadente Jac. Gronov. qui etiam I, 32, ex I, 25, XXI, 45, et aliis locis emendandum putabat. In plerisque MSS *tum* et *afficiat*. Neutrum improbat Drakenborchius; illud vero *tum* defendunt Duker. ad I, 24, 8, et Fabrett. in Inscr. p. 674.

9. *Remque meam* familiarem *pessimo leto afficiat*, interitu, ut ap. Virg. Æn. V, 690.

Cap. LIV. 1. *Togas et tun.* Hinc, et ex aliis Livii locis XXIX, 3 et 36,

nos, et peditibus denos, et arma, quibus deerant, dederunt: cæteraque publice ac privatim hospitaliter facta; certatumque, ne a muliere canusina[2] populus venusinus officiis vinceretur: sed gravius onus Busæ multitudo faciebat, et jam ad decem millia hominum erant. Appiusque et Scipio[3], postquam incolumem esse alterum consulem acceperunt, nuntium extemplo mittunt, quantæ secum peditum equitumque copiæ essent: sciscitatumque simul, utrum Venusiam adduci exercitum, an manere juberet Canusii? Varro ipse Canusium copias traduxit: et jam aliqua species consularis exercitus erat; mœnibusque se certe, si non armis, ab hoste videbantur defensuri. Romam, ne has quidem reliquias superesse civium sociorumque, sed occisione occisos cum duobus exercitibus consules, deletasque omnes copias, allatum fuerat. Numquam, salva urbe, tantum pavoris tumultusque intra mœnia romana fuit. Itaque succumbam oneri[4], neque aggrediar narrare, quæ edissertando minora vero fecero. Consule exercituque ad Trasimenum priore anno amisso, non vulnus super vulnus[5], sed multiplex clades, cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi nuntiabantur: nec ulla jam castra romana, nec ducem,

XLIV, 16, probandum videtur togas etiam a militantibus gestatas. At primo, ut observat Creverius, intelligendi sunt togis usi fuisse non in acie, sed in hibernis, aut in otio castrorum. Deinde quum hic de solis equitibus mentio fiat, et in duobus locis supra memoratis numerus togarum quæ mittuntur ad exercitus, longe minor sit tunicarum numero, nec sufficiens profecto ad totum exercitum, hinc colligit Aldus Man. lib. III, de Quæs. per ep. 1, togas honestioribus tantum in usu fuisse, puta equitibus, centurionibus, etc. Ed. — *Quadrigatos nummos;* v. supra ad cap. 52, n. 3.

2. *A muliere Canusina, Busa;* vid. cap. 52 extr.

3. *Appiusque* (vide ad I, 43, n. 4) *et Scipio;* conf. cap. 53 pr.

4. *Succumbam oneri:* hæc explicantur verbis seqq.

5. *Non vulnus super vulnus,* non una simplexque nunc clades, quæ ad illam, ad Trasimenum acceptam, accesserit, *sed multiplex clades, cum duobus consulibus duo consulares exercitus amissi,* etc.

nec militem esse : Hannibalis Apuliam[6], Samnium ac jam prope totam Italiam factam. Nulla profecto alia gens tanta mole cladis non obruta esset. Compares cladem ad Ægates insulas[7] Carthaginiensium, prælio navali acceptam, qua fracti Sicilia ac Sardinia cessere, hinc vectigales ac stipendiarios[8] fieri se passi sunt; aut pugnam adversam in Africa[9], cui postea hic ipse Hannibal succubuit : nulla ex parte comparandæ sunt, nisi quod minore animo latæ sunt.

LV. P. Furius Philus et M'. Pomponius prætores senatum in curiam Hostiliam[1] vocaverunt, ut de urbis custodia consulerent. Neque enim dubitabant, deletis exercitibus, hostem ad oppugnandam Romam, quod unum opus belli restaret, venturum. Quum in malis, sicut ingentibus, ita ignotis, ne consilium quidem satis expedirent, obstreperetque clamor lamentantium mulierum, et, nondum palam facto[2], vivi mortuique per omnes pæne domos promiscue complorarentur; tum Q. Fabius Maximus censuit, *equites expeditos et Appia et Latina via mittendos, qui obvios percunctando (aliquos profecto ex fuga passim dissipatos fore*[3]*) referant, quæ fortuna consulum atque exercituum sit; et, si quid dii immortales, miseriti imperii,*

6. *Hannibalis Apuliam... factam;* vide XXI, 30, n. 5. Mox *Compares* ex optimis MSS recepi pro vulg. *Comparem*, et interpunctionem mutavi.

7. *Cladem ad Ægates ins..... qua fracti Sicilia ac Sardinia cessere;* vid. ad XXI, 1, n. 6, et XXI, 10, n. 8.

8. *Vectigales ac stipendiarios;* vide ad V, 10, n. 5.

9. *Pugnam adversam in Africa* ad Zamam.

Cap. LV. 1. *In curiam Hostiliam;* vide ad I, 30, n. 3.

2. *Nondum palam facto*, quum et quamvis nondum palam factum esset, qui vivi, qui mortui essent, tamen *vivi mortuique*, etc.; Doer. — *Complorarentur;* conf. ad V, 39, n. 3. — *Equites expeditos* (vide V, 16, n. 2) *Appia et Latina via;* vide II, 39, n. 3, et IX, 29, n. 5.

3. *Aliquot profecto ex fuga passim dissipatos fore* emend. Jac. Gronov. quam probavit Drakenb., et recepit jam Stroth. Conf. cap. 7 med. Vulgo inepte legitur : *qui obvios percunctando, aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos, forte referant.* Bauer. pæne

*reliquum romano nomini fecerint, ubi eæ copiæ sint: quo se Hannibal post prælium contulerit: quid paret, quid agat, acturusque sit. Hæc exploranda noscendaque per impigros juvenes esse. Illud per Patres ipsos agendum, quoniam magistratuum parum sit, ut tumultum ac trepidationem in urbe tollant, matronas publico arceant*[4]*, continerique intra suum quamque limen cogant; comploratus familiarum coerceant; silentium per urbem faciant; nuntios rerum omnium ad prætores deducendos curent; suæ quisque fortunæ domi auctorem exspectent, custodesque præterea ad portas ponant, qui prohibeant quemquam egredi urbem; cogantque homines nullam, nisi urbe ac mœnibus salvis, salutem sperare. Ubi conticuerit tumultus, recte tum in curiam Patres revocandos, consulendumque de urbis custodia esse.*

LVI. Quum in hanc sententiam pedibus omnes issent[1], submotaque foro per magistratus turba, patres diversi ad sedandos tumultus discessissent; tum demum litteræ a Terentio consule allatæ sunt: *L. Æmilium consulem exercitumque cæsum; sese Canusii esse, reliquias tantæ cladis*[2] *velut ex naufragio colligentem: ad decem millia militum ferme esse incompositorum*

malit *provectos* legere, aut verbum hoc pro glossemate inducere. — *Romano nomini;* vide ad I, 10, n. 2.

4. *Matronas publico arceant,* ut contra *intra suum limen,* h. e. ædes. Cf. ad II, 24, n. 6. — *Suæ fortunæ auctorem;* vide ad II, 58, n. 1. — Creverius ait sibi magis placere *exspectet;* hoc enim verbum non ad Patres, ut reliqua, sed ad quemque civem refertur; et in hoc sensu multum impedimenti affert pluralis numerus. Ed.

Cap. LVI. 1. *In hanc sententiam pedibus issent;* vide ad I, 32, n. 13. — *Patres diversi discessissent;* vid. ad III, 60, n. 1. — *Consulem exercitumque cæsum,* cum magna cæde ac clade fugatum; v. Ern. et Oudend. ad Suet. Vesp. 4.

2. *Reliquias tantæ cladis;* vide ad IV, 27, n. 1. Mox *ad XIV millia militum* conj. Gronov., quia X millia jam fuerint Canusii antequam Varro cum IV millibus eo venerit; vide cap. 54. Sed Matthiæ (vide ad cap. 36, n. 2) monet, supra cap. 54, *X millia hominum,* non *militum,* memorari, et verba Manlii, cap. 60, a Drakenb. laudata,

*inordinatorumque: Pœnum sedere ad Cannas*[3] *in captivorum pretiis prædaque alia; nec victoris animo, nec magni ducis more, nundinantem.* Tum privatæ quoque per domos clades vulgatæ sunt: adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit[4]; quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat. Itaque, ne ob eamdem causam alia quoque sacra publica aut privata desererentur, senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus. Cæterum quum, sedato urbis tumultu, revocati in curiam Patres essent, aliæ insuper ex Sicilia literæ allatæ sunt ab T. Otacilio proprætore, *Regnum Hieronis classe punica vastari: cui quum opem imploranti ferre vellet, nuntiatum sibi esse, aliam classem ad Ægates insulas stare, paratam instructamque; ut, ubi se versum ad tuendam syracusanam oram Pœni sensissent, Lilybæum extemplo provinciamque aliam*[5] *romanam aggrederentur. Itaque classe opus esse, si regem socium Siciliamque tueri vellent.*

LVII. Literis consulis proprætorisque lectis, censuerunt M. Claudium[1], qui classi ad Ostiam stanti præesset, Canusium ad exercitum mittendum, scribendum-

*haberetis hodie XX millia armatorum Canusii*, non favere huic conjecturæ, quum X millia fuerint apud Varronem, et 12200 in duobus castris se hosti tradiderint.

3. *Pœnum sedere ad Cannas;* vide ad VII, 37, n. 4. — *Nundinantem:* obversata nostro videntur verba Ennii ap. Cic. Off. I, 12, *Non cauponantes bellum, sed belligerantes.* Doer.

4. *Sacrum anniversarium Cereris intermissum* ob luctum (conf. Ovid. Fast. IV, 389 sq., 619 sq.; Alex. ab Alex. VI, 19; Rosin. Ant. rom. IV, 8; V, 14), et *senatusconsulto diebus triginta luctus est finitus;* cf. ad librum XXXIV, cap. 6 f.

5. *Provinciamque aliam romanam;* vide ad IV, 10, n. 2.

Cap. LVII. 1. *Censuerunt, M. Claudium* Marcellum, etc., de quo mox plura. *Censuerunt* in 2 MSS legitur (in altero tamen post *mittendum*), et in tertio *censent.* Hos sequutus cum Str. inserui verbum illud, ut commoda saltem corrupti loci sententia exoriretur; etsi et hoc et alia verba (scilicet *literis c. p. lectis*) glossatori potius tri-

que consuli, ut, quum prætori exercitum tradidisset, primo quoque tempore, quantum per commodum reipublicæ fieri posset [2], Romam veniret. Territi etiam super tantas clades, quum cæteris prodigiis, tum quod duæ Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri compertæ, et altera sub terra, ut mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciverat. L. Cantilius, scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant [3], qui cum Floronia stu-

buenda et expungenda, quam plura a librariis omissa et inserenda, quod Gronovius suspicatur, crediderim. In plerisque MSS legitur *literis consulis prætorisque Ap. Claudium*, in multis non nisi *prætoris quem Ap. Claudium*. Hinc forte leg. *prætorem itaque visum* aut *placitum* (sc. Patribus est) *M.* vel *Ap. Claudium*, etc. In solo Put. est *Marcium Claudium*, in cæteris MSS *Ap. Claudium*.

2. *Quantum per commodum reip. fieri posset;* vide ad V, 12, n. 6, et XXII, 12, n. 8. — *Duæ Vestales, stupri compertæ* (vid. ad VII, 4, n. 2), *et altera sub terra, ut mos est, ad portam Collinam necata fuerat;* vide ad II, 42, n. 11. *Sub terram* (scilicet demissa) alii, ut et mox quidam libri: *in foro boario sub terram vivi demissi sunt in locum saxo conseptum*, improbante Dukero, qui jungit *in locum sub terra*, h. e. subterraneum. Confer tamen et ad VIII, 15, n. 6.

3. *L. Cantilius, scriba pontif., quos nunc minores pontifices appellant;* cf. Dukerum ad hunc locum, et Noris. ad Cenotaph. Pis. Diss. I, cap. 5, qui putant, *pontifices minores* non quatuor fuisse plebeios, quos supra X, 6, totidem patriciis additos legimus (quod statuit Guther. jur. Pontif. I, 17, 22), neque etiam septem pontifices, a Sulla illis adjectos, sed plane non pertinuisse ad collegium pontificum, quod proprie dicatur. Ex nostro loco hic colligit, *scribas pontificum* Livii temporibus *pontifices minores* appellatos; ille vero, olim unum tantum talem scribam pontificemque fuisse, posteaque auctum numerum, et tres memorari a Cicerone de Harusp. resp. c. 6; in loco autem Capitol. in Opil. Macrino, cap. 7, *quum scriba pontificum esset, quos hodie pontifices minores vocant*, suspectum esse voc. *hodie*. Conf. Macrob. Sat. I, 15, ubi *pontifex minor* jam *priscis temporibus*, eique hæc provincia tribuitur, ut novæ lunæ primum observaret aspectum, visam regi sacrificulo nuntiaret, et, sacrificio cum eo celebrato, numerum dierum, qui a Kalendis ad Nonas superessent, kalando proderet. Scrupulum tamen mihi injiciunt tum ipsa illa appellatio (scribam scil. pontificis vocatum esse pontificem, etsi minorem), tum quod Livius ita dixisset *Cantilius, pontifex minor*, aut certe, si τὸ *quos* ad vocem *scriba*, non *pontificis*, retulisset, *Cantilius, pontificis scriba*. Mihi totum illud *quos nunc m. p. appellant* glossam redolere videtur, saltem τὸ *quos* ad *pontificis* spectare. Conf. Schelleri Lex. et Ern. Clav. Cic.

prum fecerat, a pontifice maximo[4] eo usque virgis in comitio cæsus erat, ut inter verbera exspiraret. Hoc nefas quum inter tot, ut fit, clades in prodigium versum esset, decemviri libros adire jussi sunt[5]. Et Q. Fabius Pictor[6] Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus suppliciisque deos possent placare, et quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta; inter quæ Gallus et Galla, Græcus et Græca[7], in foro boario sub terra vivi demissi sunt in locum saxo conseptum, jam ante hostiis humanis, minime romano sacro, imbutum. Placatis satis, ut rebantur, deis, M. Claudius Marcellus ab Ostia mille et quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam, ut urbi præsidio essent, mittit; ipse, legione classis (ea tertia legio erat) cum tribunis militum Teanum Sidicinum[8] præmissa, classe tradita P. Furio Philo

4. *A pontifice maximo*, ejus jussu, *virgis in comitio* (vide ad I, 36, n. 6) *cæsus*, etc. Conf. Suet. Dom. 8.

5. *Decemviri libros adire jussi;* vid. ad III, 10, n. 6.

6. *Q. Fabius Pictor*, annalium scriptor. Conf. Appian. Bell. Haun. 27. — *Quibus precibus suppliciisque*, supplicationibus. Conf. XXVII, 50; ad Tac. Annal. III, 64, n. 3; Cortium ad Sall. Cat. IX, 2; Jugurth. XLVI, 2. *Sacrificiisque*, vel *piaculisque* conj. Doer., quia *sacrificia aliquot extraordinaria facta*. Sed hæc facta *interim*, donec Fabius Delphis rediisset, et *supplicia*, ut et *supplicationes*, dicuntur omnia venerationis deorum genera, preces, sacrificia, etc. Conf. ad III, 63, n. 2.

7. *Gallus et Galla, Græcus et Gr., in foro boario* (vide ad X, 23, n. 2) *sub terra vivi demissi*, etc. Conf. n. 2. Factum autem hoc, quia oraculum utrique populo possessionem Urbis promiserat, atque hac expiatione reipublicæ pernicies ei impendens in illos verteretur. — *Sub terra*. Exempla colligit Walchius, Emend. p. 90, ut hanc lectionem defendat; nimirum hæ similesque loquendi rationes, quæ Græcos legenti libros fere oculis se ingerebant, et ad imitationem alliciebant, notandæ, non ad vulgarem grammaticam exigendæ sunt. Valet de his inprimis vulgatum illud : « Aliud est grammatice, aliud latine scribere. » Ed. — *Jam ante hostiis humanis... imbutum*, quod, testibus Orosio, IV, 13; Zonar. VIII, 19, et Plutarcho in Marcello, p. 299, factum initio proximi belli gallici; Gron.

8. *Teanum Sidicinum* (v. ad VIII, 15, n. 1) *præmissa*, quam mox ipse sequutus est, et Canusium duxit. —

collegæ, paucos post dies Canusium magnis itineribus contendit. Dictator ex auctoritate Patrum dictus M. Junius[9], et Ti. Sempronius magister equitum, delectu edicto, juniores ab annis septemdecim[10] et quosdam prætextatos scribunt: quatuor ex his legiones, et mille equites effecti. Item ad socios latinumque nomen[11], ad milites ex formula accipiendos, mittunt. Arma, tela, alia parari jubent: et vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque. Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit: octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos[12], vellentne militare, empta publice armaverunt. Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captivos copia fieret.

LVIII. Namque Hannibal, secundum tam prosperam ad Cannas pugnam, victoris magis, quam bellum gerentis, intentus curis, quum, captivis productis segregatisque, socios[1], sicut ante ad Trebiam Trasime-

*Classe tradita Furio*, non omnino militibus vacua; Glar.

9. *Dictator dictus M. Junius* Pera, consularis censoriusque. — *Ti. Sempronius* Gracchus, ædilis curulis.

10. *Juniores ab annis XVII;* vide ad cap. 11, n. 8. — *Prætextati*, qui *prætexta* (toga alba, cui prætextus limbus purpureus; *prætextæ purpura togæ* infr. XXXIV, 7 pr.) utebantur, magistratus curules, sacerdotes quidam, et inpr., ut et h. l., pueri nobiliores (sed et ignobiliores, ut XLII, 34, n. 3), vel admodum adolescentes, qui eam ineunte anno vitæ XV, die tirocinii, cum toga virili permutabant; de quo vide ad Tac. Annal. XII, 41 pr. Conf. XXIX, 38 (ubi vide Duk.); XXXIV, 7 pr.; XLII, 34, n. 3, et in Ind. voc. *Prætextati* et *Toga*.

11. *Item ad socios latinumque nomen* (vide ad I, 10, n. 2, et II, 42, n. 7), *ad milites ex formula accipiendos*, ex lege fœderis, ex pacto, ut XXVII, 10. Conf. ad cap. 36, n. 4, et ad IV, 8, n. 4. — *Arma, tela, alia parari jubent;* vide ad I, 43, n. 4, et XLII, 52, n. 6. — *Vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque,* quod non nisi summa necessitate urgente fas erat, et hinc excusatur a Val. Max. VII, 6, 1. Conf. ad IV, 20, n. 1, et XXIV, 21, n. 5.

12. *Prius sciscitantes singulos, vellentne militare:* unde servi in militiam conscripti sæpe *volones* dicuntur (vide in Indice voc. *Volones*), et *voloni* opponitur *liber*, XXIII, 35; ac *justus miles*, XXIV, 14, n. 3.

Cap. LVIII. 1. *Segregatisque, socios;* in edd. ante Drak. *segregatisque sociis, eos:* sed τὸ *eos* a plerisque MSS

numque lacum, benigne allocutus, sine pretio dimisisset; Romanos quoque vocatos, quod nunquam alias antea, satis miti sermone alloquitur : *Non internecinum sibi esse cum Romanis bellum : de dignitate atque imperio certare. Et patres virtuti romanæ cessisse : et se id adniti, ut suæ in vicem simul felicitati et virtuti cedatur; itaque redimendi se captivis copiam facere. Pretium fore in capita, equiti quingenos quadrigatos nummos*[2], *trecenos pediti, servo centenos.* Quanquam aliquantum adjiciebatur equitibus ad id pretium, quod pepigerant dedentes se; læti tamen quamcumque conditionem paciscendi acceperunt. Placuit suffragio ipsorum decem deligi, qui Romam ad senatum irent : nec pignus aliud fidei, quam ut jurarent se redituros, acceptum. Missus cum his Carthalo, nobilis Carthaginiensis, qui, si forte ad pacem inclinarent animos[3], conditiones ferret. Quum egressi castris essent, unus ex iis, minime romani ingenii homo, velut aliquid oblitus, jurisjurandi solvendi causa quum in castra rediisset, ante noctem comites assequitur. Ubi eos Romam venire nuntiatum est, Carthaloni obviam lictor missus, qui dictatoris verbis nuntiaret, ut ante noctem excederet finibus romanis.

abest. *Segregatos socios* conj. Gronov. — *Sicut ante ad Trebiam*, etc. Conf. cap. 7, et Polyb. III, 77.

2. *Pretium fore in capita, equiti D quadrigatos nummos*, etc.; vide ad cap. 23, n. 4, et ad cap. 52, n. 2, 3. — *Servo centenos* pro vulg. *s. centum* ex vet. libro Sigon. recepi.

3. *Ad pacem inclinarent animos* Romanorum; vide ad VIII, 21, n. 5. — *Quum egressi castris essent, unus ex iis*, etc.; idem tradunt Polyb. VI, 58; Cicer. Off. I, 13, et Polyb. apud Cic. Off. III, 32 : sed omnes decem eadem fraude in castra rediisse, Acilius, qui græce historiam scripsit, ap. Cicer. l. l. Utraque fama memoratur infr. cap. 61. Conf. Gell. VII, 18, qui duos revertisse dicit. — *Excederet finibus romanis.* Miranda est hic senatus romani constantia, et veteris disciplinæ observantia. Sicut olim cum Pyrrho, nunc cum Hannibale agit. Hos ne primo impetu, et quasi nominis sui solo terrore Pœnus expugnasset? Non certe in tantum facinus valuisset exercitus, ipsa victoria exhaustus, quum sternendum fuisset rebellans il-

LIX. Legatis captivorum senatus ab dictatore datus est. Quorum princeps M. Junius, « Patres conscripti, « inquit, nemo nostrum ignorat, nulli unquam civi- « tati viliores fuisse captivos, quam nostræ. Cæterum, « nisi nobis plus justo nostra placet causa [1], non alii « unquam minus negligendi vobis, quam nos, in ho- « stium potestatem venerunt. Non enim in acie per « timorem arma tradidimus; sed, quum prope ad no- « ctem superstantes cumulis cæsorum corporum præ- « lium extraxissemus, in castra recepimus nos. Diei « reliquum ac noctem insequentem, fessi labore ac « vulneribus, vallum sumus tutati. Postero die, quum « circumsessi ab exercitu victore aqua arceremur [2], nec « ulla jam per confertos hostes erumpendi spes esset, « nec esse nefas duceremus, quinquaginta millibus ho- « minum ex acie nostra trucidatis, aliquem ex can- « nensi pugna romanum militem restare; tum demum « pacti sumus pretium, quo redempti dimitteremur: « arma, in quibus nihil jam auxilii erat, hosti tradidi- « mus. Majores quoque acceperamus se a Gallis auro « redemisse : et patres vestros [3], asperrimos illos ad « conditionem pacis, legatos tamen captivorum redi- « mendorum gratia Tarentum misisse. Atqui et ad Al- « liam cum Gallis [4], et ad Heracleam cum Pyrrho, utra- « que non tam clade infamis, quam pavore ac fuga,

lud robur, a nostrate *Montesquieu* tam vividis coloribus adumbratum. Ed.

Cap. LIX. 1. *Nobis plus justo nostra placet causa*, res, quæ ad nos pertinet, et a nobis defenditur, melior justiorque nobis videtur, quam est.

2. *Aqua arcer.*; vid. c. 52, n. 2. — *L m. h. ex a. n. t.*; vide c. 49, n. 9.

3. *Et patres vestros* (edd. ante Gronovium *nostros*), *asperrimos illos*, contumacissimos, et minime inclinantes *ad conditionem pacis* accipiendam, *legatos tamen*, C. Fabricium et alios, *captivorum redimendorum gratia Tarentum misisse* ad Pyrrhum, socium Tarentinorum, post pugnam ejus cum P. Valerio Lævino cos. inter *Heracleam* et Pandosiam ad Sirim flumen, qui in sinum tarentinum effunditur. Confer XXV, 6, n. 3, et Flor. I, 18, n. 7; vide Plut. Pyrrh. p. 392-395.

4. *Atqui et ad Alliam cum Gallis*,

« pugna fuit. Cannenses campos acervi romanorum cor-
« porum tegunt : nec supersumus pugnæ [5], nisi in qui-
« bus trucidandis et ferrum et vires hostem defecerunt.
« Sunt etiam de nostris quidam, qui ne in acie quidem
« refugerunt, sed, præsidio castris relicti, quum ca-
« stra traderentur, in potestatem hostium venerunt.
« Haud equidem ullius civis et commilitonis fortunæ
« aut conditioni invideo, nec premendo alium me ex-
« tulisse velim [6] : ne illi quidem (nisi pernicitatis pe-
« dum et cursus aliquod præmium est), qui plerique
« inermes ex acie fugientes non prius, quam Venusiæ
« aut Canusii, constiterunt, se nobis merito prætule-
« rint, gloriatique sint, in se plus, quam in nobis,
« præsidii reipublicæ esse. Sed illis et bonis ac forti-
« bus militibus utemini [7]; et nobis etiam promptiori-
« bus pro patria, quod beneficio vestro redempti, at-
« que in patriam restituti fuerimus. Delectum ex omni
« ætate et fortuna habetis : octo millia servorum audio
« armari. Non minor numerus noster est, nec majore
« pretio redimi possumus, quam hi emuntur. Nam si
« conferam nos cum illis, injuriam nomini romano fa-
« ciam. Illud etiam in tali consilio animadvertendum

etc.; est assumptio argumenti, quo probat redemptos aliquando captivos, etsi pavore potius ac fuga, quam vi ac virtute hostium, clades accepta esset; Gronov.

5. *Nec supers. pugnæ*, nec quisquam nostrum in pugna non periit, vel nos, qui non cæsi sumus in pugna, non alii sumus, *nisi in quibus trucidandis*, ad quos trucidandos, et *ferrum et vires defecerunt hostem*, vel *hosti;* nam dicitur et *deficere aliquem*, h. e. destituere, seu deserere, et *deficere alicui*, h. e. deesse; vel potius *res deficit* se apud *me*, et *res defic.* se *mihi*. — *Qui ne in acie quidem*, scil. pugnantes *refugerunt;* Doer. *Ex acie* emend. Perizon.

6. *Premendo alium me extulisse velim;* vide ad cap. 12, n. 13.

7. *Sed illis et bonis ac fortibus*, etc. Ut oppositorum ratio constet, lege: *Sed et illis et nobis bonis ac fort. mil. utemini, nobis etiam promptioribus;* Bauer. — *Non minor numerus noster est*, forte *nec multo minor :* nam ex cap. seq. constat, fuisse septem millia captivorum; Periz. An *vix minor?* Sed sponte hæc Junium per invidiam auxisse videri, jam monuit Drak.

« vobis censeam, Patres conscripti (si tamen duriores « esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis), cui « nos hosti relicturi sitis; Pyrrho videlicet, qui nos « hospitum numero habuit captivos [8], an barbaro ac « Pœno, qui utrum avarior, an crudelior, sit, vix exi- « stimari potest. Si videatis catenas, squalorem, de- « formitatem civium vestrorum, non minus profecto « vos ea species moveat, quam si ex altera parte cer- « natis stratas cannensibus campis legiones vestras. In- « tueri potestis sollicitudinem et lacrymas in vestibulo « curiæ stantium cognatorum nostrorum, exspectan- « tiumque responsum vestrum. Quum ii pro nobis, pro- « que iis, qui absunt, ita suspensi ac solliciti [9] sint; « quem censetis animum ipsorum esse, quorum in « discrimine vita libertasque est? Si, me dius fidius, « ipse in nos mitis Hannibal contra naturam suam esse « velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, « quum indigni, ut a vobis redimeremur, visi sumus. « Rediere Romam quondam remissi a Pyrrho sine pre- « tio capti : sed rediere cum legatis, primoribus civi- « tatis, ad redimendos sese missis. Redeam ego in pa- « triam [10], trecentis nummis non æstimatus civis? Suum « quisque habet animum, Patres conscripti. Scio in dis- « crimine esse vitam corpusque meum : magis me famæ « periculum movet, ne a vobis damnati ac repulsi abea- « mus; neque enim vos pretio pepercisse homines « credent. »

8. *Nos hospitum numero habuit captivos*, h. e. nostros, Romanos; Duk. Forte del. *nos;* Bauer. *Vos* Put. Flor. Gaertn. et Hav.; unde Creverius conj. *suos*. — *Existimari;* vide ad librum IV, cap. 15, n. 1.

9. *Suspensi ac solliciti;* conf. ad II, 32, n. 5. — *Me dius fidius;* vide ad II, 31, n. 5. Mox *visi simus* recte, opinor, conj. Mur. et Gron.

10. *Redeam ego in patriam*, etc.? optemne ego in patriam redire, ubi civis habetur indignus, qui 300 nummis redimatur? Doer. Loquitur et nomine captivorum. — *Magis me famæ*, etc.; ante *magis* supple *sed, verum*.

LX. Ubi is finem fecit, extemplo ab ea turba, quæ in comitio erat[1], clamor flebilis est sublatus, manusque ad curiam tendebant orantes, ut sibi liberos, fratres, cognatos redderent. Feminas quoque metus ac necessitas in foro turbæ huic virorum immiscuerat. Senatus, submotis arbitris, consuli cœptus. Ibi quum sententiis variaretur, et alii redimendos[2] de publico, alii nullam publice impensam faciendam, nec prohibendos ex privato redimi; si quibus argentum in præsentia deesset, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum populo[3], censerent; tum T. Manlius Torquatus, priscæ ac nimis duræ, ut plerisque videbatur, severitatis, interrogatus sententiam, ita loquutus fertur : « Si tantummodo « postulassent legati pro iis, qui in hostium potestate « sunt[4], ut redimerentur, sine ullius insectatione eo- « rum, brevi sententiam peregissem. Quid enim aliud « quam admonendi essetis[5], ut morem traditum a pa- « tribus, necessario ad rem militarem exemplo, ser- « varetis? Nunc autem quum prope gloriati sint, quod

Cap. LX. 1. *Quæ in comitio erat;* vide ad I, 36, n. 6. — *Necessitas,* vel calamitas publica, vel sanguinis conjunctio; Doer. — *Submotis arbitris;* vide ad VI, 33, n. 3.

2. *Redimendos de publico,* et *ex privato;* vide ad II, 9, n. 4.

3. *Prædibusque ac prædiis cavendum populo;* vide ad III, 13, n. 9, et VII, 21, n. 4. — *Torquatus priscæ severitatis,* scil. homo, vir. Conf. ad III, 62, n. 5. *Priscæ,* qualis esse solebat prisci ævi hominibus, quorum mores et ingenia erant asperiora. — *Interrogatus sententiam;* vid. XXXII, 23, n. 1.

4. *Qui in hostium potestate sunt,* in acie capti, qui non deditione, sed vi in potestatem hostium pervenerunt; Doer. Sententia a seqq. non aliena, sed obscure expressa: nam in hostium potestate etiam ii sunt, qui se illis dedidere. Videtur potius sic expedienda: *si tantummodo postulassent legati,* rogassentque, *ut redimerentur* captivi, nec potius *gloriati prope essent,* quod in hostium potestate sint, nec capti modo in acie, sed etiam dediticii; *brevi sententiam peregissem* (vid. ad I, 18, n. 9) *sine ullius eorum insectatione,* acerba vituperatione, vel ita ut in nullum invectus essem. (Confer ad II, 27; III, 33; XXII, 34.) *Brevi sententiam peregissem;* vid. ad librum I, 18, n. 10.

5. *Quid enim aliud quam admo-*

« se hostibus dediderint, præferrique non captis modo « in acie ab hostibus, sed etiam iis, qui Venusiam « Canusiumque pervenerunt, atque ipsi C. Terentio « consuli, æquum censuerint, nihil vos eorum, Patres « conscripti, quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque « utinam hæc, quæ apud vos acturus sum, Canusii « apud ipsum exercitum agerem, optimum testem « ignaviæ cujusque et virtutis; aut unus hic saltem « adesset P. Sempronius[6], quem si isti ducem sequuti « essent, milites hodie in castris romanis, non captivi « in hostium potestate essent! Sed quum, fessis pu- « gnando hostibus, tum victoria lætis, et ipsis pleris- « que regressis in castra sua, noctem ad erumpendum « liberam habuissent, et septem armatorum hominum « millia perrumpere etiam confertos hostes potuis- « sent; neque per se ipsi id facere conati sunt, neque « alium sequi voluerunt. Nocte prope tota P. Sem- « pronius Tuditanus non destitit monere, adhortari « eos, dum paucitas hostium circa castra, dum quies « ac silentium esset, dum nox inceptum tegeret, se « ducem sequerentur : ante lucem pervenire in tuta « loca, in sociorum urbes posse. Sicut, avorum me- « moria, P. Decius, tribunus militum[7], in Samnio; « sicut, nobis adolescentibus, priore punico bello, Cal- « purnius Flamma trecentis voluntariis, quum ad tu- « mulum eos capiendum, situm inter medios hostes, « duceret, dixit : « *Moriamur, milites, et morte nostra* « *eripiamus ex obsidione circumventas legiones.* » Si

*nendi essetis;* vide ad II, 8, n. 9. — *Præferrique se æquum censuerint;* cf. ad XXIV, 13, n. 2. — *Quæ apud vos acturus sum;* v. ad VIII, 33, n. 13.

6. *P. Sempronius;* vide cap. 50. — *Per se;* vide ad VI, 20, n. 13.

7. *P. Decius, trib. mil., in Samnio,* etc.; vide ad VII, 34 sq. *Calpurnius Flamma,* etc.; vide Liv. Epit. XVII, Flor. II, 2; Plin. XXII, 6; Zon. VIII, 12, 13; inpr. Gell. III, 7; et Front. Strat. I, 5, 15; IV, 5, 10; ex quibus etiam intelligitur, eum aliis Laberium, aliis Valerium, nonnullis Q. Cædicium

« hoc P. Sempronius diceret; nec viros quidem, nec « Romanos vos duceret, si nemo tantæ virtutis exsti- « tisset comes[8]. Viam non ad gloriam magis, quam ad « salutem, ferentem demonstrat; reduces in patriam, « ad parentes, ad conjuges ac liberos facit. Ut serve- « mini, deest vobis animus? quid, si moriendum pro « patria esset, faceretis? Quinquaginta millia civium « sociorumque circa vos eo ipso die cæsa jacent. Si « tot exempla virtutis non movent, nihil unquam mo- « vebit: si tanta clades vilem vitam non fecit[9], nulla « faciet. Liberi atque incolumes desiderate patriam; « immo desiderate, dum patria est, dum cives ejus « estis. Sero nunc desideratis, deminuti capite, aba- « lienati jure civium, servi Carthaginiensium facti. « Pretio redituri estis eo, unde ignavia ac nequitia « abistis? P. Sempronium, civem vestrum, non au- « distis, arma capere ac sequi se jubentem: Hannibalem post paulo audistis, castra prodi, et arma tradi « jubentem. Quam ego ignaviam istorum[10] accuso, « quum scelus possim accusare? Non enim modo se- « qui recusarunt bene monentem, sed obsistere ac

appellari. Mox *ne viros quidem, nedum Romanos* conj. Gronov. Illud *ne* probat Bauerus, non *nedum*.

8. *Tantæ virtutis exstitisset comes;* vide ad c. 28, n. 1. — *Quinquaginta millia c. s.;* vide ad cap. 49, n. 9.

9. *Si tanta clades vilem vitam non fecit;* vide ad cap. 44, n. 6. — *Deminuti capite*, id. qd. *abalienati* (privati) *jure* (cunctis juribus) *civium* romanorum. (Ita fere Eph. II, 12, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας, Bauerus.) Nam *caput* dicebatur status civis, et summa jurium ejus; eoque continebantur inprim. libertas, civitas et familia. Deminutione capitis *maxima* amittebantur hæc omnia, præcipue a captivis; *minore*, vel *media* jus civitatis, a deportatis aliisque; *minima* familiæ agnationisque jura, ab adoptatis et mulieribus per matrimonium in aliam transeuntibus familiam. — Sic apud Horat. III, Od. 5, v. 42, *ut capitis minor;* ibique confer omnem Reguli orationem, quacum Manlii oratio temporis et sententiarum similitudine multoties congruit. Ed. — Mox *post paulo* pro vulg. *paulo post*, ut passim; vide Gronovium. Conf. ad II, 31, n. 2. Sic et *asperius paulo* lib. XXXIX, cap. 1, n. 3, et alia his similia.

10. *Quam ego ignaviam eorum accuso*, quid, quare? — *Sed obsistere*

« retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi « inertes submovissent. Prius, inquam, P. Sempronio « per civium agmen, quam per hostium, fuit erum- « pendum. Hos cives patria desideret? Quorum si cæ- « teri similes fuissent, neminem hodie ex iis, qui ad « Cannas pugnaverunt, civem haberet. Ex millibus « septem armatorum sexcenti exstiterunt, qui erum- « pere auderent, qui in patriam liberi atque armati re- « dirent : neque iis quadraginta millia hostium obsti- « tere. Quam tutum iter duarum prope legionum « agmini futurum censetis fuisse? Haberetis hodie vi- « ginti millia armatorum Canusii[11], fortium, fidelium, « Patres conscripti. Nunc autem quemadmodum hi « boni fidelesque (nam fortes ne ipsi quidem dixe- « rint) cives esse possunt? nisi quis credere potest « fuisse, ut erumpentibus, quin erumperent, obsi- « stere conati sunt : aut non invidere eos, quum inco- « lumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, « quum sibi timorem ignaviamque servitutis ignomi- « niosæ causam esse sciant. Maluerunt in tentoriis la- « tentes simul lucem atque hostem exspectare, quum

(edd. antt. *subsistere*) *ac retinere conati sunt, ni...submovissent;* vide ad II, 50, n. 10. Sempronium, eruptionem facturum, ab ignavis retentum esse, non ex cap. 40, sed demum ex h. l. discimus; Doer.

11. *Haberetis hodie XX millia armatorum Canusii* (vide ad c. 56, n. 2), *fortium, fidelium*, e duobus MSS cum Strothio recepi pro vulg. *fortia, fidelia*. — *Ne ipsi quidem se dixerint* leg. videtur Bauero. — *Nisi quis credere potest fuisse* eos tum fortes, bonos fidelesque cives, *ut*, quum, *erumpentibus obsistere*, et viros fortes, ne fortes essent, impedire *conati sunt*, *aut non invidere eos*, etc., h. e. aut passuram in posterum invidiam, ut fideles bonique cives sint erga illos, quorum *incolumitatem et gloriam* sibi vident esse ignominiæ, et quotidie ignaviam exprobrare; nec potius hanc ipsam invidiam effecturam, ut iis infidi sint, et in discrimen secum deductos deserant, atque ita aut mori misere, aut parem culpam captivitatis vel turpis fugæ contrahere cogant; Gron. *Ut erumpentibus*, etc. Uti fortes sese præbuere, quum erumpentibus, etc. Bauerus. *Ut erumpentibus* optimi MSS; *qui erumperent* edd. ante Gron. sententia fere eadem manente; Stroth. — *Qui nec erump.* Flor. *Qui ne er.* Lov. 5. Ed.

« silentio noctis erumpendi occasio esset. At enim ad « erumpendum e castris defuit animus; ad tutanda « fortiter castra animum habuerunt. Dies noctesque « aliquot obsessi, vallum armis, se ipsi tutati vallo « sunt : tandem ultima ausi passique, quum omnia « subsidia vitæ abessent, affectisque fame [12] viribus, « arma jam sustinere nequirent, necessitatibus magis « humanis, quam armis, victi sunt. Orto sole hostis « ad vallum accessit [13] : ante secundam horam, nullam « fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac « se ipsos. Hæc vobis ipsorum per biduum militia fuit! « quum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in « castra refugerunt : quum pro vallo pugnandum erat, « castra tradiderunt, neque in acie, neque in castris « utiles. Vos redimam? Quum erumpere castris opor- « tet, cunctamini ac manetis : quum manere, castra « tutari armis necesse est; et castra, et arma, et vos « ipsos traditis hosti. Ego non magis istos redimendos, « Patres conscripti, censeo, quam illos dedendos Han- « nibali, qui per medios hostes e castris eruperunt, « ac per summam virtutem se patriæ restituerunt. »

LXI. Postquam Manlius dixit, quamquam patrum quoque plerosque captivi cognatione attingebant, præter exemplum civitatis minime in captivos jam inde antiquitus indulgentis, pecuniæ quoque summa homines movit; quia nec ærarium exhaurire, magna jam summa erogata in servos ad militiam emendos armandosque, nec Hannibalem maxime hujusce rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant. Quum

12. *Aff. f. vir.*; vid. V, 10, n. 6.

13. *Orto sole hostis ad vallum accessit*; MSS *ab hostibus ad vallum accessum*, impersonaliter, quod magnificentius videtur, Schott. III, Obs. 6. Ejusdem scripturæ non levia vestigia comparent in Pal. princ. Gebhard. Forte hi codd. exhibuerunt *ab hostibus ad vallum accessit*, sicut in Flor. Cant. Lov. I, 4, et Voss. Sed Schotti scriptis consentit Lov. 3. — *Mox castra* pro *arma* præfert Hav. Ed.

triste responsum, *non redimi captivos*, redditum esset, novusque super veterem luctus tot jactura civium adjectus esset, cum magnis fletibus questibusque legatos ad portam prosequuti sunt[1]. Unus ex iis domum abiit[2], quod fallaci reditu in castra jure jurando se exsolvisset. Quod ubi innotuit, relatumque ad senatum est, omnes censuerunt, comprehendendum, et custodibus publice datis deducendum ad Hannibalem esse. Est et alia de captivis fama[3], decem primos venisse: de eis quum dubitatum in senatu esset, admitterentur in urbem, nec ne, ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur[4]. Morantibus deinde longius omnium spe, alios tres insuper legatos venisse, L. Scribonium, et C. Calpurnium, et L. Manlium. Tum demum ab cognato Scribonii tribuno plebis de redimendis captivis relatum esse, nec censuisse redimendos senatum; et novos legatos tres ad Hannibalem revertisse, decem veteres remansisse; quod, per causam recognoscendi nomina[5] captivorum ad Hannibalem ex itinere egressi, religione sese exsolvissent[6]. De iis dedendis magna contentione actum in senatu esse; victosque paucis sententiis, qui dedendos censuerint. Cæterum proximis censoribus adeo omnibus[7] notis

Cap. LXI. 1. *Ad portam prosequuti sunt;* conf. ad II, 18, n. 4.

2. *Unus ex iis domum abiit*, etc.; vide ad cap. 58, n. 3.

3. *Est et alia de captivis fama*, etc.; vide ad cap. 58, n. 3.

4. *Ita admissos esse, ne tamen iis senatus daretur*, admissos illos quidem, sed senatum iis non datum esse; Ern. Conf. ad I, 17, n. 5, et VIII, 5, n. 1. — Tribunus plebis, L. Scribonii captivorum legati cognatus, etiam L. Scribonius Libo dicebatur, et hoc eodem anno, quo tribunus plebis erat, etiam triumvir mensarius factus est. Hinc Drakenborch. ablegat ad XXIII, 21. Ed.

5. *Per causam recognoscendi nomina;* vide ad II, 32, n. 2.

6. *Religione sese exsolvissent;* vide ad V, 23, n. 7.

7. *Cæterum a proximis censoribus adeo omnibus notis*, etc. Conf. Polyb. VI, 68; Cicer. Off. III, 32, et Gell. VII, 18. Plurimos deinde captivorum ab Hannibale interfectos fuisse, quosdam vero principum Carthaginem missos, tradunt Eutrop. III, 11, et Zon.

ignominiisque confectos esse, ut quidam eorum mortem sibi ipsi extemplo consciverint : cæteri non foro solum[8] omni deinde vita, sed prope luce ac publico caruerint. Mirari magis, adeo discrepare inter auctores[9], quam, quid veri sit, discernere queas. Quanto autem major ea clades superioribus cladibus fuerit, vel ea res indicio est, quod, qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperunt[10], nulla profecto alia de re, quam quod desperaverant de imperio. Defecere autem ad Pœnos hi populi[11] : Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Pentros[12], Bruttii omnes, Lucani; præter hos Surrentini[13], et Græcorum omnis ferme ora, Tarentini, Metapontini, Crotonienses, Locrique, et Cisalpini omnes Galli. Nec tamen hæ clades defectionesque sociorum moverunt, ut pacis unquam mentio apud Romanos fieret; neque ante consulis Romam

— *Confectos;* vide ad V, 10, n. 6. *Affectos* vet. lib. Sigon. et Gell. l. l.

8. *Non foro solum... sed,* sc. etiam; vide ad I, 40, n. 1.

9. *Adeo discrepare inter auctores;* vide ad IX, 16, n. 1. Mox pro *discernere* Gron. conj. *decernere.* At vide ad VII, 9, n. 4.

10. *Tum labare cœperunt;* vid. ad II, 39, n. 9. Ex MSS legendum potius cum Gronovio et Salmas. *vel declaret fides,* aut *vel fides indicat sociorum, quæ ad eam diem firma steterat, tum labare cœpit,* etc.

11. *Defecere autem ad Pœnos hi populi,* etc., non subito omnes, sed quidam statim, quidam post annum, ut Crotonienses Locrique (v. XXIII, 30, et XXIV, 1-3), biennio post Tarentini (vide XXIV, 13), quarto post annó Metapontus ac Thurium (vid. ad XXV, 15), nec *omnes Bruttii* (Petelini et Rhegini excipiuntur XXIII, 20 et 30) : quæ igitur omnia temere mixta; Glar. Conf. XXV, 1; Polyb. III, 118, et Sil. XI, 1 seq. Cæterum Croto Locrique et Bruttiorum et Græciæ magnæ oppida fuere : sed huic tantum tribuuntur h. l. et XXIV, 1 sq. — *Apulorum pars,* Ἀγρυριππανοὶ ap. Polybium.

12. *Samnites præter Pentros;* vide ad IX, 31, n. 3. *Præter Petelinos* edd. ante Gron. recte, opinor, si junxeris cum Sigonio *præter Petelinos Bruttii omnes.* Conf. XXIII, 20.

13. *Præter hos Surrentini,* immo *Sallentini :* nam isti debuissent nominari post *Calatinos;* Gronovius. Cf. Camilli Peregr. de Capua Diss. 2. — *Et Græcorum omnis fere ora,* quæ XXXI, 7, distinctius dicitur *ora illa Italiæ, quam Majorem Græciam vocant.*

adventum, nec postquam is rediit, renovavitque memoriam acceptæ cladis. Quo in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit, ut consuli, ex tanta clade, cujus ipse causa maxime fuisset, redeunti [14], et obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, et gratiæ actæ, quod de re publica non desperasset: cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret [15].

14. *Ex tanta clade...redeunti;* v. ad IV, 31, n. 1. Rem, paucis h. l. narratam, probabiliter et ingeniose amplificavit Sil. X, 605-539. Conf. et Frontin. Strat. IV, 5, 6.

15. *Nihil recusandum supplicii foret* ei, h. e. frustra conatus esset, gravissimum quodvis supplicium excusatione aliqua deprecari et effugere; vel patienter hoc ei perferendum fuisset. — Ob illud quoque factum senatus prudentiam valde miratur *Montesquieu, Grandeur et Décad.*, c. 4 ext. Hominem enim infimo loco natum, in Patrum invidiam consulem creatum, adeo non contemnere, aut odisse visus est, ut illi gratias egerit; ea scilicet mente, ut conciliatis sibi plebis animis facilius damna reipublicæ illata resarciret. Hominum enim amissorum damnum in civitate bellicosissima reparari potest; sed, quum deficit animus civium, omnia simul incassum abeunt, et spes novissimæ, quas servaverat fortuna, funditus exciduntur. Ed.

# T. LIVII PATAVINI

# HISTORIARUM

## AB URBE CONDITA

# LIBER XXIII.

## BREVIARIUM.

Cap. I; Compsa in Hirpinis a Statio Trebio traditur Hannibali; qui inde petit Neapolim, sed oppugnare non audet, et Capuam flectit iter. — II - III; Ibi senatum et sibi et plebi obnoxium fecerat Pacuvius Calavius, data populo facultate meliores justioresque eligendi senatores, qui non facile inveniri poterant. — IV; Inde orta obsequium principum, licentia plebis, contemptus legum, magistratuum imperiique Romanorum: a quibus tamen deficere adhuc dubitant Campani propter connubia vetusta et multitudinem nobilissimorum, qui apud illos militant. — V; Horum parentes cognatique ægre pervincunt, ut Venusiam mittantur legati ad Varronem cos., qui Romanorum suique contemptum auget nimis detegendo cladem, et Campanorum opem implorando. — VI; Vibio Virrio auctore Campani desciscunt a Romanis. — VII; Pacem cum Hannibale faciunt, et romanos comprehendunt cives. Decius Magius mirifica constantia adversatur Pœnis. — VIII - IX; Perolla, Calavii filius, Hannibalem Capuæ epulantem interficere statuit: sed patris precibus a proposito deterretur. — X; Magius, jussu Pœni comprehensus, in punica perducitur castra, et extemplo in navem impositus Carthaginem mittitur. Tempestate autem defertur Cyrenas, et ad statuam Ptolemæi confugit. Inde deportatur Alexandriam, et a rege vinculis liberatur. — XI; Dum hæc geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam redit. Mago autem, Hamilcaris filius, nuntiusque victoriæ ad Cannas, venit Carthaginem, ibique in senatu res a fratre in Italia gestas exponit. — XII; Tum

effundi in vestibulo curiæ acervum jubet annulorum aureorum, petitque, ut Hannibali pecunia, frumentum et milites mittantur. Hoc dissuadet Hanno, ab Himilcone increpatus. — XIII; Mago ejus orationem refutat, et, quæ postulaverat, ingenti consensu senatus decernuntur. — XIV; Romani impigre bellum reparant, et M. Junius Pera dictator servos quoque et capitis reos armat. Hannibal iterum animos Neapolitanorum, partim spe, partim metu, nequidquam tentat, et in agrum nolanum traducit exercitum. Nolæ plebs favet Pœnis : at senatus simulatione extrahit defectionem in adventum Claudii Marcelli prætoris, qui legatis clam ac propere missis Casilino arcessitur. — XV; Hannibal, Nola Neapolique omissis, petit Nuceriam, eamque fame captam diripit et incendit. Marcellus Nolæ timet plebem, et ante omnes L. Bantium, fortissimum nobilissimumque equitem, qui proditionem patriæ molitur : hujus tamen animum comitate ac donis prorsus mutat. — XVI; Nolam castra movet Pœnus, et, plebe de integro ad defectionem spectante, Marcellus, eruptione facta, hostes vincit fugatque. — XVII; Hannibal Acerras capit, et exercitum ducit Casilinum, quod D Prænestini et totidem fere Perusini tuentur. — XVIII; Frustra oppidum summa vi oppugnare parat, et ipse, modico in castris præsidio relicto, in hiberna Capuam concedit : ubi voluptatibus immodicis corpora animique exercitus ejus enervantur. — XIX; Obsidio tandem continuata Casilinum adducit ad ultimum inopiæ, quæ a Romanis quidem paululum levatur, doliis frumenti plenis, nucibusque Vulturno amni ad urbem missis, sed tandem obsessos ad eam hostibus tradendam compellit, pacta ante redemptione liberorum capitum. — XX; Eodem tempore Petelini, qui uni ex Bruttiis manserant in amicitia romana, a Carthaginiensibus Bruttiisque cæteris oppugnantur, et, legatis frustra Romam ad præsidium petendum missis, soli fortissime resistunt. — XXI; In Sicilia Sardiniaque T. Otacilius et A. Cornelius Mammula proprætores ab Hierone et sociis civitatibus adjuvantur. Romæ creantur triumviri mensarii, et tres pontifices. — XXII; Ibidem deliberatur de explendo senatu, ejusque legendi causa M. Fabius Buteo ex senatusconsulto dictator sine magistro equitum in sex menses dicitur. — XXIII; Is CLXXVII cum ingenti approbatione hominum in patres legit, et extemplo se abdicat magistratu. — XXIV; M. Junius Pera dictator, Romam accitus, comitia edicit, quibus L. Postumius III absens, et Ti. Sempronius Gracchus,

magister equitum, et ædilis curulis, consules creantur. Sed mox nuntiatur clades Postumii atque exercitus ejus, in Litana silva a Gallis deletorum. — XXV; Senatus negotium dat ædilibus, ut urbi mœstitiæ publicæ speciem demi jubeant; et, Gallia eo anno omissa, de hoste Pœno legionibusque, per quas id bellum sit gerendum, consultat. Reliquias exercitus cannensis traduci in Siciliam placet, inde vero duas acciri legiones, et totidem urbanas conscribi. — XXVI; In Hispania Scipiones, Cnæus terra, Publius mari, prospere rem gerunt: et Carpesii, ab Hasdrubale infestati, duce Galbo hostes animose repellunt. — XXVII; Universa quidem hæc gens in deditionem venit; sed subinde ab Carthagine affertur, ut Hasdrubal in Italiam exercitum ducat: quæ vulgata res per Hispaniam omnium ferme animos ad Romanos avertit. — XXVIII; Himilco Carthagine cum exercitu justo auctaque classe ad tuendam Hispaniam, mittitur, et Hasdrubal, pecuniis raptim exactis, ad Iberum descendit. Scipiones ei junctis copiis obviam eunt, et mox eodem die velut ex composito utrimque signum pugnæ proponitur. — XXIX; Vincunt Romani, et Hasdrubal cum paucis effugit. — XXX; Petilia in Bruttiis pertinaciter defensa, et Consentia ab Himilcone, Croto a Bruttiis capiuntur : et Locrenses cæterique ejus regionis populi, præter Rheginos, desciscunt ad Pœnos. Ad eosdem deficit Gelo, Hieronis filius; qui tamen morte opportuna absumitur. Ludi dantur funebres, Romani plebeiique ter instaurantur. Prætores sortiuntur provincias, et M. Marcellus pro consule imperium accipit. — XXXI; Duplex imperatur tributum, et senatus decernit, quo et a quibus deducendi sint exercitus. Equites campani ccc, stipendiis in Sicilia cum fide emeritis, Romam veniunt, fiuntque cives romani. In locum L. Postumii primum M. Claudius Marcellus consul sufficitur, sed, quia is vitio creatus videtur, mox Q. Fabius Maximus III. Prodigia expiantur. — XXXII; Novi magistratus, ipsique prætores, ad jus dicendum creati, in provincias proficiscuntur. Carthaginienses autem cum classibus copiisque in Hispaniam mittunt Magonem, et Hasdrubalem Calvum in Sardiniam, quo Hampsicora aliique principes legatione clandestina eos vocaverant. — XXXIII; Philippus, Macedonum rex, ad Pœnos mittit legatos, qui primum in romana, deinde in Hannibalis castra perveniunt, fœdusque cum eo et amicitiam jungunt. — XXXIV; Eosdem cum Gisgone, Bostare et Magone redeuntes, jamque te-

nentes altum Romani persequuntur, et comprehensos Romam ad senatum mittunt. Q. Mucius Scævola prætor in Sardinia in longum incidit morbum, et hinc eo T. Manlius Torquatus cum imperio mittitur. Eodem tendit Hasdrubal: sed classis, cui præest, fœda tempestate vexata ad Baleares insulas dejicitur. — XXXV; Campani, ut dolo Cumanos suæ ditionis faciant, eorum senatum ad commune statumque sacrificium ad Hamas faciendum invitant, nec procul inde in occulto Marius Alfius medixtuticus cum XIV millibus armatorum considet. Cumani autem, quibus fraus suspecta est, rem nuntiant Ti. Sempronio Graccho cos., qui circa Liternum stativa habet. Is media nocte Campanos in castris opprimit, multosque obtruncat. — XXXVI; Castris hostium potitus Cumas se propere recipit, et mox ab Hannibale oppugnatur. — XXXVII; Pœni eruptione ex oppido facta fugantur, et ad Tifata redeunt infecta re. Iisdem diebus Hanno a Ti. Sempronio Longo ex finibus Lucânis in Bruttios repellitur, et tria Hirpinorum oppida vi recipiuntur a M. Valerio prætore. — XXXVIII; Philippi Pœnorumque legati ducuntur Romam, et classis L navium paratur, quæ regem in Macedonia contineat. — XXXIX; Legatio alia a Philippo ad Hannibalem mittitur, quæ prospere fert ac refert mandata. Fabius tres Campanorum urbes vi capit, et M. Marcellus proc. in præsidium redit Nolam, ubi plebs adhuc novarum rerum et Hannibalis tota est. — XL; A T. Manlio in Sardinia primum Hiostus, Hampsicoræ filius, deinde pater ejus et Hasdrubal, qui copias junxerant, vincuntur. — XLI; Hasdrubal, Hanno, auctor rebellionis, et Mago, propinqua cognatione Hannibali junctus, vivi capiuntur; Hiostus in acie cadit; Hampsicora mortem sibi ipse consciscit; Cornus, fugitivorum receptaculum, expugnatur, et aliæ civitates sese dedunt. Sardinia sic perdomita, Manlius cum navibus præda onustis Romam redit. Per idem tempus T. Otacilius prætor depopulatur agrum carthaginiensem, et ex classe Hasdrubalis, Africam repetente, septem capit naves. Bomilcar cum novis militibus Carthagine missis ad Hannonem in Bruttios pervenit. Marcellus autem ab Nola crebras excursiones facit in agros Hirpinorum Samnitiumque. — XLII; Itaque legati ad Hannibalem ex utraque gente mittuntur, præsidium petentes. — XLIII; Ille Nolam proficiscitur; eodemque Hanno ex Bruttiis venit, qui animos Nolanorum frustra tentat. — XLIV; Marcellus erumpit, et imber dirimit pugnantes. Tertio die utrimque

in aciem copiæ educuntur, — XLV; ac summa vi et duces hortantur, et milites pugnant. — XLVI; Pœni in castra compelluntur, et tertio post die MCCLXXII equites, mixti Numidæ Hispanique, ad Romanos transfugiunt. Hanno recedit in Bruttios, et Hannibal Apuliæ hiberna petit. Quod ut audit Q. Fabius, Capuam propius movet castra. — XLVII; Jubellius Taurea campanus et Claudius Asellus romanus, fortissimi equites, in singulare descendunt certamen. — XLVIII; Scipiones nuntiant, quantas res gesserint in Hispania, sed provinciam non retineri posse, nisi pecunia, aut certe vestimenta et frumentum mittantur. Senatus itaque populo indicat publicas necessitates, cohortaturque redemptores, ut sumptus necessarios ærario ad tempus commodent. — XLIX; Privata pecunia respublica administratur, et Scipionibus æquabilis adspirat fortuna. Ex tribus Pœnorum ducibus bis ingentem reportant victoriam, et Illiturgi Intibilique obsidione liberant: quo facto omnes prope Hispaniæ populi ad Romanos deficiunt.

I. HANNIBAL, post cannensem pugnam[1], castra capta ac direpta, confestim ex Apulia in Samnium moverat: accitus in Hirpinos a Statio, pollicente, se Compsam traditurum. Compsanus erat Trebius nobilis inter suos: sed premebat eum Mopsiorum factio, familiæ per gratiam Romanorum potentis. Post famam cannensis pugnæ, vulgatumque Trebii sermonibus adventum Hannibalis, quum Mopsiani urbe excessis-

CAP. I. 1. *Hannibal post cannensem pugnam*, et post *castra* Romanorum *capta ac direpta* (nisi cum aliis leg. *castraque*, aut ante *castra* inserendum *et*, quam tamen copulam, si Tacitus hæc scripsisset, ab eo potius omissam crederem), *moverat*, scil. castra sua. Conf. ad II, 3, n. 2. Ita in omnibus edd. legitur, at in nullo MS, sed potius: *Hæc Hannibal post cannensem pugnam capta ac direpta*, et in uno *His Hannib. post cannensem pugnam captis ac direptis;* unde Gron. ingeniose conj. *Æcis Hannibal post cann. pugnam captis ac direptis;* vide ad XXII, 12, n. 3. Mox post *Statio*, quod est prænomen italicum, *Trebio* adjiciendum videri, jam monuit idem Gronovius, qui etiam *Mopsiorum factio* e cod. Put. recepit. In plerisque MSS est *Compsinorum*, aut *Compsmorum*, et in edd. *Compsanorum*. Cluverius conj. *Statianonum*, et *Trebio* pro *Statio*. Cæterum *Compsa* in Hirpinis prope fontes Aufidi flum. sita, hod. *Conza*.

sent[2]; sine certamine tradita urbs Pœno, præsidiumque acceptum est. Ibi præda omni atque impedimentis relictis, exercitu partito, Magonem regionis ejus urbes, aut deficientes ab Romanis accipere[3], aut detrectantes cogere ad defectionem jubet. Ipse per agrum campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim, ut urbem maritimam haberet. Ubi fines Neapolitanorum intravit, Numidas partim in insidiis (et pleræque cavæ sunt viæ, sinusque occulti), quacumque apte poterat, disposuit: alios, præ se actam prædam ex agris ostentantes, obequitare portis jussit. In quos, quia nec multi et incompositi videbantur, quum turma equitum erupisset, ab cedentibus consulto tracta in insidias, circumventa est: nec evasisset quisquam, ni mare propinquum, et haud procul litore naves, piscatoriæ pleræque, conspectæ peritis nandi dedissent effugium. Aliquot tamen eo prælio nobiles juvenes capti cæsique sunt: inter quos et Hegeas, præfectus equitum, intemperantius cedentes sequutus, cecidit: ab urbe oppugnanda Pœnum absterruere[4] conspecta mœnia, haudquaquam prompta oppugnanti.

II. Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa fe-

2. *Quum Mopsiani urbe excessissent;* vide ad II, 37, n. 5.

3. *Aut deficientes ab Romanis accipere*, sc. in fidem, vel, ut VII, 16, n. 3, in deditionem; *aut detrectantes* defectionem, deficere recusantes, *cogere ad defectionem*, nisi cum Dukero leg. *deditionem*, quia *defectio* non est invitorum ac detrectantium, sed volentium. — Walchius, Emend. p. 181, vulgatam tuetur, Dukerumque impugnat, qui recentioribus editoribus persuaserit *cogere ad defectionem* latine non dici, quoniam defectio voluntaria sit, ad eamque nemo cogatur. Cæterum legitur *ad defectionem trahere*, XXV, 16; et illud ipsum *cogere ad defectionem*, XXXIV, 18; ubi quoque variant lectiones. Ed. — *Mare inferum;* vide ad librum V, cap. 33, et ibi n. 3.

4. *Ab urbe oppugnanda Pœnum absterruere* (al. *abstinuere;* de quo vid. ad I, 1, n. 1, et II, 22, n. 3) *conspecta mœnia*, eorum aspectus, *haudquaquam prompta oppugnanti*, scilic. oppugnatu non facilia, non facile oppugnanda.

licitate atque indulgentia fortunæ [1], maxime tamen, inter corrupta omnia, licentia plebis, sine modo libertatem exercentis. Senatum et sibi et plebi obnoxium [2] Pacuvius Calavius fecerat; nobilis idem ac popularis homo [3], cæterum malis artibus nanctus opes. Is quum eo forte anno, quo res male gesta ad Trasimenum est, in summo magistratu esset, jam diu infestam senatui plebem ratus, per occasionem novandi res, magnum ausuram facinus, ut, si in ea loca Hannibal cum victore exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis; improbus homo, sed non ad extremum perditus, quum mallet incolumi, quam eversa, republica dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua et senatum servaret, et obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato senatu, quum *sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium fuisset*, præfatus esset; *quippe qui liberos ex Ap. Claudii filia haberet, filiamque Romam nuptum Livio dedisset; cæterum majorem multo rem magisque timendam instare* [4]. *Non enim per defectionem ad tollendum ex civitate senatum plebem spectare, sed per cædem senatus vacuam rempubli-*

Cap. II. 1. *Capuam luxuriantem longa felicitate atque indulgentia*, favore, *fortunæ;* cf. c. 4, 8 et 18; Sil. XI, 33-43, 259-302, 385-482, et Polyb. VII, 1. — *Licentia pl.*, etc. Conf. cap. 4, et XXIV, 2, ubi Liv. dicit, « Unum velut morbum invasisse omnes Italiæ civitates, ut plebes ab optimatibus dissentiret, senatus Romanis faveret, plebs ad Pœnos rem traheret. »

2. *Plebi obnoxium* (v. ad III, 39, n. 1) *Pacuvius Calavius fecerat*, forte *Pacullus*, ut XXXIX, 13. *Pæculla Minia Campana;* Sigonius. Confer ad Sil. XI, 58, ubi in MS Colon. *Paculo*, et in edd. antt. *Pactulo* legitur.

3. *Popularis homo;* vide ad II, 8, n. 1. — *In summo magistratu;* v. ad IX, 20, n. 2. — *Novandi res;* vide ad I, 52, n. 1.

4. *Cæterum*, sed, *majorem multo rem m. t. instare*, sc. *confirmat*, vel *ait*, quod latet in præc. *præfatus esset;* Strothius. Ἀναχόλουθος oratio : non modo *ait* durius omissum, sed et *cæterum* redundat : nam incepit *quum præfatus esset;* Bauer. Orationem non

*cam* [5] *tradere Hannibali ac Pœnis velle. Eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi, et, certaminum in republica obliti, credant.* Quum omnes victi metu permitterent : « Claudam in curia vos, in« quit, et, tanquam et ipse cogitati facinoris parti« ceps, approbando consilia, quibus nequidquam ad« versarer, viam saluti vestræ inveniam. In hoc fidem, « quam vultis ipsi, accipite. » Fide data egressus, claudi curiam jubet, præsidiumque in vestibulo reliquit; ne quis adire curiam injussu suo, neve inde egredi possit.

III. Tunc vocato ad concionem populo, « Quod « sæpe, inquit, optastis, Campani, ut supplicii su« mendi vobis ex improbo ac detestabili senatu po« testas esset; eam nunc, non per tumultum expu« gnantes domos singulorum, quas præsidiis clientium « servorumque tuentur, cum summo vestro periculo, « sed tutam habetis ac liberam. Clausos omnes in cu« riam accipite, solos, inermes : nec quidquam raptim, « aut forte temere egeritis. De singulorum capite vo« bis jus sententiæ dicendæ faciam, ut, quas quisque « meritus est, pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos « iræ indulgere oportet, ut potiorem ira salutem atque « utilitatem vestram habeatis. Etenim hos (ut opinor) « odistis senatores; non senatum omnino habere non « vultis. Quippe aut rex (quod abominandum), aut, « quod unum liberæ civitatis consilium est, senatus « habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt « vobis, ut et veterem senatum tollatis, et novum

satis apte cohærere ac procedere, etiam Duker. monuit. Eam vero pendere ex seq. verbo *inquit*, putabat Creverius. Τὸ *cæterum* Doer. exponit, præter defectionem ab Romanis. — *Spectare;* vid. ad I, 9, n. 3.

5. *Vacuam rempublicam*, id. qd. paulo ante *orbatam publico consilio*, h. e. senatu; vide ad I, 46, n. 12, et I, 54, n. 1. — *Cogitati facinoris*, capti de interficiendo senatu consilii; Doering.

« cooptetis [1]. Citari singulos senatores jubebo, de quo-
« rum capite vos consulam : quod de quoque censue-
« ritis, fiet. Sed prius in ejus locum virum fortem ac
« strenuum novum senatorem cooptabitis, quam de
« noxio supplicium sumatur. » Inde consedit, et, nominibus in urnam conjectis [2], citari, quod primum forte nomen excidit, ipsumque e curia produci jussit. Ubi auditum est nomen, malum et improbum pro se quisque clamare, et supplicio dignum. Tum Pacuvius, « Video, quæ de hoc sententia sit data [3]. Eligite pro « malo atque improbo bonum senatorem et justum. » Primo silentium erat inopia potioris subjiciundi; deinde, quum aliquis, omissa verecundia, quempiam nominasset, multo major extemplo clamor oriebatur, quum alii negarent nosse [4]; alii nunc probra, nunc humilitatem, sordidamque inopiam, et pudendæ artis aut quæstus genus objicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio citato senatore est factum; ut ipsius pœnitere homines appareret [5], quem autem in ejus substituerent locum, deesse : quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos, et multo humiliores obscurioresque cæteri

Cap. III. 1. *Et novum cooptetis* senatum; vide ad III, 64, n. 5.

2. *Nominibus in urnam conjectis*, proprie sortibus, in quibus nomina erant scripta; ut et mox *quod primum sorte nomen excidit.* Conf. ad XXI, 42, n. 2.

3. *Video quæ sententia de hoc sit data*, a vobis dicta (forte *lata*), h. e. eum malum et improbum a vobis judicatum et condemnatum esse. — *Eligite* ex emend. Gronovii (pro lectt. MSS *ejicitur, datacicitur*, etc.), qui etiam conj. *de hoc sit. Date igitur pro malo*, etc. In edd. ante eum legitur : *Ejicitur pro malo atque improbo. Bonum s. et justum eligite*, vel *ejicitur. Pro malo a. i. bonum s. et i. eligite*, prob. Doer. modo pro *ejicitur* (scil. de, seu e senatu, ut XL, 51, et XLIV, 19) reponatur *rejicitur*, quod *rejici*, non *ejici* dicantur, qui post factam sortitionem repudientur. Verbum tamen postremum *eligite* in nullo MS reperitur.

4. *Quum alii negarent nosse*, scil. *se*. Conf. ad XXIV, 13, n. 2.

5. *Ut ipsius pœnitere homines appareret*, eum displicere hominibus, aut invisum esse. Cf. II, 54, n. 16. — *At-*

erant eis, qui primi memoriæ occurrebant. Ita dilabi homines, notissimum quodque malum maxime tolerabile dicentes esse, jubentesque senatum ex custodia dimitti.

IV. Hoc modo Pacuvius quum obnoxium vitæ beneficio[1] senatum multo sibi magis, quam plebi, fecisset, sine armis, jam omnibus concedentibus, dominabatur. Hinc senatores, omissa dignitatis libertatisque memoria, plebem adulari, salutare, benigne invitare, apparatis accipere epulis[2], eas causas suscipere, ei semper parti adesse, secundum eam litem judices dare, quæ magis popularis, aptiorque in vulgus favori conciliando esset. Jam vero nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium. Prona semper civitas[3] in luxuriam, non ingeniorum modo

*tinebat*, congruum esse videbatur, ut cap. 13; Strothius. Confer ad II, 41, n. 4. — *Nihil aliud quam;* vide ad II, 8, n. 9. — Ingeniosam hanc Pacuvii fraudem gallico carmine imitatus est vir acumine et narrandi lepore clarissimus, *Andrieux*, cujus elegantissimum carmen quum transcribere vetat nostri operis lex, mihi tamen temperare non possum, quin quædam e Livio verba translata inseram; *Primo silentium erat... Multo major extemplo clamor oriebatur... Ita dilabi hom.*, etc.

. . . . . Il se fit un silence :
On avait beau chercher; chacun, excepté soi,
Ne connaissait personne à mettre en cet emploi.
. . . . . .
Mille cris à l'instant contre lui s'élevèrent :
Pouvait-on présenter un pareil sénateur?
Celui qu'on rejetait, était cent fois meilleur.
Le second proposé fut accueilli de même;
Et ce fut encor pis, quand on vint au troisième.
Quelques autres après ne semblèrent nommés
Que pour être hués, conspués, diffamés...
Le peuple ouvre les yeux, se ravise; et la foule,
Sans avoir fait de choix, tout doucement s'écoule.

Ed.

Cap. IV. 1. *Vitæ ben.*, vita servata.

2. *Apparatis accipere epulis*, splendidis, opiparis, ut *ludi apparatissimi magnificentissimique* apud Ciceronem in Pis. 27. Conf. ad XXXI, 4, n. 5; XLIV, 9, n. 3; Drakenb. ad h. l., et Gron. ad XXVII, 6. — *Eas causas suscipere*, suscipiebant, ut oratores, seu patroni causarum, *ei semper parti adesse*, ut advocati, et *secundum eam* partem, ut *judices*, si judices essent (vide ad V, 2, n. 7), *dare litem*, vel potius *secundum eam litem*, in favorem ejus causæ seu controversiæ *dare judices* (jubere judices rem ita constituere, eam judicii formulam ponere, in eam sententiam decernere, eum eventum liti facere; Bauer. Conf. ad III, 44, n. 5), quod Romæ erat prætoris, et Capuæ forsan senatus, *quæ magis popularis* (v. ad II, 8, n. 1), *aptiorque esset conciliando favori in vulgus* (ut XXIX, 22, *favorem ad vulgum conciliabat*), ad vulgi favorem sibi conciliandum.

3. *Prona semper civitas*, etc.; vide

vitio, sed affluenti copia voluptatum, et illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestrisque; tum vero ita obsequio principum et licentia plebei lascivire, ut nec libidini, nec sumptibus modus esset. Ad contemptum legum, magistratuum, senatus, accessit tum, post cannensem cladem, ut, cujus aliqua erat verecundia, romanum quoque imperium spernerent. Id modo erat in mora, ne extemplo deficerent, quod connubium vetustum [4] multas familias claras ac potentes Romanis miscuerat; et quod, quum militarent aliquot apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobilissimus quisque Campanorum, in præsidia sicularum urbium delecti ab Romanis ac missi.

V. Horum parentes cognatique ægre pervicerunt, ut legati ad consulem romanum mitterentur. Ii, nondum Canusium profectum, sed Venusiæ cum paucis ac semiermibus consulem invenerunt, quam poterat maxime miserabilem [1] bonis sociis; superbis atque infidelibus, ut erant Campani, spernendum. Et auxit rerum suarum suique contemptum consul nimis detegendo cladem nudandoque : nam quum legati, ægre ferre senatum populumque campanum, adversi quidquam evenisse Romanis, nuntiassent, pollicerenturque omnia, quæ ad bellum opus essent; « Morem ma-« gis, inquit, loquendi cum sociis servastis, Campani, « jubentes, quæ opus essent ad bellum, imperare, « quam convenienter ad præsentem fortunæ nostræ

ad cap. 2 pr. Mox malim *jam vero ita obsequio*, etc., quia sequitur *accessit tum.*

4. *Connubium vetustum*, etc.; vide ad VIII, 14, n. 9. — *Maximum vinculum erant;* malim *erat*, tali ordine : *et trecenti equites.....missi* (scil. *in mora erant*), *quod maximum vinculum erat;* Bauer.

Cap. V. 1. *Quam poterat* esse, *maxime miserabilem*, miserandum, *bonis sociis*, eorum miseratione dignissimum; Doering. — *Detegendo cladem nudandoque;* v. ad XXIV, 27, n. 1.

« statum loquuti estis. Quid enim nobis ad Cannas « relictum est, ut, quasi aliquid habeamus, id, quod « deest, expleri ab sociis velimus? Pedites vobis im- « peremus, tanquam equites habeamus? pecuniam « deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil, ne « quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna. « Legiones, equitatus, arma, signa, equi virique, pe- « cunia, commeatus, aut in acie, aut binis postero die « amissis castris perierunt. Itaque non juvetis nos in « bello oportet, Campani, sed pæne bellum pro nobis « suscipiatis. Veniat in mentem, ut trepidos quondam « majores vestros intra mœnia compulsos, nec Sam- « nitem modo hostem, sed etiam Sidicinum paventes, « receptos in fidem apud Saticulam defenderimus [2], « cœptumque propter vos cum Samnitibus bellum « per centum prope annos [3], variante fortuna eventum, « tulerimus. Adjicite ad hæc, quod fœdus æquum de- « ditis, quod leges vestras, quod ad extremum (id « quod ante cannensem certe cladem maximum fuit) « civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus, « communicavimusque vobiscum. Itaque communem « vos hanc cladem, quæ accepta est, credere, Cam- « pani, oportet, communem patriam tuendam arbi-

2. *Ut trepidos quondam majores vestros ... apud Saticulam defenderimus;* vide VII, 29 sq., 32 sq., unde etiam patet, *Sidicinos* fuisse socios Campanorum. Hinc miror, neminem interpretum fuisse offensum verbis *Sidicinum paventes.* Mea qualicumque sententia legendum : *nec Samnitem modo hostem, sed etiam Romanum paventes,* populum multo potentiorem, et ante hoc bellum societate amicitiaque Samnitibus junctum. Ita multo major vis inest in h. l., quem corrector male sedulus corrumpere potuit.

3. *Per centum prope annos;* immo LXX (conf. XXXI, 31); sed oratorie omnia augêt, et ut causæ suæ inserviat; Glar. et Doer. — *Quod fœdus æquum deditis* vobis, *quod leges vestras* (in edd. antt. *nostras :* sed Capuam aliasque civitates suas leges habuisse, monet Duk., et Gron. illud magis decere plenam libertatem deditis redditam, ut XLV, 29, *liberos Macedonas, utentes legibus suis;* Gronovius), et *civitatem nostram magnæ parti vestrum dedimus.* Conf. ad lib. VIII, cap. 14, n. 9.

« trari esse. Non cum Samnite aut Etrusco res est, ut « quod a nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium « maneat. Pœnus hostis, ne Africæ quidem[4] indigenam, « ab ultimis terrarum oris, freto Oceani Herculisque « columnis, expertem omnis juris et conditionis et « linguæ prope humanæ, militem trahit. Hunc, natura « et moribus immitem ferumque, insuper dux ipse « efferavit, pontibus ac molibus ex humanorum cor- « porum strue faciendis[5], et (quod proloqui etiam pi- « get) vesci humanis corporibus docendo. Hos infan- « dis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, « videre atque habere dominos, et ex Africa et a Car- « thagine jura petere, et Italiam Numidarum ac Mau- « rorum pati provinciam esse, cui non, genito modo « in Italia, detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, « prolapsum clade romanum imperium[6], vestra fide, « vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Tri- « ginta millia peditum, quatuor equitum arbitror ex « Campania scribi posse: jam pecuniæ affatim est, fru- « mentique. Si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec « Hannibal se vicisse sentiet, nec Romani victos esse. »

4. *Ne Africæ quidem indigenam:* in quibusdam MSS et edd. *indigena,* quod referendum ad ortum Pœnorum a Tyriis, remotioribus etiam barbaris; Stroth. Forte leg. ita. Conf. Duk. ad Flor. II, 18. — *Ab ultimis terrarum oris, freto Oceani* Gaditano, seu Herculeo, *Herculisque columnis;* vide ad XXI, 43, n. 8. — *Militem trahit,* apposite ad designandas difficultates, quæ per longa itinera et montium juga superandæ fuerunt exercitui Hannibalis; Doer.

5. *Pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis;* confer Appian. Bell. Hann. c. 28. — *Vesci humanis corporibus docendo;* crudelitas ab oratore, omnia invidiose augente, ficta, aut a vulgo hominum credita, et suasa quidem ab Hannibale Monomacho, sed repudiata. Cf. Polyb. IX, 24, n. 6, et Porphyr. de Abst. lib. II. Mox *his infandis* melius videtur; Bauerus. Et sic omnes fere MSS, unde vellem id recepissem. — Quas autem Livius dicit *infandas epulas,* alii *feras dapes, cibos inhumanos* vocarunt. Vide ad Silii Italici lib. II, 522. Ed.

6. *Prolapsum clade romanum imperium;* in MS Hafn. *clade romana,* quod, tanquam venustius, et referendum ad *vestra fide,* probarunt Duk. et Drak. Mox *jam,* ut III, 34, n. 5.

VI. Hac oratione consulis dimissis[1] redeuntibusque domum legatis, unus ex iis, Vibius Virrius, *Tempus venisse*, ait, *quo Campani non agrum solum, ab Romanis quondam per injuriam ademptum, recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. Fœdus enim cum Hannibale, quibus velint legibus, facturos : neque controversiam fore, quin, quum ipse confecto bello Hannibal victor in Africam decedat, exercitumque deportet, Italiæ imperium Campanis relinquatur.* Hæc Virrio loquenti assensi omnes[2], ita renuntiant legationem, uti deletum omnibus videretur nomen romanum. Extemplo plebes ad defectionem ac pars major senatus spectare : extracta tamen, auctoritatibus seniorum, per paucos dies est[3] res; postremo vicit sententia plurium, ut iidem legati, qui ad consulem romanum ierant, ad Hannibalem mitterentur. Quo priusquam iretur, certumque defectionis consilium esset, Romam legatos missos a Campanis, in quibusdam annalibus invenio, postulantes, ut alter consul Campanus fieret, si rem romanam adjuvari vellent. Indignatione orta, submoveri a curia jussos esse; missumque lictorem, qui ex urbe educeret eos, atque eo die manere extra fines romanos juberet. Quia nimis compar Latinorum quondam

Cap. VI. 1. *Hac oratione consulis dimissis :* pro *hac* forte leg. *ab*, vel *ab* excidit ante aut post *hac ;* vid. ad I, 1, n. 5, et conf. XXIV, 22; XLIV, 32 al. Forte suppl. *cum ;* Bauerus. — *Virrius*, idem qui in summa desperatione Capuæ senatores ad cœnam secum morituros invitat. Ed. — *Agrum ab Romanis... ademptum ;* vide VIII, 11. — *Imperio etiam :* τὸ *etiam* ignorant edd. Aldina antiquiores, et sæpius ita locutus est noster; hic tamen, dissentientibus MSS, nihil mutandum arbitror. Ed.

2. *Hæc Virrio loquenti assensi omnes* reliqui legati, *ita renuntiant*, referunt domum, *legationem*, res in legatione cognitas, auditas, dictas, actas; Stroth. Conf. ad IX, 4, n. 3, et XXXVI, 35, n. 3; XLV, 25, n. 3. — *Nomen romanum ;* vide ad I, 10, n. 2. — *Spectare ;* vid. ad I, 9, n. 3.

3. *Extracta tamen... est res ;* conf. ad II, 61, n. 6.

postulatio[4] erat, Cœliusque et alii id, haud sine causa, prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus.

VII. Legati ad Hannibalem venerunt, pacemque cum eo conditionibus fecerunt[1] : *Ne quis imperator magistratusve Pœnorum jus ullum in civem campanum haberet, neve civis campanus invitus militaret, munusve faceret: ut suæ leges, sui magistratus Capuæ essent: ut trecentos ex romanis captivis Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent; cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia stipendia facerent*[2], *permutatio fieret.* Hæc pacta : alia[3] insuper, quam quæ pacta erant, facinora Campani ediderunt; nam præfectos socium[4] civesque romanos alios, partim aliquo militiæ munere occupatos, partim privatis negotiis implicitos, plebs repente omnes comprehensos, velut custodiæ causa, balneis includi jussit: ubi, fervore atque æstu anima interclusa[5], fœdum in modum ex-

4. *Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio* (vide ad VIII, 5) *erat*, sc. huic postulationi. — *Cœlius;* vide ad XXI, 38, n. 8. — *Prætermiserant*, forte *prætermiserint*, id est, videntur prætermisisse : sed commate post *id* posito, recte habet vulgatum : *et alii id prætermiserant, haud*, neque id, *sine causa*, vel quod haud dubie non sine causa fecerint; Bauer.

Cap. VII. 1. *Pacemque cum eo conditionibus*, scil. his *fecerunt, ne*, etc., ut XXIV, 3, n. 7. Illud *his* inserunt edd., non MSS. Sed et omnino dicere voluit Livius, in conditiones factam pacem, non simpliciter, aut Hannibalis arbitrio; Bauer.

2. *Qui in Sicilia stipendia facerent;* conf. cap. 4 extr.

3. *Hæc pacta : alia insuper quam quæ*, etc.; vide ad XXII, 3, n. 8. *Alia* pro *illa* plerique MSS et edd. antt. probb. Gron. et Drak.; sed post hujusmodi pronomina demonstr. res nude, ac sine conjunct. causali *nam* narrari solent; Stroth.

4. *Præfectos socium;* vide ad IX, 20, n. 2. — Notandum cum Creverio est, præfectos sociorum, qui in sociali exercitu eumdem honoris ac potestatis gradum tenebant, quem in legione tribuni militum, cives romanos fuisse. Hoc idem probare videntur nomina præfectorum, quæ interdum occurrunt apud Livium, plane romanum sonantia; sic XXVII, 26, *L. Arennius*, et *M. Aulius;* sic eodem libro, cap. 41, *P. Claudius.* Ed.

5. *Fervore atque æstu anima interclusa* (ut *spiritum intercludere* XL, 16 et 24); conf. ad Tacit. Annal. VI, 50, n. 7; XIV, 64; XV, 64, 69.

spirarent. Ea ne fierent, neu legatio mitteretur ad Pœnum, summa ope Decius Magius[6], vir cui ad summam auctoritatem nihil, præter sanam civium mentem, defuit, restiterat. Ut vero præsidium mitti ab Hannibale audivit, Pyrrhi superbam dominationem, miserabilemque Tarentinorum servitutem[7], exempla referens, primo, ne reciperetur præsidium, palam vociferatus est: deinde, ut receptum aut ejiceretur, aut, si malum facinus, quod a vetustissimis sociis consanguineisque[8] defecissent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, ut, interfecto punico præsidio, restituerent se Romanis. Hæc (neque enim occulte agebantur) quum relata Hannibali essent, primo misit, qui vocarent Magium ad sese in castra: deinde, quum is ferociter negasset se iturum (nec enim Hannibali jus esse in civem campanum), concitatus ira Pœnus, comprehendi hominem, vinctumque attrahi ad se jussit. Veritus deinde, ne quid inter vim tumultus, atque ex concitatione animorum inconsulti certaminis oriretur, ipse, præmisso nuntio ad Marium Blosium, prætorem campanum[9], postero die se Capuæ futurum, proficiscitur e castris cum modico præsidio. Marius concione advocata edicit, ut frequentes cum conjugibus ac liberis obviam irent Hannibali. Ab universis

6. *Decius Magius;* conf. Velleium, II, 16; Sil. XI, 155 sq. 377 sq.; Cic. Agrar. II, 34, et Pis. XI. *Decimus Magius*, et mox *M.* aut *M'. Blosium* emend. Sigon., ne duo gentium nomina jungantur. Enimvero *Decius* et *Marius* etiam prænomina fuere, non romana quidem, at peregrina. Confer Indicem. Cæterum pro *Blosium* quidam libri *Blossium*, ut et XXVII, 3; apud Cic. Agr. II, 44; de Amic. 11, et Plut. Gracch. p. 827.

7. *Pyrrhi superbam dominationem, miserabilemque Tarentinorum servitutem*, ut *exempla, referens:* nam Tarentini tum a Pyrrho rege et socio suo, tum, post reditum ejus in Græciam, a Milone, quem præfectum illis reliquerat, duriter erant tractati; vid. Plut. Pyrrh. p. 392-397; Zonar. VIII, 2; Appian. de Reb. Samnit. Exc. 8.

8. *Sociis consanguineisque*, Romanis. Conf. cap. 4 extr.

9. *Præmisso nuntio ad Marium Blo-*

id non obedienter modo, sed enise, favore etiam vulgi, et studio visendi tot jam victoriis clarum imperatorem, factum est. Decius Magius nec obviam egressus est, nec, quo timorem aliquem ex conscientia significare posset, privatim se tenuit[10]: in foro cum filio clientibusque paucis otiose inambulavit, trepidante tota civitate ad excipiendum Pœnum[11] visendumque. Hannibal, ingressus urbem, senatum extemplo postulat, precantibusque inde primoribus Campanorum, ne quid eo die seriæ rei gereret[12], diemque ut ipse adventu suo festum lætus ac libens celebraret; quanquam præceps ingenio in iram erat, tamen, ne quid in principio negaret, visenda urbe magnam diei partem consumpsit.

VIII. Deversatus est apud Ninnios Celeres[1], Stenium Pacuviumque, inclytos nobilitate ac divitiis. Eo Pacuvius Calavius, de quo ante dictum est, princeps factionis ejus, quæ traxerat rem ad Pœnos[2], filium juvenem adduxit, abstractum a sinu Decii Magii ac latere[3], cum quo ferocissime pro romana societate

*sium, prætorem campanum*, etc. Cf. not. 6, et ad VIII, 19, n. 10, et IX, 20, n. 2. — *Sed enise* (al. *enixe*), sc. etiam. Conf. ad I, 40, n. 1.

10. *Privatim se tenuit*, in privato, domi se continuit, mansit, moratus est. Similiter *privatim servari* pro in loco privato dixisse Plaut. Bacch. II, 3, 78, et *privatim* pro ex locis privatis Cic. Verr. V, 1, et Sallust. Cat. 11, monet Duk. Sed forte legendum cum Gron. *privato*. Cf. ad II, 24, n. 6.

11. *Trepidante tota civitate ad excipiendum Pœnum*; vide ad III, 49, n. 4. — *Senatum extemplo postulat*; vide ad VIII, 5, n. 1.

12. *Ne quid eo die seriæ rei gereret*; conf. XXVI, 17; Frontin. II, 1, 17; Plaut. Pœn. II, 51; Gronov. — *Præceps in iram*; v. sup. ad librum I, cap. 32, n. 13.

Cap. VIII. 1. *Deversatus est* (vide ad I, 51, n. 2) *apud Ninnios Celeres*, alii *Minios* (conf. XXXIX, 13) et *Munios*. De magna lectionis varietate in hoc et seq. c. v. Gron. Obss. IV, 4.

2. *Quæ traxerat rem ad Pœnos*, ut XXIV, 2, n. 6; XXIV, 28, n. 2; XXXV, 50; XLII, 44, n. 2; XLIII, 17, n. 4. Similiter VI, 39 pr. *dictator rem in causam plebis inclinavit* (unde et mox *inclinata in partem alteram civitas*), et Polybius XXVIII, 5, 2, τοὺς ἀποφέροντας τὰ πράγματα πρὸς Περσέα καὶ Μακεδόνας.

3. *Abstractum a sinu Decii Magii*

adversus punicum fœdus steterat; nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat. Huic tum pater juveni Hannibalem deprecando magis, quam purgando, placavit; victusque patris precibus[4] lacrymisque, etiam ad cœnam eum cum patre vocari jussit: cui convivio neminem Campanum, præterquam hospites Jubelliumque Tauream, insignem bello virum, adhibiturus erat. Cœperunt epulari de die[5], et convivium non ex more punico, aut militari disciplina esse, sed, ut in civitate atque etiam domo, diu ad varias omnium voluptatum illecebras instructa[6]. Unus nec dominorum invitatione, nec ipsius interdum Hannibalis, Calavii filius Perolla vinci potuit[7]; ipse valetudinem excusans, patre animi quoque ejus haud mirabilem

*ac latere* Stroth., et *abstr. abs D. M. latere* Gronov. ac Drak. edidere. Illi emendationi favent plerique MSS, huic non nisi unus.

4. *Victusque patris precibus*, scilic. Hannibal; vide ad II, 56, n. 1. Orationem tamen non modo hæc sententiarum junctura scabram efficit, sed et vox *pater* ter posita. Forte legend. *victusque Pœnus precibus*, sc. patris.

5. *Cœperunt epulari de die;* vide ad IX, 44, n. 5. — Signum hoc luxuriæ est, si ad mores romanos respiciatur. Eodem sensu Horatius, *partem solido demere de die*, Od. I, 1, 20. Vid. Lipsium ad Tac. Ann. XIV, 2. Ed.

6. *Domo, diu ad varias omnium voluptatum illecebras instructa;* vide ad VI, 5, n. 3. Hæc est lectio omnium et edd. et MSS, nisi quod in iis *instructum*, et in plerisque MSS *omnibus illecebris* legitur. Ea firmatur imitatione Curtii V, 1, § 36: *Nec ullus locus disciplinæ militari magis nocuit. Nihil urbis ejus* (Babylonis) *corruptius moribus, nec ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius.* Longius ab illa recedunt aliorum emendationes, *domo luxuriosa*, vel *divite, omnibus voluptatum illecebris instructum.*

7. *Unus nec dominorum invitatione vinci potuit*, persuaderi, permoveri ad largius bibendum, compelli, ut genio indulgeret. Confer Sil. XI, 303 sq. *Dominorum*, scilic. convivii, seu epuli, h. e. qui epulum præbebant (conf. princ. cap.), ut apud Cic. Vatin. 13, unde et *dominia* eidem in Verr. III, 4, et Gell. II, 24 pr. convivia dicuntur. Cf. Non. Marcell. IV, 125. Mox *ipso valetudinem, patre animi quoque*, etc., conj. Doer. In MSS est magna varietas lectionis. Nostra debetur Gronovio in Obss. IV, 4. — *Patre animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem causante*, prætexente, excusante. *Patrem illius excusationi* ita subserviisse, ut diceret, non mirum esse, si tentationem

interturbationem causante. Solis ferme occasu patrem Calavium, ex convivio egressum, sequutus filius, ubi in secretum (hortus erat posticis ædium[8] partibus) pervenerunt, « Consilium, inquit, affero, pater, quo « non veniam solum peccati, quod defecimus ad Han- « nibalem, impetraturi ab Romanis, sed in multo ma- « jore dignitate et gratia simus Campani, quam un- « quam fuimus. » Quum mirabundus pater, *quidnam id esset consilii*, quæreret; toga rejecta ab humero, latus succinctum gladio nudat: « Jam ego, inquit, san- « guine Hannibalis sanciam romanum fœdus. Te id prius « scire volui, si forte abesse, dum facinus[9] patratur, « malles. »

IX. Quæ ubi vidit audivitque senex, velut si jam agendis, quæ audiebat, interesset, amens metu, « Per « ego te, inquit, fili, quæcumque jura liberos jun- « gunt parentibus, precor[1] quæsoque, ne ante oculos « patris facere et pati omnia infanda velis. Paucæ horæ « sunt[2], intra quas jurantes per quidquid deorum est,

corporis animi quoque mutatio quædam subsequeretur, monet Gron. l. l. Idque probabilius videtur, quam quod suspicabatur Duk., patrem ad excusationem filii addidisse, non mirum esse, eum apud Hannibalem animo perturbari, ut qui sibi conscius esset eorum, quæ adversus eum dixisset fecissetque, et etiam ob hanc perturbationem animi, quæ ad valetudinem accederet, minus hilariter epulari.

8. *Hortus erat* in *posticis ædium partibus* (ut XL, 2, n. 2, ubi vide Gronov.), viridarium, triclinio fere adjacens. Conf. Vitruv. VI, 10. *Posticum ædium* inf. XLV, 6, 2.

9. *Dum facinus patratur*, forte *patraretur;* sed non urgeo: nam sane de re ut præsenti sermo; Bauer.

Cap. IX. 1. *Per ego te, fili, quæcumque jura...precor*, pro: *ego te, fili, precor per jura*, etc. In orando cum affectu quodam vehementiori præpos. *per* a suo nomine avelli, et in principio orationis poni solet; Stroth. Conf. ad XXIX, 18, n. 4; XL, 9, n. 5, et ad Sil. I, 658. Sic et πρὸς σὲ θεῶν, πρὸς σὲ γούνων apud Eurip. Med. 325, ubi vide Porson.

2. *Paucæ horæ sunt*, etc., pro: num ideo ante paucas horas jurantes, etc. Stroth. Forte legendum *fidem obstrinximus: et sacratas fide manus ...in eum* (Hannibalem) *armamus?* et mox *cruentes* pro *cruentares*, quod minus apte refertur ad *adhibitus es.*— Hunc locum ita emendat Cl. *Büttner* Observ. p. 61, sqq. *Paucæ horæ sunt*

« dextræ dextras jungentes, fidem obstrinximus, ut « sacratas fide manus, digressi ab colloquio, extem- « plo in eum armaremus? Ab hospitali mensa[3] surgis, « ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Han- « nibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis « sanguine? Hannibalem pater filio meo potui placare, « filium Hannibali non possum? Sed sit nihil sancti, « non fides, non religio, non pietas : audeantur in- « fanda, si non perniciem nobis cum scelere afferunt. « Unus aggressurus es Hannibalem? Quid illa turba tot « liberorum servorumque? quid in unum intenti om- « nium oculi? quid tot dextræ? torpescentne in amen- « tia illa[4]? Vultum ipsius Hannibalis, quem armati « exercitus sustinere nequeunt, quem horret populus « romanus, tu sustinebis? et, alia auxilia desint, me « ipsum ferire, corpus meum opponentem pro cor- « pore Hannibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus « petendus ille tibi, transfigendusque est. Deterreri hic

...*fidem obstrinximus. Obstrinximus* (ne illam ideo), *ut sacratas... armaremus?* Libenter tamen Cl. *Ruperti* conjecturam accipiat, dummodo servetur *armaremus :* in proximis quoque *cruentares* defendit, quia *surgis* videri debet pro *surrexisti;* adeoque hic adest legitima temporum consecutio. Ed.

3. *Ab hospitali mensa,* quæ sacra est; vide ad XL, 10, n. 3; ad Taciti Annal. II, 65, n. 4; XIII, 17, n. 6; XV, 52, n. 3; Sil. XVII, 68; Juven. II, 110. — *Sed sit nihil sancti, non fid., non rel.,* etc. Duo argumenta sunt, quibus deterret filium pater, unum ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ, alterum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Sigon. — Male; *sed si nihil ... non pietas audiantur.* Ed.

4. *Torpescentne in amentia illa?* h. e. quum tu tam amens eris, quum illam tuam amentiam, quum te tam amentem videbunt; Duker. Τὸ *in* del. putabat Gronovius. — *Vultum.* Hæc transtulit Silius, lib. XI, 339 sqq., illamque sententiam vividis coloribus ita adornavit : « Fallit te, mensas inter quod credis inermem. Tot bellis quæsita viro, tot cædibus armat Majestas æterna ducem. Si admoveris ora, Cannas et Trebiam ante oculos, Trasymenaque busta, Et Paulli stare ingentem miraberis umbram. » Ed. — Si vel *alia auxilia desint,* alii, qui Hannibalem juvent et tueantur. *Ut* (quamvis) *alia* reposuit Str. *Tales* vel *talia* pro *et alia* in MSS et edd. antt. — *Per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque est,* interficere illum nequis, quin me ante interficias, nisi me prius occiso : ut fere XL, 9, n. 3. *Per meum latus tu petaris,* h. e. a me cædes ad te veniat, me sublato te pe-

« sine te potius, quam illic vinci : valeant preces apud « te meæ, sicut pro te hodie valuerunt[5]. » Lacrymantem inde juvenem cernens, medium complectitur, atque, osculo hærens, non ante precibus abstitit, quam pervicit, ut gladium poneret, fidemque daret, nihil facturum tale. Tum juvenis, « Ego quidem, inquit, « quam patriæ debeo, pietatem exsolvam patri. Tuam « doleo vicem, cui ter proditæ patriæ sustinendum « est crimen; semel, quum defectionis ab Romanis, « iterum, quum pacis cum Hannibale fuisti auctor; « tertio hodie, quum restituendæ Romanis Capuæ « mora atque impedimentum es. Tu, patria, ferrum, « quo pro te armatus hanc arcem hostium inii[6], quan- « do parens extorquet, recipe. » Hæc quum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abjecit : et, quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

X. Postero die senatus frequens datus[1] Hannibali; ubi prima ejus oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis, quod amicitiam suam Romæ societati præposuissent : et inter cætera magnifica promissa pollicitus, brevi caput Italiæ omni[2] Capuam fore, juraque inde cum cæteris populis Romanum etiam petiturum. Unum esse exsortem punicæ ami-

tat; Bauer. Conf. Cic. Vatin. 5 extr. — *Deterreri hic sine*, patere.

5. *Pro te hodie valuerunt* apud Hannibalem. Conf. cap. 8. — *Osculo hærens*, non cessans eum osculari. Cf. ad XXXIV, 48, n. 2. — Hujus pulcherrimæ orationis omnem vim explicatam et mire descriptam vide apud Rollinum, *Traité des Etudes*, lib. III, cap. 3, art. 2, § 1. Ed.

6. *Hanc arcem hostium inii* (domum, in qua et Hannibal hostis deversatur, et alii patriæ hostes, qui eum tuentur, habitant epulanturve; confer ad I, 55, n. 6, et III, 45, n. 9), ex emend. Rubenii cum Strothio recepi pro vulg. *hanc arcem defendere volebam, hosti minime parcens*. A tribus optimis MSS, Flor., Cantabr. et Put. absunt verba *defendere volebam* et *parcens*; in Put. autem exstat *hanc arcem hostrimini*. — *Quando*; vide ad V, 25, n. 3. — *In publicum*; vide ad II, 24, n. 6.

Cap. X. 1. *Senatus frequens datus Hannibali*; vid. VIII, 5, n. 1. — Mox *et* ante *inter* del. videtur; Bauer.

2. *Caput Italiæ omni* MSS, non

citiæ fœderisque secum facti, quem neque esse Campanum, neque dici debere, Magium Decium. Eum postulare, ut sibi dedatur, ac se præsente de eo referatur, senatusque consultum fiat. Omnes in eam sententiam ierunt[3] : quanquam magnæ parti et vir indignus ea calamitate, et haud parvo initio minui videbatur jus libertatis. Egressus curia, in templo magistratus[4] consedit; comprehendique Decium Magium, atque ante pedes destitutum[5] causam dicere jussit. Qui quum, manente ferocia animi, negaret lege fœderis[6] id cogi posse, tum injectæ catenæ, ducique ante lictorem in castra est jussus. Quoad capite aperto est ductus, concionabundus incessit, ad circumfusam undique multitudinem vociferans : « Habetis libertatem, Campani, quam petistis. Foro medio, luce « clara, videntibus vobis, nulli Campanorum secundus[7], vinctus ad mortem rapior. Quid violentius Capua capta fieret? Ite obviam Hannibali, exornate « urbem, diemque adventus ejus consecrate, ut hunc « triumphum de cive vestro spectetis. » Hæc vociferanti, quum moveri vulgus videretur, obvolutum caput est, ociusque rapi extra portam jussus. Ita in castra perducitur; extemploque impositus in navim,

*omnis*. Conf. VIII, 6. — *Eum postulare, ut sibi dedatur* pro *postulare se, ut is sibi d.* Cf. ad XL, 20, n. 2.

3. *Omnes in eam sententiam ierunt;* vide ad I, 32, n. 13.

4. *Egressus curia in templo,* tribunali (cf. ad I, 6, n. 5), *magistratus,* Marius Blosius prætor, *consedit;* Duk. Sic et *magistratus* Capuæ XXVI, 13 pr. et hinc Jac. Gron. XXIV, 47, 8, pro *magistratuum* conj. *magistratus,* quia non nisi unus Capuæ magistratus fuerit, dictus prætor aut medixtuticus. Alii haud dubie minores ibi fuere præter hunc summum; sed probabile esse, hoc a solo medixtutico peti ac permitti potuisse, monet Dukerus. — Locus qui juri dicundo erat destinatus, hic *templum* vocatur, nimirum quod auguriis consecratus esset : ea est enim voc. *templum* significatio. Ed.

5. *Ante pedes* magistratus considentis *destitutum;* vid. supra ad lib. II, cap. 12, n. 4.

6. *Lege fœderis* se ad *id cogi posse;* vide ad IV, 26, n. 5.

7. *Nulli Campanorum secundus,* nullo inferior genere, virtutibus et

et Carthaginem missus; ne, motu aliquo Capuæ ex indignitate rei orto, senatum quoque pœniteret dediti principis, et, legatione missa ad repetendum eum, ne aut negando rem[8] quam primum peterent, offendendi sibi novi socii, aut tribuendo, habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum auctor. Navem Cyrenas detulit tempestas, quæ tum in ditione regum erant[9]. Ibi quum Magius ad statuam Ptolemæi regis[10] confugisset, deportatus a custodibus Alexandriam ad Ptolemæum, quum eum docuisset, contra jus fœderis vinctum se ab Hannibale esse, vinculis liberatur; permissumque, ut rediret, seu Romam, seu Capuam mallet. *Nec* Magius *Capuam sibi tutam* dicere; *et Romam eo tempore, quo inter Romanos Campanosque bellum sit, transfugæ magis, quam hospitis, fore domicilium. Nusquam malle, quam in regno ejus, vivere, quem vindicem atque auctorem habeat libertatis.*

XI. Dum hæc geruntur, Q. Fabius Pictor[1] legatus a Delphis Romam rediit, responsumque ex scripto recitavit: divi quoque in eo erant[2], quibus, quoque modo supplicaretur. Tum, « Si ita faxitis, Romani, vestræ

amore patriæ. — Cf. Virg. Æn. XI, 441, vol. IV, p. 239, nost. Edit. Ed.

8. *Ne aut negando rem :* forte del. *ne,* aut interponendum verbis *et legatione;* Duker. *Primum,* forte *primam;* Gronovius et Bauer.

9. *Quæ tum in ditione regum erant,* scil. *Ægypti,* quod excidisse suspicabatur Lips.: at tacuit hoc Livius, quia Cyrenæ modo eosdem, quos Ægyptus, modo proprios habuere reges, ut Magam, Physconem, Apionem; Gron. (Vide Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. v. 68.) Sed hi quoque vel simul Ægypti erant reges, vel sub eorum fere imperio; eoque spectant, quæ his verbis subjunxit Livius. Hinc vix dubium, quin pro *regum* scripserit *Ægypti,* et librarii hoc nomen proprium more suo corruperint.

10. *Ad statuam regis confugisset;* vide ad Tacit. Annal. III, 36, n. 3. *Ptolemæus* Philopator tum rex Ægypti erat. — Quæ de Magio ejusque filiis disseruimus, adi, si vacat, ad Velleium, nostræ Edit. p. XIV sqq. Ed.

Cap. XI. 1. *Q. Fabius Pictor,* etc.; conf. XXII, 57; Plutarch. in Fabio, et Appian. in historia Hannib.

2. *Divi quoque in eo* scripto *erant* memorati, *quibus* divis, *quoque,* et quo *modo supplicaretur. Tum,* scilicet

« res meliores facilioresque erunt [3] : magisque ex sen-
« tentia respublica vestra vobis procedet, victoriaque
« duelli populi romani erit. Pythio Apollini, republica
« vestra bene gesta [4] servataque, lucris meritis [5] do-
« num mittitote, deque præda, manubiis, spoliisque
« honorem habetote [6], lasciviam a vobis prohibetote. »
Hæc ubi ex græco carmine interpretata recitavit, tum dixit, *se oraculo egressum extemplo his omnibus divis rem divinam thure ac vino fecisse; jussumque ab templi antistite, sicut coronatus laurea corona* [7] *et oraculum adisset, et rem divinam fecisset, ita coronatum navim adscendere, nec ante deponere eam, quam Romam pervenisset. Se, quæcumque imperata sint, cum summa religione ac diligentia exsequutum; coronam*

in eo scripto legebantur hæc, vel illis subjuncta erant hæc.

3. *Vestræ res meliores facilioresque*, commodiores, expeditiores, non tot tantisque difficultatibus obnoxiæ, *erunt*, ut apud Cicer. ad Div. VI, 5, *res et fortunæ tuæ quotidie faciliores mihi et meliores videntur*. Cf. XXV, 12, n. 8. — *Victoria duelli;* vide ad VI, 8, n. 5.

4. *Republica vestra bene gesta;* v. ad II, 64, n. 3.

5. *Lucris meritis*, variis commodis comparatis, scilic. *præda, manubiis, spoliis;* Strot. Præmiis perceptis, quæ deorum nutu vestraque pietate et virtute promeriti estis, ut XLV, 39, *merita dona;* nisi leg. *lubentes merito*, vel *divisque mer.:* plures enim Pythio σύνναοι, unde mox *his omnibus divis*, et apud. Justin. XXIV, 8, alia huc pertinentia; Gron. — Non unum et idem sunt tria verba, *præda, manubiæ, spolia*, quanquam aliquoties apud non ignobiles scriptores aliud pro alio invenire sit. *Spolium* est, quodcumque hostibus detrahitur; *præda*, corpora ipsa rerum quæ capta sunt; *manubiæ*, pecunia per quæstores ex præda vendita contracta. Conf. Gellium, XIII, 23, ad finem. Ed.

6. *Honorem habetote* Apollini; vid. ad VIII, 33, n. 12. — *Lasciviam*, irreligiosam exsultationem in rebus secundis, atque ortam ex ea deorum incuriam et oblivionem; Gronov. Est vero oraculi potius et carminis græci dictio, quam Livii; Ern.

7. *Coronatus laurea corona*, etc. Nam Græci, inprimis sacerdotes, rem sacram faciebant ornati coronis, et quidem ab arbore ei deo sacra, cui honor habebatur, desumpta; v. XXV, 12 extr.; XXVII, 37 extr.; XXXIV, 55; XXXVI, 37; XL, 37; XLIII, 13; et de ludis, re sacra, X, 47; XXV, 12. Conf. Potteri Archæol. II, 4, p. 533, ed. Ramb., et IV, 20, pag. 672-677; Lips. Milit. rom. V, 17, et Vales. ad Castellani Synt. de Græcorum festis in ΔΗΛΙΑ. (Gronov. Thes. Ant. gr. t. IX.) Præterea qui lætum

*Romæ in aram Apollinis deposuisse.* Senatus decrevit, ut eæ res divinæ supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent. Dum hæc Romæ[8] atque in Italia geruntur, nuntius victoriæ ad Cannas Carthaginem venerat Mago, Hamilcaris filius; non ex ipsa acie a fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis civitatibus Bruttiorum, quæque deficiebant. Is, quum ei senatus datus esset[9], res gestas in Italia a fratre exponit: *Cum sex imperatoribus eum, quorum quatuor consules, duo dictator ac magister equitum fuerint, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse: occidisse supra ducenta millia hostium: supra quinquaginta millia cepisse. Ex quatuor consulibus duos occidisse; ex duobus saucium alterum; alterum, toto exercitu amisso, vix cum quinquaginta hominibus effugisse. Magistrum equitum, quæ consularis potestas sit, fusum fugatumque: dictatorem, quia se in aciem nunquam commiserit, unicum haberi impera-*

oraculi responsum acceperant, lauro coronati domum redibant: quibus vero vel tristes obtigerant sortes, vel domum repetentibus adversi quid acciderat, ii deponebant coronas; vide Intpp. Eurip. Hipp. 806, et Sophocl. Trach. 180; Brunck. ad Sophocl. Œdip. Tyrannum, 83, et ad Aristophanis Equites, 647, et Plutum, 21; Kust. ad Suid. v. στεφανοῦν. Vocem *corona*, et mox *coronatum* glossatori deberi, jam suspicati sunt alii. Illa abest etiam a MS Cantabr. Cf. XXVII, 37 extr.

8. *Dum hæc Romæ*, etc. Hic initium novi capitis erat faciendum. — *Quæque deficiebant*, quæcumque; vid. I, 24, n. 4. — Creverius leg. existimat, *ut quæque deficiebant;* nam alibi quam in Bruttiis defecerunt, scilicet Hirpini, et alii Italiæ populi. Ed.

9. *Quum ei senatus datus esset;* v. ad VIII, 5, n. 1. Mox, quod jam alii notarunt, suspicari possis: *Cum septem imperatoribus eum, quorum quinque consules* (P. Cornelius Scipio, Ti. Sempronius, C. Flaminius, L. Æmilius Paulus, C. Terentius Varro), *duo dictator ac mag. eq. fuerint* (Q. Fabius et M. Minucius), *cum sex* (immo pluribus) *consularibus exercitibus... Ex quinque consulibus duos* (Flaminium et Paulum) *occidisse; ex duobus saucium alterum* (Scipionem); *alterum* (Varronem), *toto exercitu*, etc. Sed illa *ex quinque consulibus* non satis conveniunt sequentibus, et vix probabile, omnes librarios ad veram lectionem toties corrumpendam conspirasse. Quis vero sibi persuadeat, Livium tam turpiter labi potuisse, et Magonem elevasse potius rem, quam amplificasse?

*torem. Bruttios Apulosque, partim Samnitium* [10] *ac Lucanorum defecisse ad Pœnos. Capuam, quod caput, non Campaniæ modo, sed, post afflictam rem romanam cannensi pugna, Italiæ sit, Hannibali se tradidisse. Pro his tantis totque victoriis, verum esse, grates diis immortalibus agi haberique.*

XII. Ad fidem deinde tam lætarum rerum [1], effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut, metientibus dimidium super tres modios explesse, sint quidam auctores [2]. Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium esset, neminem, nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, id gerere insigne. Summa fuit orationis, *Quo propius spem belli perficiendi sit, eo magis omni ope juvandum Hannibalem esse; procul enim ab domo militiam esse, in media hostium terra. Magnam vim frumenti, pecuniæ, absumi; et tot acies, ut hostium exercitus delesse, ita victoris etiam copias parte aliqua minuisse. Mittendum igitur supplementum esse,*

10. *Partim Samnitium*, ἀρχαικῶς pro *partem*. Conf. ad XXVI, 46, n. 5; XLII, 41, n. 1; Gell. X, 13, et Gronov. Obss. III, 2. — *Verum esse;* vide ad II, 48, n. 2.

Cap. XII. 1. *Ad fidem tam lætarum rerum;* vide ad XXI, 13, n. 2. — *Dimidium super tres modios*, duos modios memorat Flor. II, 16; tres Plin. XXXIII, 1, seu 6, et Augustin. Civit. Dei, III, 19. Excessisse modii mensuram, dicit auctor Epit., unde tamen mox legere nolim *paulo plus fuisse modio* cum Periz. Anim. Hist., c. 9, p. 378, quod etiam monuit jam Duk. — *Metientibus;* vide supra ad librum I, cap. 8, n. 5.

2. *Sint quidam auctores;* vide ad II, 58, n. 1. — *Fama tenuit;* vid. ad I, 4, n. 9. — *Equitem, atque eorum* equitum *ipsorum primores:* « Magnificentius hoc, quam verius, ob causam, quam dicit Livius; vide Sigon. de Ant. Jur. civ. rom. II, 3. Ferrarius Epist. II, 2, scribit, hinc necessario consequi, aut non omnes equites romanos tunc annulis aureis usos fuisse, sed tantum primores, aut in equitum turmis alios etiam ex plebe militasse. Neutrum ex gloriosa oratione Magonis consequitur. Sed in turmis equitum roman. etiam plebeios militasse, tam certum est, quam tribunos plebis ejusdem ordinis fuisse. » Dukerus. — *Quo propius spem b. p. sit* Hannibal. Conf. ad II, 48, n. 5.

*mittendam in stipendium pecuniam frumentumque tam bene meritis de nomine punico militibus.* Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus, Himilco, vir factionis Barcinæ, locum Hannonis increpandi esse ratus [3], « Quid est, Hanno? inquit. Etiam nunc pœnitet « belli suscepti adversus Romanos? Jube dedi Hanni- « balem : veta in tam prosperis rebus grates diis im- « mortalibus agi. Audiamus romanum senatorem [4] in « Carthaginiensium curia. » Tum Hanno : « Tacuissem « hodie, Patres conscripti, ne quid in communi om- « nium gaudio, minus lætum quod esset vobis, loque- « rer. Nunc interroganti senatori, pœniteatne me ad- « huc suscepti adversus Romanos belli [5], si reticeam, « aut superbus, aut obnoxius videar [6] : quorum al- « terum est hominis alienæ libertatis obliti, alterum « suæ. Respondeam igitur Himilconi, non desisse pœ- « nitere me belli, neque desiturum ante invictum ve- « strum imperatorem incusare, quam finitum aliqua « tolerabili conditione bellum videro : nec mihi pacis « antiquæ desiderium ulla alia res, quam pax nova, « finiet. Itaque ista, quæ modo Mago jactavit, Hi- « milconi cæterisque Hannibalis satellitibus [7] jam læta « sunt. Mihi possunt læta esse, quia res bello bene « gestæ, si volumus fortuna uti, pacem nobis æquio-

3. *Himilco, vir factionis Barcinæ, locum Hannonis increpandi esse ratus;* vide ad XXI, 2, n. 5. Mago ipse Hannonem increpat apud Sil. XI, 542 sq. — *Quid est, Hanno?* ut apud Cic. Catil. I, 5 et 8. Nos uno verbo mirabundi *Nun!* Stroth. — *Etiam nunc pœnitet*, scil. te; vide II, 54, n. 16.

4. *Romanum senatorem*, Romanis faventem. — *Patres conscripti;* vide ad II, 1, n. 14.

5. *Interroganti senatori... si reticeam;* vide ad lib. III, cap. 41, n. 4.

6. *Aut obnoxius videar;* vide ad III, 39, n. 1. — *Invictum vestrum imp.* Vulgabatur antea *nostrum?* sed altera lectio e Put. libro admittenda fuit, ut qua sese prodit indignatio et contemptus. Ed.

7. *Cæterisque Hannibalis satellitibus* (ministris, vel administris, adjutoribus, ut XXV, 29, et XXXIV, 41) *jam læta sunt;* forte *jam* aut *tam læta sint.*

« rem dabunt : nam si prætermittimus hoc tempus, « quo magis dare, quam accipere, possumus videri « pacem, vereor, ne hæc quoque lætitia luxuriet no- « bis[8], ac vana evadat. Quæ tamen nunc quoque qualis « est? Occidi exercitus hostium : mittite milites mihi. « Quid aliud rogares, si esses victus? Hostium cepi « bina castra, prædæ videlicet plena et commeatuum : « frumentum et pecuniam date. Quid aliud, si spolia- « tus, si exutus castris esses, peteres? Et, ne omnia « ipse mirer (mihi quoque enim, quoniam respondi « Himilconi, interrogare jus fasque est), velim seu « Himilco, seu Mago respondeat : quum ad interne- « cionem romani imperii pugnatum ad Cannas sit, « constetque in defectione totam Italiam esse; pri- « mum ecquis latini nominis populus[9] defecerit ad « nos? deinde ecquis homo, ex quinque et triginta tri- « bubus, ad Hannibalem transfugerit? » Quum utrumque Mago negasset; « Hostium quidem ergo, inquit, « adhuc nimis multum superest : sed, multitudo ea « quid animorum, quidve spei habeat, scire velim. »

XIII. Quum, id nescire, Mago diceret: « Nihil faci- « lius scitu est, inquit. Ecquos legatos ad Hannibalem « Romani miserunt de pace? ecquam denique mentio- « nem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est? » Quum id quoque negasset : « Bellum igitur, inquit, « tam integrum habemus, quam habuimus, qua die « Hannibal in Italiam est transgressus. Quam varia vi- « ctoria priore punico bello[1] fuerit, plerique, qui me-

8. *Lætitia luxuriet nobis;* vide ad II, 21, n. 4.

9. *Latini nominis populus;* vide ad I, 10, n. 2. — *Ex XXXV tribubus;* vide ad I, 43, n. 22. Si accurate hæc dicta, jam tum tot tribus fuere.

CAP. XIII. 1. *Priore punico bello*, ridicule, quum Pœnus loquatur, qui non potuit magis id punicum bellum dicere, quam Romanus, si loqueretur, romanum : ergo dele τὸ *punico*, aut, si vis, subjice *romano*, vel *italico*, aut *pugnatum;* Gron. Sed scriptores sæpe ex sua ratione loquuntur, quum ex

« minerimus, supersumus. Nunquam terra marique « magis prosperæ res nostræ visæ sunt, quam ante con- « sules C. Lutatium et A. Postumium fuerunt. Lutatio « et Postumio consulibus, devicti ad Ægates insulas « sumus. Quod si (id quod dii omen avertant) nunc « quoque fortuna aliquid variaverit, tum pacem spe- « ratis, quum vincemur, quam nunc, quum vincimus, « dat nemo? Ergo, si quis de pace consulet, seu defe- « renda hostibus, seu accipienda, habeo, quid sen- « tentiæ dicam : si de iis, quæ Mago postulat, refertis; « nec victoribus mitti [2] attinere puto, et frustrantibus « nos falsa atque inani spe multo minus censeo mit- « tenda esse. » Haud multos movit Hannonis oratio : nam et simultas cum familia Barcina leviorem auctorem faciebat, et occupati animi præsenti lætitia nihil, quo vanius fieret gaudium suum, auribus admittebant; debellatumque mox fore, si adniti paululum voluissent, rebantur. Itaque ingenti consensu fit senatusconsultum, ut Hannibali quatuor Numidarum [3] millia in supplementum mitterentur, et quadraginta ele-

aliorum loqui deberent; Str. Recte : non vero, ubi alios loquentes inducunt; saltem id non probandum. — Hic non omittendam censuimus Walchii sententiam, Emendat. p. 216, qui vocem *punico* defendere conatur. Sane quidem mutanda erit, si, quid personæ senatoris carthaginiensis conveniat, quæramus. Condonari autem ea debet scriptori, qui ubique ostendit se sententiam verborum magis curare, quam verba : nec ab hac culpa alienus est aliquot locis etiam Tacitus. Ed. — *Quam nunc, quum vincimus;* vid. ad IX, 3, n. 2.

2. *Nec victoribus mitti,* quæ Mago postulat, *attinere puto;* conf. ad cap. 3, n. 4. — *Simultas cum familia Barcina* (vide ad XXI, 2, n. 5) *leviorem auctorem* sententiæ *faciebat;* vide ad I, 16, n. 7.

3. *Quatuor Numidarum,* sc. equitum, *millia :* ante *millia* excidisse *viginti peditum* putabat Drakenb.; ego autem, *duodecim millia peditum,* de quibus vide cap. 32. Quod caput si contuleris cum nostro, vel ibi, vel h. l. plura corrupta suspicari possis. Quæ mox memorantur *viginti millia peditum, quatuor equitum* in Hispania erant conducenda, non, ut Numidæ, in Africa, nec soli mittenda Hannibali. Mox pro *multa* Muretus acute conjecit *M. VCta,* h. e. *mille quingenta,* et Gron. *mille* ex c. 32. — *Argenti multa talenta.* Creverius mallet *mille talenta*

phanti, et argenti multa talenta; dictatorque cum Magone in Hispaniam præmissus est ad conducenda viginti millia peditum, quatuor equitum, quibus exercitus, qui in Italia, quique in Hispania erant, supplerentur.

XIV. Cæterum hæc, ut in secundis rebus[1], segniter otioseque gesta. Romanos, præter insitam industriam animis, fortuna etiam cunctari prohibebat: nam nec consul ulli rei[2], quæ per eum agenda esset, deerat; et dictator M. Junius Pera[3], rebus divinis perfectis, latoque, ut solet, ad populum, ut equum escendere liceret, præter duas urbanas legiones[4], quæ principio anni a consulibus conscriptæ fuerant, et servorum delectum, cohortesque ex agro piceno et gallico collectas, ad ultimum prope desperatæ reipublicæ auxilium, quum honesta utilibus cedunt, descendit[5],

ex cap. 32, infra. — *Dictatorque;* vide ad I, 22, n. 4.

Cap. XIV. 1. *Ut in secundis rebus;* vide ad VIII, 30, n. 7. — *Segniter otioseque g.*, velut per otium, lente, velut si tempus superesset; Bauer.

2. *Nam nec consul ulli rei... deerat;* vide ad III, 46, n. 3.

3. *Dictator M. Junius Pera;* confer XXII, 57. — *Latoque, ut solet* ferri, vel, ut XXXVI, 23, n. 1; XLI, 14, n. 2, et al. (aut *ut adsolet* XXXVII, 14, n. 3), *ad populum* (vid. supra ad I, 41, n. 10, et IV, 58, n. 10), *ut equum escendere* (vide ad II, 7, n. 7) *liceret:* de quo ritu, satis forte antiquo, saltem non a Fabio instituto, quod perperam ex Plutarch. Fab. pag. 175, colligitur (ubi πρῶτον ᾐτήσατο, *primum petiit*, postquam dictator creatus fuerat, non πρῶτος dixit), vide Manut. de Leg. c. 5; Gruch. de Com. Rom. III, 2; Pigh. Ann. ad ann. 252, loc. class.; Plutarch. l. l., et Duker. ad h. l., qui ex Zon. VII, 13, suspicatur, dictatori non in Urbe, neque priusquam ad bellum proficisceretur, ascendere equum licuisse; in bello autem, etsi Plutarchus contrarium doceat vanam ob rationem, eum equo vehi non prohibitum fuisse, idque liquere vel ex Livio, II, 19, 20; Dionysio, VI, 11, 12; X, 24, usum equi in bello sæpe necessarium ei esse, non item in Urbe, sed id populo forsan τυραννικώτερον visum. Cur vero hæc lex ad populum ferri solebat? fortassis ut imperium ipsis militare comitiis curiatis daretur, quod hoc ritu videtur significatum fuisse; confer ad librum V, cap. 46, n. 8.

4. *Præter duas urbanas legiones*, quas olim conscriptas fuisse, non tradidit Livius XXII, 36. — De *servorum delectu* vide XXII, 57.

5. *Ad ultimum prope desperatæ reipublicæ auxilium* (quod mox memoratur) *descendit:* nam *descendere aliquo* vel *ad aliquid* dicuntur, qui inviti, et necessitate coacti (cf. Cic.

edixitque : *Qui capitalem fraudem ausi*[6], *quique pecuniæ judicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque sese exsolvi jussurum.* Ea sex millia hominum[7] gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminii translata erant, armavit : itaque cum viginti quinque millibus armatorum ab urbe proficiscitur. Hannibal, Capua recepta, quum iterum Neapolitanorum animos, partim spe, partim metu, nequidquam tentasset, in agrum nolanum exercitum traducit ; (et) ut non hostiliter statim, quia non desperabat voluntariam deditionem, ita, si morarentur spem, nihil eorum, quæ pati aut timere possent, prætermissurus. Senatus, ac maxime primores ejus in societate romana cum fide perstare : plebs novarum, ut solet, rerum atque Hannibalis tota esse[8] ; metumque agrorum populationis, et patienda in obsidione multa gravia indignaque proponere animo : neque auctores defectionis deerant. Itaque ubi senatum metus cepit, si propalam tenderent, resisti multitudini concitatæ non posse ; secunda simulando dilationem mali inve-

pro Quint. 16), quædam faciunt, confugiuntque ad alia, eaque graviora vel extrema adeo remedia, ubi leniora non sufficiunt aut valent. Conf. XLV, 15, n. 4 ; Gronov. ad Epit. Liv. lib. V, et Ern. Clav. Cic. Cæterum h. l. nexum desiderari verborum, jam notavit Doering. Malim tamen anacoluthon agnoscere, quam cum eo legere : « M. Junius Pera... præter duas urbanas legiones ... dum ad ultimum prope ... jussurum, sex millia hominum... armavit. » Lenius fluet oratio, si reposueris : « Cohortes quoque ex agro piceno et g. collegit, et ad ultimum, etc. »

6. *Qui capitalem fraudem ausi ;* v. ad III, 53, n. 4, et XXII, 10, n. 6. — *Pecuniæ judicati ;* vide ad I, 26, n. 4, et VIII, 28, n. 8. — *Noxa ;* v. ad X, 19, n. 2.

7. *Ea* (al. *et*) *sex millia hominum,* h. e. tali modo ex reis conscripta. — *Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminii t. e. ;* vid. ad XXI, 63, n. 3. — *Itaque ;* vide ad III, 30, n. 3. Mox copulam *et,* quam delendam esse jam alii viderunt, asteriscis inclusi.

8. *Plebs novarum, ut solet* esse, *rerum atque Hannibalis tota esse ;* v. ad III, 36, n. 4, et XXI, 11, n. 1. In plerisque Italiæ civitatibus plebem Pœnis, senatum Romanis favisse, monet Liv. XXIV, 2. — *Si propalam tenderent ;* vide ad IV, 8, n. 6. — *Secunda simulando ;* vid. ad II, 38, n. 3. *Secunda* pro vulg. *clam* ex opti-

niunt. Placere enim sibi defectionem ad Hannibalem simulant: quibus autem conditionibus in fœdus amicitiamque novam transeant, parum constare. Ita spatio sumpto, legatos propere ad prætorem romanum Marcellum Claudium[9], qui Casilini cum exercitu erat, mittunt, docentque, quanto in discrimine sit nolana res; agrum Hannibalis esse, et Pœnorum; urbem extemplo futuram, ni subveniatur: concedendo plebei senatum, ubi velint, defecturos se; ne deficere præfestinarent, effecisse. Marcellus, collaudatis Nolanis, eadem simulatione extrahi rem[10] in suum adventum jussit: interim celari, quæ secum acta essent, spemque omnem auxilii romani. Ipse a Casilino Calatiam petit: atque inde, Vulturno amni trajecto, perque

mis MSS cum Strothio recepi auctore Gron., qui tamen malebat: *posse, obsecundando dilationem m. i.*, quod omnino arridere potest collato simili loco III, 35, *propalam obviam ire cupiditati parum ausi, obsecundando* (blande cedendo) *mollire impetum aggrediuntur*. Sic et mox: *concedendo plebei senatum*, etc. — Suam huc quisque interpretum conjecturam attulit, quum nullus sit codd. consensus. Walchius, Emend. p. 36 sqq. plura de hoc loco disseruit, legendumque censet: *clam stimulando*, id est, dum clam irritant, impelluntque ad id, quod agitabant. Ed.

9. *Marcellum Claudium* (vide ad III, 1, n. 1), *qui Casilini cum exercitu erat*: in quibusdam libris *Canusii*, prob Sigon. coll. XXI, 57, et Plut. Marcell. p. 302. Sed omnes fere MSS adversantur, et Marcellus Canusio proficisci potuit Casilinum. — Alias quoque rationes huc adjecit Drak., quia Canusium longius quam Casilinum ab urbe Nola distat, unde senatui nolano difficile fuisset tam cito præsidium arcessere. Immo ad tabulas geographicas respiciamus: quod autem Marcellus non ad Casilinum Vulturnum trajecerit, sed ad Calatiam, causa esse potest, ut Nolam petens, Hannibalem, in agro nolano sedentem, evitaret. Ed.

10. *Simulatione extrahi rem*; vid. ad II, 61, n. 6. Mox *Trebianumque* MSS et edd. ante Gron. qui tacite ex emend. Cluverii reposuit *Trebulanumque*, quod mireris, quum ad Polyb. III, 91, moneat, *Trebiam* oppidum Campaniæ post jugum Calliculæ montis fuisse (conf. ad XXII, 15, n. 4), et adhuc nomen servare, rusticis autem vulgo Tregla dici. Emendatio tamen illa probabilis fit ex loco simili cap. 39, *transgressus Vulturnum Fabius et Trebulam et Saticulam urbes vi cepit*. Campaniæ etiam Τριβούλα oppidum a Ptol., *trebulanus ager* a Cicerone ad Att. V, 2 sq. et *Trebulani Balinienses* a Plinio, III, 5, seu 9, assignantur. Conf. supra ad librum X, cap. 1, n. 2.

agrum saticulanum trebianumque super Suessulam, per montes Nolam pervenit.

XV. Sub adventum prætoris romani, Pœnus agro nolano excessit, et ad mare proxime Neapolim descendit, cupidus maritimi oppidi potiundi, quo cursus navibus tutus ex Africa esset. Cæterum, postquam Neapolim a præfecto romano teneri accepit (M. Junius Silanus erat, ab ipsis Neapolitanis accitus), Neapoli quoque, sicut Nola, omissa, petit Nuceriam. Eam quum aliquandiu circumsedisset, sæpe vi, sæpe sollicitandis nequidquam nunc plebe, nunc principibus [1], fame demum in deditionem accepit, pactus, ut inermes cum singulis abirent vestimentis : deinde, ut qui a principio mitis omnibus Italicis, præter Romanos, videri vellet, præmia atque honores, qui remanerent, ac militare secum voluissent, proposuit. Nec ea spe quemquam tenuit : dilapsi omnes, quocumque hospitia, aut fortuitus animi impetus tulit, per Campaniæ urbes, maxime Nolam Neapolimque. Quum ferme triginta senatores, ac forte primus quisque, Capuam petissent, exclusi inde, quod portas Hannibali clausissent, Cumas se contulerunt. Nuceriæ præda militi data

Cap. XV. 1. *Sæpe vi, sæpe sollicitandis...principibus*, scilic. *in deditionem accipere* (vide VIII, 20, n. 7) *conatus*, quod intell. ex seqq. Str.; vide ad XXI, 43, n. 4. — *Pactus, ut inermes*, etc. « forte *pactos*, ut XXII, 52; XXXI, 17, 47; nam Livius in hac re fere *pacisci* et *pactos* dicit eos, qui se sub certa conditione dedunt. Sed *pacisci* etiam dicitur, qui alii pollicetur, et conditionem fert accipienti, vel quam eum accepturum putat : qua ratione Hannibal quoque dici potest cum iis pactus esse, ut, si urbem dederent, cum singulis vestimentis abirent »; Duk. — Mox *honores iis, qui remansissent, ac militare vellent secum, proposuit* edd. ante Gron. Nostræ lect. favent meliores MSS, nisi quod in omnibus est *remanserant*, et in uno *remanserint*, pro quo *remanerent*, vel *remanere* legendum monuit Gron. Cæterum nec nostræ, nec vulgatæ lect. repugnare temporum rationem, contendit Doer. adversus Str., qui hinc recepit illud *remanserint*, et perperam provocavit ad verba Cic. Tusc. Qu. V, 7 : *Xerxes præmium proposuit* (sc. *ei*, quod ab Ern., ut h. l. in edd. antt. *iis*, adjici, sed elegantius

est; urbs direpta atque incensa. Nolam Marcellus non sui magis fiducia præsidii, quam voluntate principum, habebat : plebes timebatur, et ante omnes L. Bantius[2], quem consensus attentatæ defectionis, ac metus a prætore romano nunc ad proditionem patriæ, nunc, si ad id fortuna defuisset, ad transfugiendum stimulabat. Erat juvenis acer, et sociorum ea tempestate prope nobilissimus eques : seminecem eum ad Cannas in acervo cæsorum corporum inventum, curatumque benigne, etiam cum donis Hannibal domum remiserat. Ob ejus gratiam meriti rem nolanam[3] in jus ditionemque dare voluerat Pœno; anxiumque eum et sollicitum cura novandi res prætor cernebat. Cæterum, quum aut pœna cohibendus esset, aut beneficio conciliandus, sibi assumpsisse, quam hosti ademisse, fortem ac strenuum maluit socium, accitumque ad se benigne appellat : *Multos eum invidos inter populares habere; inde existimatu facile esse, quod nemo civis nolanus sibi indicaverit, quam multa ejus egregia facinora militaria essent. Sed, qui in romanis militaverit castris, non posse obscuram ejus virtutem esse. Multos sibi, qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui vir esset ille, quæque et quoties pericula pro salute ac dignitate populi romani adisset : utique cannensi prælio*[4] *non prius pugna abstiterit, quam prope exsanguis ruina superincidentium virorum, equorum armorumque sit oppressus.* « Itaque macte virtute « esto, inquit. Apud me tibi omnis honos, atque omne

omitti, docent Gron. et Stroth.), *qui invenisset novam voluptatem.*

2. *L. Bantius*, forte *Bandius*, ut apud Plut. Marcell. p. 303. — *Consensus attentatæ defectionis*, quod in eam consenserat; Stroth. *Conscientia tentatæ d.* conj. Gron.

3. *Rem nolanam;* vide I, 12, n. 3. — *Novandi res;* vid. supra ad librum I, cap. 52, n. 1.

4. *Utique cannensi prælio*, etc., et ut, seu quomodo cannensi, etc. — *Macte virtute esto;* vide supra ad lib. II, cap. 12, n. 10.

« præmium erit : et, quo frequentior mecum fueris[5], « senties eam rem tibi dignitati atque emolumento « esse. » Lætoque juveni promissis equum eximium dono dat, bigatosque quingentos quæstorem numerare jubet; lictoribus imperat, ut eum se adire, quoties velit, patiantur.

XVI. Hac comitate Marcelli ferocis juvenis animus adeo est mollitus, ut nemo inde sociorum rem romanam fortius ac fidelius juverit. Quum Hannibal ad portas esset (Nolam enim rursus a Nuceria moverat castra), plebesque nolana de integro ad defectionem spectaret[1], Marcellus sub adventum hostium intra muros se recepit; non castris metuens, sed ne prodendæ urbis occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Instrui deinde utrimque acies cœptæ, Romanorum pro mœnibus Nolæ, Pœnorum ante castra sua : prælia hinc parva inter urbem castraque, et vario eventu fiebant; quia duces nec prohibere paucos temere provocantes, nec dare signum universæ pugnæ volebant. In hac continua jam[2] duorum exercituum statione, principes Nolanorum nuntiant Marcello, *no-*

5. *Quo frequentior mecum fueris*, eo magis *senties*, etc.; vid. II, 45, n. 12. — *Big.*, denarios; v. XXII, 52, n. 3; δραχμὰς ἀργυρίου πεντακοσίας Plut. l. l. qui etiam simillima de Fabio et Marso quodam refert in Fabio, pag. 185. — Bigati quingenti efficiunt septem marcas argenti nostrates cum sex unciis et semuncia una. Bigati nimirum nihil, aut minimum differebant a quadrigatis, de quibus supra l. XXII, cap. 52; nisi quod hi quadrigarum, illi bigarum effigiem insculptam gerebant. Ed.

Cap. XVI. 1. *Ad defect. spectaret;* vide ad c. 14, n. 8, et I, 9, n. 3. — *In eam imminentibus* occasionem, ut XXV, 20; vide ad III, 51, n. 3. — *Temere provocantes.* Antea vulgabatur *rogantes*, quod obscure dictum videbatur : cur enim duces non denegarent id, quod temere rogarentur? Sed clariss. Crev. et Drak. in quibusdam codd. invenerunt *procantis*, unde *provocantes* eruere non dubitarunt. Quum utrimque starent acies in conspectu, pauci injussu imperatorum temere interdum oppositos sibi hostes provocabant : quos prohibere duces non tanti esse ducebant. Ed.

2. *In hac continua jam* 7 MSS, et fere 10 alii. *Comitiaria* edd. ante Grom.

*cturna colloquia inter plebem ac Pœnos fieri; statutumque esse, ut, quum romana acies egressa portis iret, impedimenta eorum ac sarcinas diriperent, clauderent deinde portas, murosque occuparent, ut, potentes rerum suarum atque urbis*[3], *Pœnum inde pro Romano acciperent.* Hæc ubi nuntiata sunt Marcello, collaudatis senatoribus nolanis, prius quam aliquis motus intus oriretur, fortunam pugnæ experiri statuit. Ad tres portas in hostes versas tripartito exercitum instruxit: impedimenta subsequi jussit: calones, lixasque, et invalidos milites vallum ferre[4]. Media porta robora legionum, et romanos equites; duabus circa portis novos milites, levemque armaturam, ac sociorum equites statuit. Nolani muros portasque adire vetiti; subsidiaque destinata impedimentis data, ne, occupatis prælio legionibus, in ea impetus fieret: ita instructi intra portas stabant. Hannibali, sub signis (id quod per aliquot dies fecerat) ad multum diei in acie stanti[5], primo miraculo esse, quod nec exercitus romanus porta egrederetur, nec armatus quisquam in muris esset: ratus deinde prodita colloquia esse, metuque resides factos, partem militum in castra remit-

qui *cotidiana* reposuit, et omisit τὸ *jam*, quod tamen in omnibus MSS et edd. exstat.

3. *Potentes rerum suarum et urbis;* vide ad IX, 14, n. 4.

4. *Vallum ferre;* vid. ad III, 27, n. 4. — *Subsidiaque* (vide II, 20, n. 2) *destinata*, scil. aciei, milites ad subsidia in acie alias destinati, nunc *impedimentis data* præsidio: nam solet Livius hujusmodi vocem, quæ ad adjunctum seu prædicatum pertinet, pro subjecto adhibere, ut cap. 42 extr. *præsidium missum* pro *copias in* seu ad *præsidium modo missas;* Strothius. *Destinata* h. l. esse assueta (ut *assueta præsidia* XXXVI, 18), putabat Jac. Gron., et certa, seu selecta (ut *certis destinatisque sententiis addicti* apud Cic. Tusc. Qu. II, 2) Doer. *Subsidiaque et stationes i. d.* conj. Gronov. et *s. custodiæ i. d.* (ut mox *alia turba custodiæ impedimentorum apposita*) Str. Sed forte leg. *destinato*, h. e. consulto, ex industria, sc. *ne occupatis*, etc., aut glossa est vel *destinata*, vel *data*.

5. *Hannibali, sub signis... ad multum diei in acie stanti;* vide ad II, 20, n. 3, et XXII, 52, n. 1. — *Resides*, segnes.

tit, jussos propere apparatum omnem oppugnandæ urbis in primam aciem afferre; satis fidens, si cunctantibus instaret, tumultum aliquem in urbe plebem moturam. Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa[6], succeditque ad muros acies, patefacta repente porta, Marcellus signa canere, clamoremque tolli, ac pedites primum, deinde equites, quanto maximo possent impetu, in hostem erumpere jubet. Satis terroris tumultusque in aciem mediam intulerant, quum duabus circa portis P. Valerius Flaccus et C. Aurelius legati in cornua hostium erupere. Addidere clamorem lixæ calonesque, et alia turba custodiæ impedimentorum apposita, ut paucitatem maxime spernentibus Pœnis ingentis repente exercitus speciem fecerint. Vix equidem ausim affirmare, quod quidam auctores sunt[7], duo millia et octingentos hostium cæsos; non plus quingentos Romanum amisisse. Sive tanta, sive minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio, an maxima illo bello gesta sit : non vinci enim ab Hannibale tunc vincentibus difficilius fuit, quam postea vincere.

XVII. Hannibal, spe potiundæ Nolæ adempta, quum

6. *Trepidat ad prima signa;* vide ad III, 49, n. 4. — *Signa canere;* v. ad VII, 40, n. 4.

7. *Quod quidam auctores sunt* (v. ad II, 58, n. 1), *duo millia et DCCC hostium cæsos, non plus D Romanum amisisse:* ita MS Put. et al. *duo millia et trecentos h. c., non plus uno Romanos a.* edd. ante Drak. Supra quinque millia hostium cæsa, et D Romanos cecidisse, tradit Plut. in Marcello, pag. 304, ubi etiam monet, minorem cæsorum hostium numerum a Livio memorari. — *Ingens eo die res,* scil. *gesta est;* vide ad XXI, 43, n. 4.— *Non vinci enim ab Hannibale tunc difficilius fuit, quam postea, vincere* illum. Vocem *tunc,* cui *postea* opponitur, e tribus MSS recepi cum Str. et τὸ *vincentibus* (scil. Romanis) ejiciendum puto. Confer Val. Max. IV, 1, 7, et Plut. l. l. Hic dicit, fiduciam animumque crevisse Romanis, postquam intellexerint, Hannibalem non esse invictum : ille, Marcellum docuisse primum, et Hannibalem vinci, et Syracusas capi posse. Hannibal tamen jam antea, et forte bis, victus erat. Conf. ad librum XXI, cap. 57, et lib. XXII, cap. 29.

Acerras recessisset, Marcellus extemplo, clausis portis, custodibusque dispositis, ne quis egrederetur, quæstionem in foro de iis, qui clam in colloquiis[1] hostium fuerant, habuit: supra septuaginta damnatos proditionis securi percussit, bonaque eorum jussit publica populi romani esse; et, summa rerum senatui tradita, cum exercitu omni profectus, supra Suessulam castris positis consedit. Pœnus, Acerras primum ad voluntariam deditionem conatus perlicere, postquam obstinatos vidit, obsidere inde atque oppugnare parat. Cæterum Acerranis plus animi quam virium erat: itaque, desperata tutela urbis, ut circumvallari mœnia viderunt, prius quam continuarentur hostium opera, per intermissa munimenta[2], neglectasque custodias silentio noctis dilapsi, per vias inviaque, qua quemque aut consilium aut error tulit, in urbes Campaniæ, quas satis certum erat non mutasse fidem, perfugerunt. Hannibal, Acerris direptis atque incensis, quum a Casilino dictatorem romanum, legionesque novas acciri nuntiassent[3], ne quis tam propinquis hostium castris Capuam quoque recurrat, exercitum ad Casilinum ducit. Casilinum eo tempore quingenti Prænestini[4] ha-

Cap. XVII. 1. *In colloq. hostium;* vid. cap. 16. — *Summa rerum senatui tradita;* vide ad III, 5, n. 6.

2. *Intermissa munimenta;* vide ad VII, 36, n. 1. — *Qua;* vide ad III, 70, n. 2. Forte leg. *quo.* — *Error* ex emend. Gron. pro vulg. *terror.* — In antiquissimo cod. Put. legitur *error,* quæ vera est lectio. Ed.

3. *A Casilino dictatorem rom. legionesque novas acciri nuntiassent;* v. ad II, 18, n. 4, et conf. c. 14. Verba seqq. manifesto corrupta, sed emendatio incerta. In MS Put. est *Capuæ quoque orere currunt,* et a manu sec. deletum *ore;* unde corruptius alii libri, et tandem exstructa est vulgata: sed videtur olim fuisse: *ne quid tam p. h. c. Capuæ quoque moveretur,* vel *ne quis... Capuæ quoque oriretur motus;* Gron. *Ne quid... Capuæ quoque occurreret* conj. Lips. *Ne quis... Capuam quoque recuperet,* vel *ne quis... Capuam quoque recurrat exercitus, ad C. d.* Str. *Ne quis... Capuæ quoq. terror fiat,* Doer. — Mox *eodem contulerat* pro: simul eumdem in locum detulerat; Ern.

4. *Quingenti Prænestini;* sed DLXX inf. c. 19 extr.; DXL apud Strab. V,

bebant, cum paucis Romanis latinique nominis, quos eodem audita cannensis clades contulerat: hi, non confecto Præneste ad diem delectu, serius profecti domo, quum Casilinum ante adversæ pugnæ famam venissent, et aliis aggregarent sese Romanis sociisque, profecti a Casilino cum satis magno agmine irent; avertit eos retro Casilinum nuntius cannensis pugnæ. Ibi quum dies aliquot, suspecti Campanis, timentesque, cavendis ac struendis invicem insidiis traduxissent, jamque de Capuæ defectione agi, accipique Hannibalem satis pro certo haberent[5]; interfectis nocte oppidanis, partem urbis, quæ cis Vulturnum est (eo enim dividitur amni), occupavere: idque præsidium Casilini habebant Romani. Additur et Perusina cohors, homines quadringenti sexaginta, eodem nuntio, quo Prænestini paucos ante dies, Casilinum compulsi: et satis ferme armatorum ad tam exigua mœnia, et flumine altera parte cincta, tuenda erat: penuria frumenti, nimium etiam ut videretur hominum, efficiebat.

XVIII. Hannibal quum jam inde haud procul esset, Gætulos cum præfecto, nomine Isalca[1], præmittit: ac primo, si fiat colloquii copia, verbis benignis ad portas aperiendas, præsidiumque accipiendum perlicere jubet; si in pertinacia perstent, rem gerere ac tentare, si qua parte invadere urbem possit. Ubi ad mœnia accessere, quia silentium erat, solitudo visa; metuque

4, 10, pag. 249, et CCC apud Valer. Max. VII, 6, 3. — *Non confecto Præneste ad diem*, die constituta, scil. a senatu consulibusque roman., *delectu* sociorum auxiliorumve Romanis mittendorum. Mox structura verborum me offendit. Forte leg. *et, aliis aggregantibus sese*, vel *aggregatis ibi Romanis sociisque, profecti*, etc.

5. *Satis pro certo haberent* pro vulg. *habuere* recepi ex emend. Sigon. et Str. Sed forte cum Creverio leg. *ut de Capuæ.....habuere*. In multis certe MSS *ita* pro *jamque*. — *Interfectis nocte oppidanis*, qui ad Pœnos deficere volebant, opinor: nam non omnes interfectos fuisse, ex c. 19 liquet; Dukerus.

Cap. XVIII. 1. *Nomine Isalca*; v. ad librum XXIX, cap. 29, n. 3. —

concessum barbarus ratus, moliri portas, et claustra refringere parat, quum, patefactis repente portis, cohortes duæ, ad id ipsum instructæ intus, ingenti cum tumultu erumpunt, stragemque hostium faciunt. Ita primis repulsis, Maharbal, cum majore robore virorum missus, nec ipse eruptionem cohortium sustinuit. Postremo Hannibal, castris ante ipsa mœnia oppositis, parvam urbem parvumque præsidium summa vi atque omnibus copiis oppugnare parat; ac, dum instat lacessitque, corona undique circumdatis mœnibus, aliquot milites, et promptissimum quemque, e muro turribusque ictos, amisit. Semel ultro erumpentes agmine elephantorum opposito[2] prope interclusit, trepidosque compulit in urbem, satis multis, ut ex tanta paucitate, interfectis: plures cecidissent, ni nox prælio intervenisset. Postero die omnium animi ad oppugnandum accenduntur; utique postquam corona aurea muralis proposita est[3], atque ipse dux castelli, plano loco positi, segnem oppugnationem Sagunti expugnatoribus exprobrabat, Cannarum, Trasimenique, et Trebiæ singulos admonens, universosque. Inde vineæ quoque cœptæ agi, cuniculique: nec ad varios conatus hostium aut vis ulla, aut ars deerat. Socii Romanorum propugnacula adversus vineas statuere, transversis cuniculis hostium cuniculos excipere, et palam et clam cœptis obviam ire, donec pudor etiam Hannibalem ab incepto avertit: castrisque[4] communitis, ac præsidio modico imposito, ne omissa res vide-

*Metuque concessum*, oppido cessisse præsidium et incolas. — *Moliri portas*, removere, vel vi aperire; nos: *ausheben, forciren*; Strothius. Vide supra ad VI, 11, n. 5.

2. *Agmine elephantorum opposito*; vide ad XXI, 56, n. 4.

3. *Utique postquam corona aurea muralis proposita est*; vide ad II, 30, n. 1, et VI, 20, n. 1 et 5.

4. *Donec pudor etiam Hannibalem ab incerto avertit: castrisque..... Capuam concessit*, scilic. Hannibal; vid. II, 56, n. 1. — Vulgo creditur Han-

retur, in hiberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala sæpe ac diu durantem [5], bonis inexpertum atque insuetum : itaque, quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ; et eo impensius, quo avidius ex [6] insolentia in eas se merserant. Somnus enim, et vinum, et epulæ, et scorta, balineaque, et otium consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ victoriæ eos, quam præsentes tutarentur vires; majusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex cannensi acie protinus ad urbem romanam duxisset: illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit; hic error, vires ademisse ad vincendum. Itaque, hercule, velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam pristinæ disciplinæ tenuit [7] : nam et redierunt plerique scortis impliciti; et, ubi primum sub pellibus haberi cœpti sunt, viaque et alius militaris labor excepit, tironum modo corporibus animisque deficie-

nibal Capuæ vires ad vincendum amisisse. Illum tamen ab hoc errore vindicarunt viri doctissimi. Milites enim præda opima onusti, et tot manubiis divites, Capuam ubique invenissent : ipsi triumphi fortunam belli mutaverunt, Hannibalque victoria victus est. Attamen non omnem vim effuderat is, quem non nisi post quatuordecim annos inhærentem atque incubantem Italiæ, ut ait Florus, fatalis ille Scipio extorqueret. Ed.

5. *Adversus omnia humana mala sæpe ac diu durantem*, scil. se, obdurantem, obfirmantem animum suum, *ausdauernd, aushaltend;* vid. ad Tac. Annal. lib. I, cap. 6, n. 4; Juvenal. IX, 69, et Sil. I, 463. E quibusdam MSS *duratam* recepit Drakenb. Conf. supra ad librum VII, 29, n. 3. Sed τὸ *durantem* est difficilior lectio, et τῷ *sæpe* magis convenit.

6. *Quo avidius ex insolentia*, ob insolentiam (conf. ad VII, 39, n. 5, et XXX, 42, n. 5), quia ipsis insolitæ erant, *in eas se merserant;* in edd. ante Gron. *immerserant;* vid. ad VI, 14, n. 6. Ad hæc et seqq. cf. supr. not. 1; ad cap. 2, infr. cap. 45, et Sil. XII, 15 sq.

7. *Nihil usquam pristinæ disciplinæ tenuit;* vide ad I, 4, n. 9. — *Ubi primum sub pellibus haberi cœpti sunt*, in tentoriis, seu æstivis; Strot. Immo in hibernis, in quibus adhuc erant, ut *deinde* in *æstivis*. Conf. cap. 19 pr.

bant; et deinde per omne æstivorum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur : neque aliæ latebræ, quam Capua, desertoribus erant.

XIX. Cæterum, mitescente jam hieme, educto ex hibernis milite, Casilinum redit : ubi, quanquam ab oppugnatione cessatum erat, obsidio tamen continuata oppidanos præsidiumque ad ultimum inopiæ adduxerat. Castris romanis Ti. Sempronius [1] præerat, dictatore auspiciorum repetendorum causa profecto Romam. Marcellum et ipsum cupientem ferre auxilium obsessis, et Vulturnus amnis inflatus aquis, et preces Nolanorum atque Acerranorum [2] tenebant, Campanos timentium, si præsidium romanum abscessisset. Gracchus, assidens tantum Casilino [3], quia prædictum erat dictatoris, ne quid absente eo rei gereret, nihil movebat; quanquam, quæ facile omnem patientiam vincerent, nuntiabantur a Casilino : nam et præcipitasse se [4] quosdam non tolerantes famem, constabat, et stare inermes in muris, nuda corpora ad missilium telorum ictus præbentes. Ea ægre patiens Gracchus, quum neque pugnam conserere dictatoris injussu auderet (pugnandum autem esse, si palam frumentum importaret, videbat), neque clam importandi

inf. XXXVII, 39 pr. et ad V, 2, n. 5. — *Sine commeatibus ab signis dilabebantur;* vide ad I, 57, n. 2, et XXII, 2, n. 4.

Cap. XIX. 1. *Ti. Sempronius* mag. eq. et *dictator* M. Junius Pera. Conf. c. 14, et XXII, 57. — *Dictatore auspiciorum repetendorum causa profecto Romam;* vide ad V, 17, n. 4.

2. *Nolanorum atque Acerranorum;* qui itaque jam restituti videntur; illos enim, supra, c. 17, vidimus passim, urbe incensa et direpta, fugisse : nisi leg. *Avellanorum*, quæ civitas erat Campaniæ, vicina Casilino (rectius *Abellanorum;* vide ad Sil. VIII, 543); Ed. Forte accipi potest de Acerranis, qui Nolam fugerant; Duk. Cf. c. 17. — *Tenebant;* vide ad II, 63, n. 3.

3. *Assidens tantum Casilino;* vide ad VII, 37, n. 4, et XXI, 48, n. 8. — *Prædictum erat dictatoris;* vide ad II, 10, n. 4.

4. *Præcipitasse se*, scil. in Vulturnum flumen (de quo vide cap. 17, et conf. IV, 12), vel potius, ob seqq., a muris. — *Si palam frumentum importaret;* vide ad III, 21, n. 3, et

spes esset, farre, ex agris circa undique convecto, quum complura dolia complesset, nuntium ad magistratum Casilinum misit, ut exciperent dolia, quæ amnis deferret. Insequenti nocte, intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio romano factam, dolia medio missa amni defluxerunt : æqualiter inter omnes frumentum divisum. Id postero quoque die ac tertio factum est : nocte et mittebantur et perveniebant; eo custodias hostium fallebant. Imbribus deinde continuis citatior solito amnis transverso vortice [5] dolia impulit ad ripam, quam hostes servabant. Ibi hærentia inter obnata ripis salicta conspiciuntur; nuntiatumque Hannibali est; et deinde intentiore custodia cautum [6], ne quid falleret Vulturno ad urbem missum. Nuces tamen fusæ ab romanis castris, quum medio amni ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur. Postremo ad id ventum inopiæ est, ut lora detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur, nec muribus aliove animali abstinerent [7], et omne herbarum radicumque genus aggeribus infimis muri eruerent; et, quum hostes obarassent, quidquid herbidi terreni extra murum erat [8], raporum

XXXVII, 17, n. 4. — *Casilinum misit* junge; Drak.

5. *Transverso vortice*, ut XXVIII, 30. Confer ad XXI, 58, n. 3.

6. *Intentiore custodia cautum* (objecta per medium amnem catena, teste Front. Strat III, 14, n. 2), *ne quid falleret Vulturno ad urbem missum;* vide ad III, 8, n. 2. Mox plenus est sensus : Quamvis intendissent custodias Pœni, *nuces tamen fusæ* fefellere, et excipiebantur; Gronov. Conf. ad I, 12, n. 1. Prænestinos *Nuculas* dictos ait Festus, quod famem *nucibus* sustentarint.

7. *Nec muribus aliove animali abstinerent :* quin murem captum venisse C vel adeo CC denariis, avarumque ejus venditorem periisse fame, emptorem vixisse, tradunt Front. Strat. IV, 5, 20; Valer. Maxim. VII, 6, 3, et Strabo, V, 4, 10, p. 249, si leg. ibi διακοσίων δραχμῶν πραθέντος μυὸς pro μεδίμνου. Conf. similis extremæ famis descriptio inf. c. 30.

8. *Et quum hostes* Pœni *obarassent quidquid herbidi terreni*, terræ herbis consitæ, *extra murum erat*, ut et herbas obsessis eriperent, *raporum semen injecerunt* obsessi, ut habere

semen injecerunt, ut Hannibal, « Eone usque, dum « ea nascantur, ad Casilinum sessurus[9] sum? » exclamaret : et, qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemptione liberorum capitum : septunces auri[10] in singulos pretium convenit. Fide accepta, sese tradiderunt; donec omne aurum persolutum est, in vinculis habiti : tum remissi Cumas cum fide. Id verius est, quam ab equite in abeuntes immisso interfectos : Prænestini maxima pars fuere. Ex quingentis septuaginta[11], qui in præsidio fuerunt, minus dimidium ferrum famesque absumpsit : cæteri incolumes Præneste cum prætore suo Manicio[12] (scriba is antea fuerat) redierunt. Statua ejus indicio fuit, Præneste in foro statuta, loricata, amicta toga, velato capite; et tria signa cum

viderentur satis alimentorum *eo usque dum ea* rapa *nascantur*. Conf. Strab. l. l. et Frontin. III, 15, 3.

9. *Ad Casilinum sessurus;* vide ad VII, 37, n. 4, et XXI, 48, n. 8.

10. *Septunces auri;* VII unciæ auri ex hujus temporis ratione efficerent fere 150 imperiales nostri argenti; Stroth. — *Fide accepta*, jurejurando, et mox *cum fide* pro *fideliter, servata fide* (ut cap. 14, et XXIV, 47, ubi synon. dicitur *sine fraude*); Stroth. Sic XLIII, 10, n. 3, *nec fidem acciperet*, scil. jurejurando, ut XXII, 58, *nec pignus aliud fidei, quam ut jurarent se redituros, acceptum;* Duk. Sed *fides* primum potius dici videtur certa pollicitatio (et quidem eo sensu, quo dicitur XXXVIII, 33, *fide accepta, vim abfuturam*, et XLIII, 18 extr. *vitæ libertatisque fidem accipere*, vel simpl. *fidem dare* XLII, 65, n. 4), deinde vero securitas et tutela (*sauvegarde, sicheres Geleite*), ut XL, 49, et *fides publica* apud Cic. Cat. III, 4, et ad Att. II, 24. Cf. ad XXXVIII, 9, n. 4. — *Remissi Cumas.* Robert. Titius lib. inedito Contr. posteriorum, VI, 11, ut notat Drakenb., importune hic Cumarum mentionem fieri putat, quum ea urbs neque superius, neque inferius memorata occurrat, et præsidiarii Casilini maximam partem Prænestini fuerint cum paucis Romanis latinique nominis. Quin et, si Cumarum Livius hic meminisset, non *remissi*, sed *dimissi*, vel *emissi* dicturus fuerat; itaque legendum : *tum remissi summa cum fide.* Sed contra faciunt omnes codd. et in vulgatum conspirant. Ed.

11. *Ex quingentis septuaginta* (vid. ad cap. 17, n. 4) *minus* quam *dimidium* (vid. ad III, 64, n. 5) *ferrum famesque absumpsit :* malim *famesve.* Καὶ δὴ περιγενέσθαι πάντας φασὶ, πλὴν ἀνδρῶν ὀλίγων τῶν ἢ λιμῷ διαλυθέντων, ἢ ἐν ταῖς μάχαις, Str. l. l.

12. *Cum prætore suo Manicio*, etc. Vide ad IX, 16, n. 10.

titulo lamnæ æneæ inscripto, *Manicium pro militibus, qui Casilini in præsidio fuerint, votum vovisse.* Idem titulus tribus signis in æde Fortunæ [13] positis fuit subjectus.

XX. Casilinum oppidum redditum Campanis est, firmatum septingentorum militum de exercitu Hannibalis præsidio; ne, ubi Pœnus inde abscessisset, Romani oppugnarent. Prænestinis militibus senatus romanus duplex stipendium, et quinquennii militiæ vacationem [1] decrevit: civitate quum donarentur ob virtutem, non mutaverunt. Perusinorum casus obscurior fama est: quia nec ipsorum monumento ullo est illustratus, nec decreto Romanorum. Eodem tempore Petelinos [2], qui uni ex Bruttiis manserant in amicitia romana, non Carthaginienses modo, qui regionem obtinebant, sed Bruttii quoque cæteri, ob separata ab se consilia oppugnabant. Quibus quum obsistere malis nequirent Petelini, legatos Romam ad præsidium petendum miserunt. Quorum preces lacrymæque (in questus enim flebiles, quum sibimet ipsi consulere jussi sunt, sese in vestibulo curiæ profuderunt) ingentem misericordiam Patribus ac populo moverunt. Consultique iterum a M'. Pomponio prætore [3] Patres, circumspectis omnibus imperii viribus, fateri coacti, nihil jam longinquis sociis in se præsidii esse, redire

13. *In æde Fortunæ* Prænestinæ, de qua conf. XLI, 1, et ad Sil. VIII, 365; IX, 404; ad Juven. III, 190.

Cap. XX. 1. *Quinquennii militiæ vacationem;* ut ap. Justin. XXXVIII, 3, et Suet. Aug. 34; Duk. (In, seu per) *quinquennium* e MS Cantabr. malebat J. Gronov. — *Civitate* rom. *quum*, quanquam, *donarentur ob virtutem, non mutaverunt* civitatem suam, sed Prænestinam servarunt, repudiata romana; Str. *Non mutaverunt*, non suam illa permutarunt. Idem traditur de Hernicis, IX, 43, ubi vid. not. 11. De *Perusinis* conf. cap. 17 extr.

2. *Eodem tempore Petelinos*, etc.; Consentia quoque in fide manserat; vide ad cap. 30 pr.

3. *A M'. Pomponio prætore* urbano hujus anni; vide ad XXII, 35, 55, et infra cap. 24, et XXIV, 10. Male in edd. vett. *M. Æmilio.*

domum, fideque ad ultimum expleta, consulere sibimet ipsos in reliquum[4] præsenti fortuna jusserunt. Hæc postquam renuntiata legatio Petelinis est, tantus repente mœror pavorque senatum eorum cepit, ut pars profugiendi, qua quisque posset, ac deserendæ urbis auctores essent; pars, quando deserti a veteribus sociis essent, adjungendi se cæteris Bruttiis, ac per eos dedendi Hannibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim nec temere agendum consulendumque de integro censuit[5]. Re laxata[6] postero die per minorem trepidationem tenuerunt optimates, ut, convectis omnibus ex agris, urbem ac muros firmarent.

XXI. Per idem fere tempus literæ ex Sicilia Sardiniaque Romam allatæ. Priores ex Sicilia T. Otacilii proprætoris in senatu recitatæ sunt: *P. Furium*[1] *præ-*

4. *Consulere sibimet ipsos in reliquum* tempus, in posterum (ut XXVI, 32, et XXXVI, 10 extr.), *præsenti fortuna*, dum præsens populi romani fortuna duraret; Gron. — Quidam, inter quos Crever., omittunt voc. *reliquum*, leguntque *in præs. fort.*, quod multo clarius et expeditius videtur. Sed non ideo rejiciendam esse Gronovii emendationem, optimorum codd. fide firmatam, arbitratur Drak. immo priorem lection. ex interpolatione natam, quod alteram assequi non potuerint indocti librarii: *præsenti fortuna*, per ellipsin omisso participio verbi subst. ponitur pro, exsistente præsenti fortuna. Livius sæpe ita locutus est; sed passim librarii ob ignorantiam in ea locutione lapsi deliquerunt. Ed.

5. *Consulendumque de integro*; vid. ad librum XXI, cap. 16, n. 3.

6. *Re laxata*, dilata, haud primo impetu et ardore confecta (ita Str.), vel non summo amplius ardore, *raptim* et *temere*, *acta*, sed lentius consideratiusque tractata. Conf. ad II, 24, n. 4, et II, 34, n. 13. Ita exponere malim, quam cum Duk. et Doer. quum ex tanto mœrore ac pavore recepissent animos, re minuta, seu soluta, scilic. mœrore et pavore, h. e. quum res minus jam perturbaret angeretque Petelinorum animos, sed eos laxaret, scil. curis et metu. Idem Doering. conj. *Relaxatis animis*, sc. metu et pavore, et Crev. non male *relata postero die per minorem tr. re, tenuerunt*, etc.; nam *relaxa* in Flor. et Put. — *Per*, propter (vide ad V, 12, n. 6), *minorem trepidationem tenuerunt*; vide ad II, 42, n. 2. *Tenuerunt* ex emend. Gron. In MSS et edd. antt. *retinuerunt*, vel *re tenuerunt*: unde suspicari possis *Relaxata*, aut cum Crev. *relata* (scilic. ad concilium, seu concionem, ut XXXII, 22) *postero die per minorem trepidationem re, tenuerunt optimates*.

Cap. XXI. 1. *P. Furium* scripsi pro *L. Furium*. Conf. XXII, 35, 55, 57.

*torem cum classe ex Africa Lilybæum venisse : ipsum graviter saucium in discrimine ultimo vitæ esse. Militi et navalibus sociis neque stipendium, neque frumentum ad diem dari; neque, unde detur, esse. Magnopere suadere, ut quam primum ea mittantur; sibique, si ita videatur, ex novis prætoribus successorem mittant.* Eademque ferme de stipendio frumentoque ab A. Cornelio Mammula proprætore [2] ex Sardinia scripta. Responsum utrisque, non esse, unde mitteretur; jussique ipsi classibus atque exercitibus suis consulerent. Otacilius, ad unicum subsidium populi romani Hieronem legatos quum misisset, in stipendium, quanti argenti opus fuit, et sex mensium frumentum accepit. Cornelio in Sardinia civitates sociæ benigne contulerunt : et Romæ quoque propter penuriam argenti triumviri mensarii [3], rogatione M. Minucii tribuni plebis, facti, L. Æmilius Papus, qui consul censorque fuerat, et M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat, et L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat : et duumviri creati, M. et C. Atilii, ædem Concordiæ, quam L. Manlius prætor voverat, dedicaverunt [4] : et tres pontifices creati [5], Q. Cæcilius Metel-

— *Navalibus sociis;* vide ad IX, 38, n. 1. — *Ad diem;* vide IV, 10, n. 1; XXVIII, 25, n. 3, et de die stipendii ac frumenti Schel. ad Polybium, cap. 6 et 7.

2. *Ab A. Cornelio Mammula proprætore* Sardiniæ; vide ad XXII, 25, n. 6, et XXV, 41, n. 8. — *Jussique* (ut) *ipsi classibus... consulerent.* (Vid. ad I, 17, n. 7.) *Otacilius* (sine præn., ut mox *Cornelio*) *ad unicum*, etc. Ita MSS tantum non omnes, et edd. ante Gron. prob. Duk. *Consulere. T. Otacilius* emend. Gron.

3. *Propter penuriam argenti triumviri mensarii facti;* vide ad VII, 21, n. 3. — *L. Æmilius Papus, qui consul fuerat* an. U. 527. *Censorque;* confer cap. seq. — *M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat;* vide cap. 25, n. 14.

4. *Et duumviri creati... ædem Concordiæ dedicaverunt;* vide ad I, 55, n. 3, quam L. Manlius prætor voverat; vide XXII, 33.

5. *Et tres pontifices creati;* propr. a collegio suo, ut et quindecimviri sacr. fac., augures aliique sacerdotes, cooptabantur ante legem Domitiam latam a. U. 649. Cf. ad III, 64, n. 5; XXXIX, 45, n. 5; Sueton. Ner. 2;

lus, et Q. Fabius Maximus, et Q. Fulvius Flaccus, in locum P. Scantinii demortui, et L. Æmilii Pauli consulis, et Q. Ælii Pæti, qui ceciderant pugna cannensi.

XXII. Quum cætera, quæ continuis cladibus fortuna minuerat, quantum consiliis humanis assequi poterant, Patres explessent; tandem se quoque, et solitudinem curiæ, paucitatemque convenientium ad publicum consilium[1] respexerunt. Neque enim post L. Æmilium et C. Flaminium censores senatus lectus fuerat, quum tantum senatorum adversæ pugnæ, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumpsissent. Quum de ea re M'. Pomponius prætor, dictatore post Casilinum amissum profecto jam ad exercitum, exposcentibus cunctis retulisset; tum Sp. Carvilius, quum longa oratione non solum inopiam senatus[2], sed paucitatem etiam civium, e quibus in Patres legerentur, conquestus esset, explendi senatus causa, et jungendi arctius latini nominis[3] cum populo romano, magno-

Cic. Agr. II, 7, et Ernesti Clav. Cic. in Ind. Leg. p. 17.

Cap. XXII. 1. *Ad publicum consilium*, al. *concilium;* vide ad cap. 2, p. 5. — *L. Æmilium et C. Flaminium censores;* conf. ad cap. 21, n. 3, et epit. lib. XX. — *Senatus lectus fuerat* a censoribus, h. e. nomina senatorum ex albo senatorio lecta, vel recitata, omissis quibusdam, novisque substitutis; unde, c. 23, *recitato vetere senatu*, h. e. catalogo censorio, vel recitatis nominibus senatorum veterum, in eo consignatis. Cf. XXXIII, 7 pr. XL, 53; XLIII, 15. — *Casus;* vid. ad XXII, 42, n. 3.

2. *Non solum inopiam senatus*, penuriam, infrequentiam senatorum. Vocem *senatus* cum Stroth. e 6 MSS inserui. *Non solum paucitatem, sed inopiam etiam civium* conj. Crev. et Duk., qui monet, verba esse transponenda, quod *inopia* civium plus sit, quam *paucitas*, et, ubi *inopia* sit, ibi plus esse, quam *paucitatem*. — *Legerentur*, scil. aliqui. — Si Walchium, Emend. p. 182, audiamus, nihil est quod hic locus sollicitetur: nam quid cogit verba *inopiam*, et *paucitatem* eodem, id est, ad numerum referri? *Inopiam* intellige de egestate civium bello diutino exhaustorum, e quibus pauci nunc essent, qui haberent censum senatorium: quo sensu, nihil mutandum, et ipsum vocabul. *senatus* ejiciendum erit. Ed.

3. *Jungendi arctius latini nominis* (vide ad I, 10, n. 2) *cum populo rom. magnopere se suadere* præclara conj. Crev. quam probavit Drak. et recepit etiam Stroth. pro vulg. *nominis, pro magna re suadere*, vel *re se suadere*.

pere se suadere dixit, ut ex singulis populis Latinorum, binis senatoribus, si Patres romani censuissent, civitas daretur, atque in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latinorum[4], Patres audierunt: et, quum fremitus indignantium tota curia esset, et præcipue Manlius, *esse etiam nunc stirpis ejus virum*, diceret, *ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinum in curia vidisset, eum sua manu se interfecturum;* Q. Fabius Maximus, *nunquam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in senatu*, dixit, *quam inter tam suspensos sociorum animos*[5], *incertamque fidem id tactum, quod insuper sollicitaret eos: eam unius hominis temerariam vocem silentio omnium exstinguendam esse; et, si quid unquam arcani sanctive ad silendum in curia fuerit, id omnium maxime tegendum, occulendum, obliviscendum, pro non dicto habendum esse.* Ita ejus rei oppressa mentio est. Dictatorem, qui censor ante fuisset, vetustissimusque ex eis, qui viverent, censoriis esset, creari placuit, qui senatum legeret: accirique C. Terentium consulem ad dictatorem dicendum jusserunt. Qui quum ex Apulia, relicto ibi præsidio, magnis itineribus Romam rediisset, nocte proxima, ut mos erat, M. Fabium Buteonem[6] ex se-

In optimis MSS et vett. edd. legitur *nominis cum pro magna re se suad.*, et τῷ *p. r.* (h. e. *populus rom.*) sæpissime a librariis substituta præp. *pro* (vide Drak. ad Epit. lib. XV): lectiones autem recentt. Livio vix obtrudendæ videntur.

4. *Postulatum Latinorum;* vid. ad VIII, 5, et XXIII, 6. Mox forte leg. *in tota curia* cum Doer. et *T. Manlius* cum Gron. (*TN Manlius* MSS Put.) De eo confer supra ad XXII, 60. — *Ex qua quondam in Capitolio consul*, etc.; vide ad VIII, 5.

5. *Suspensos sociorum animos;* v. ad II, 32, n. 5. — *Id tactum*, memoratum, ut apud Cicer. Or. II, 10, et Rosc. Am. 30. *Jactum* conj. Gronovius.

6. *M. Fabium Buteonem*, qui censor fuisse videtur an. Urb. 512, cum C. Aurelio Cotta, cujus nomen solum

natusconsulto sine magistro equitum dictatorem in sex menses dixit.

XXIII. Is ubi cum lictoribus in rostra[1] escendit, *neque duos dictatores tempore uno*[2], *quod nunquam antea factum esset, probare se*, dixit : *neque dictatorem se sine magistro equitum : nec censoriam vim uni permissam, et eidem iterum*[3] : *nec dictatori, nisi rei gerendæ causa creato, in sex menses datum imperium. Quæ immoderata fors, tempus ac necessitas fecerint, iis se modum impositurum : nam neque senatu quemquam moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Æmilius censores in senatum legissent, transcribi tantum*[4] *recitarique eos jussurum, ne penes unum hominem judicium arbitriumque de fama ac moribus senatoris fuerit; et ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini prælatus videretur.* Recitato vetere senatu, inde primos in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium et C. Flaminium censores curulem magistratum cepis-

exstat in Capitol. Fastis; vide Pigh. Annal. ad an. 512. Idem consul fuit an. Urb. 507, et dictator e consularibus erat creandus; vide II, 18. *N. Fabium B.* emend. Sig. Is utique consul fuit an. Urb. 505; sed et ille, hujus frater. Conf. Pigh. Ann. ad ann. 506 et 508.

Cap. XXIII. 1. *In rostra escendit;* vide ad II, 7, n. 7.

2. *Duos dictatores temp. uno*, etc.; vid. ad XXII, 27, n. 2. Dictator alter erat M Junius Pera; vide ad XXII, 57, et XXIII, 14.

3. *Nec censoriam vim uni permissam, et eidem iterum :* eumdem certe bis censorem creari non licebat; quam legem an. Urb. 488 tulit C. Marcius Rutilus, qui *Censorinus* inde cognominatus; vide Plutarch. in Coriol. pr. et Valer. Max. IV, 1, 3. — Duplex vitium a Fabio notatur; primum, quod censoria vis permissa sit uni sibi, quum juxta leges duobus permitti deberet : deinde quod iterum permissa sit. Ed.

4. *Transcribi tantum*, in alias tabulas referri (*umschreiben lassen*), in quibus series nominum continua, neque tot lacunis, deletis demortuorum nominibus, interrupta sit; ... *et ita in demortuorum*, etc. alterum membrum, quod τῷ *neque* (h. e. et non; vid. ad IV, 29, n. 3) *senatu*, etc., respondet, et cujus sententia ex seqq. intelligitur; Stroth. Conf. ad XXII, 49, n. 12. — *Recitato vetere senatu;* vide ad cap. 22, n. 1.

sent, necdum in senatum lecti essent; ut quisque eorum primus creatus erat[5]: tum legit, qui ædiles, tribuni plebei, quæstoresve fuerant: tum ex iis, qui magistratus cepissent[6], qui spolia ex hoste fixa domi haberent[7], aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit, privatusque de rostris descendit, lictoribus abire jussis: turbæque se immiscuit privatas agentium res, tempus hoc sedulo terens[8], ne deducendi sui causa populum de foro abduceret. Neque tamen elanguit cura hominum ea mora, frequentesque eum domum deduxerunt[9]. Consul nocte insequenti ad exer-

5. *Ut quisque eorum senator primus creatus erat;* ita edd. vett., et *senatus* optimi MSS. Sed neutrum probandum, et vel delendum, vel leg. *magistratus;* Gron. Recte, opinor, nec audiendus P. Manutius de sen. rom., qui exponit: ut quisque curulem magistratum assequutus in senatum venerat, et dicendæ post magistratum sententiæ jus acceperat. Mox τὸ *plebei* (seu plebis) etiam ad *ædiles* referendum.

6. *Tum ex iis, qui magistratus cepissent,* etc., obscura verba, quibus Sigon., Gron. et Drakenb. *non* ante *cepissent* inseruere, ut dictator primum, qui magistratus curules, deinde, qui plebeios gessissent, et *tum ex iis, qui magistratus non cepissent,* legerit eos, *qui spolia,* etc. Id improbat Doer., cujus hæc nota est: « Quum dictator in explendo senatu ita versaretur, *ut ordo ordini, non homo homini prælatus videretur,* qui, quæso, in senatum legere poterat eos, qui magistratus *non* cepissent, præcipue quum ii, qui spolia ex hoste fixa domi habebant, aut civicam coronam acceperant, capere omnino magistratus possent? Immo legit primum, qui *magistratum curulem cepissent,* deinde, qui *magistratus cepissent,* scilic. alios, seu minores, quod ut adderetur, non opus fuit, quum *magistratus magistratui curuli* opponantur. » Sed, ut alia taceam, non soli magistratus curules antea memorati erant. Forte leg. *tum alios,* vel *tum et alios, qui magistratus cepissent,* vel potius *gessissent,* ne idem verbum bis positum sit (ut intelligantur triumviri capitales, monetales, nocturni et mensarii, tribuni ærarii, curatores viarum, et alii magistratus tam ordinarii quam extraordinarii), et *qui spolia,* etc.

7. *Qui spolia ex hoste* capta *fixa domi haberent;* vide ad X, 7, n. 10. —*Civicam coronam,* cæteris honestiorem. Conf. ad VI, 20, n. 5. — *Centum septuaginta sept.,* MS Hav. *CLXXX,* et in Epit. Liv. MS Berg. *CXLVII;* at cæteri *CXCVII.*

8. *Tempus hoc sedulo terens,* in vet. libro Sigon. *hic* (in turba et foro), quod recte, opinor, probat Doer.

9. *Frequentes eum domum deduxerunt;* vide ad VI, 34, n. 6.

citum rediit, non facto certiore senatu, ne comitiorum causa in Urbe retineretur.

XXIV. Postero die consultus a M'. Pomponio prætore senatus decrevit, dictatori scribendum, uti, si e republica censeret esse[1], ad consules subrogandos veniret cum magistro equitum et prætore M. Marcello, ut ex iis præsentibus noscere Patres possent, quo statu respublica esset, consiliaque ex rebus caperent. Qui acciti erant, omnes venerunt, relictis legatis, qui legionibus præessent. Dictator, de se pauca ac modice loquutus, in magistrum equitum, Ti. Sempronium Gracchum, magnam partem gloriæ vertit; comitiaque edixit, quibus L. Postumius tertium[2] absens, qui tum Galliam provinciam obtinebat, et Ti. Sempronius Gracchus, qui tum magister equitum, et ædilis curulis erat, consules crearentur. Prætores inde creati, M. Valerius Lævinus, Ap. Claudius Pulcher, Q. Fulvius Flaccus, Q. Mucius Scævola. Dictator, creatis magistratibus, Teanum[3] in hiberna ad exercitum rediit, relicto magistro equitum Romæ, qui, quum post paucos dies magistratum initurus esset, de exercitibus scribendis comparandisque in annum Patres consuleret. Quum eæ res maxime agerentur, nova clades nuntiata, aliam super aliam cumulante in eum annum fortuna; L. Postumium, consulem designa-

Cap. XXIV. 1. *Si e republica censeret esse;* vide ad VI, 22, n. 2, et XXII, 39, n. 1. — *Ad consules subrogandos;* vide ad III, 19, n. 2.

2. *L. Postumius* Albinus *tertium;* nam consul jam fuerat anno Urbis 518, et 523. — *Provinciam obtinebat,* tenebat, habebat. Confer ad XL, 36, n. 3. Mox pro *et ædilis curulis erat* in edd. ante Crev. et MSS fere omnibus *et eo* vel *ea accurrerat,* vel *occurrerat,* unde Gron. conj. *ad ea* (comitia) *occurrerat,* advenerat; vide ad XXI, 61, n. 1. — *Consules crearentur:* hujus sermonis ea vis est, edicto comprehensum fuisse, hos consules creandos esse: sed non liquet mihi, cur maluerit *crearentur,* quam *creati sunt;* Duk.

3. *Teanum,* h. l. Apulum; Doer. Immo, ni fallor, Sidicinum. Confer cap. 19, 32, 46, et de utroque Teano

tum[4], in Gallia ipsum atque exercitum deletos. Silva erat vasta (Litanam Galli vocabant), qua exercitum traducturus erat: ejus silvæ dextra lævaque circa viam Galli arbores ita inciderant, ut immotæ starent, momento levi[5] impulsæ occiderent. Legiones duas romanas habebat Postumius, sociumque ab supero mari tantum conscripserat, ut viginti quinque millia armatorum in agros hostium induxerit. Galli oram extremæ silvæ[6] quum circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt, quæ, alia in aliam, instabilem per se, ac male hærentem, incidentes, ancipiti strage[7] arma, viros, equos obruerunt, ut vix decem homines effugerent: nam quum exanimati plerique essent arborum truncis, fragmentisque ramorum, cæteram quoque multitudinem, inopinato malo trepidam, Galli, saltum omnem armati circumsedentes, interfecerunt; paucis e tanto numero captis, qui, fluminis pontem petentes, obsesso ante ab hostibus ponte[8] interclusi sunt. Ibi Postumius, omni vi, ne caperetur, dimicans, occubuit. Spolia corporis, caputque ducis præcisum Boii ovantes templo, quod sanctissimum est apud

ad VIII, 15, n. 1. In Apulia erat exercitus Varronis; vide cap. 25.

4. *L. Postumium* Albinum, *cos. designatum in Gallia*, etc. de qua clade confer Polyb. III, 118, et Frontin. Strat. I, 6, n. 4. — *Litana* silva in Boiis (qui mox et XXXIV, 21, memorantur), adeoque in Gallia cisalpina et cispadana, et quidem, si Holstenio fides habenda (in Cluveri Ital. pag. 15), supra fontes Scultennæ in jugo Apennini inter Cerfinianum et Mutinam. Scrieck. in Origg. Celt. monet, *Leit... an* Celtis simpl. dici *adjacens*, adeoque adjectivum videri silvæ. Nardi in vers. Livii ital. contendit, eam esse partem *Selvæ de lugo* in Romandiola.

5. *Momento levi* (vide ad I, 47, n. 7, et II, 7, n. 11) *impulsæ occiderent*, conciderent, caderent, scil. arbores, antea *incisæ*.

6. *Oram extremæ silvæ* pro *oram extremam s.*, ut XXI, 31. Confer ad I, 1, n. 6, *Extremæ... extremas;* vid. ad I, 3, n. 8.

7. *Ancipiti strage;* vid. I, 25, n. 4.

8. *Fluminis pontem petentes, .... ponte;* vide ad I, 3, n. 8. — Creverio displicet τὸ *ponte* tam ex propin-

eos, intulere : purgato inde capite, ut mos iis est, calvam auro cælavere[9]. Idque sacrum vas iis erat, quo solennibus libarent; poculumque idem sacerdoti esse, ac templi antistitibus. Præda quoque haud minor Gallis, quam victoria, fuit : nam etsi magna pars animalium strage silvæ oppressa erat, tamen cæteræ res, quia nihil dissipatum fuga est, stratæ per omnem jacentis agminis ordinem inventæ sunt.

XXV. Hac nuntiata clade, quum per dies multos in tanto pavore fuisset civitas, ut, tabernis[1] clausis, velut nocturna solitudine per urbem acta, senatus ædilibus negotium daret, et urbem circumirent, aperirique tabernas, et mœstitiæ publicæ speciem urbi demi juberent; tum Ti. Sempronius senatum habuit, consolatusque Patres est, et adhortatus, *ne, qui cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates animos submitterent. Quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attinet*[2], *prospera modo essent, sicut speraret futura, gallicum bellum et omitti tuto et differri posse; ultionemque eam fraudis in deorum ac populi romani potestate fore. De hoste pæno exerci-*

quo subsequens *pontem* : facilius et liberius flueret oratio, si legeretur : *pontem petentes, obsessum ante ab hostibus, interclusi sunt.* Ed.

9. *Calvam auro cælavere*, auro cælato circumdedere, *sie fassten den Hirnschädel mit getriebenem Golde ein;* Stroth. Confer ad IX, 40, n. 1. Mos pocula ita cælandi notissimus est, ille vero Gallorum barbaris haud insolitus. — *Solennibus* diebus. Cæterum h. l. vel τὸ *erat*, vel τὸ *esse* (quod a MS Harl. abest) delendum videri, jam alii monuere.

Cap. XXV. 1. *Tabernis clausis* (vid. ad III, 27, n. 3), *velut nocturna solitudine per urbem acta*, velut nocturno tempore, quo viæ in urbe sunt vacuæ et desertæ, nec ulli circa tabernas conspiciuntur homines; Doer. Novum h. l. est exemplum justitii sponte sumpti. Confer ad III, 3, n. 2.

2. *Hannibalemque attinet*, immo *attineret;* Gron. — *Attinet* genuinum putat Walchius, Emend. pag. 192. Ed. — *Prospera* si *modo essent*, scilicet incepta, nisi potius ex edd. antt. et quibusdam MSS restituendum : *prospera modo esset, sicut speraret, fortuna.* — *Omitti;* vide ad III, 46, n. 7. — *Fraudis*, qua Galli Postumium exercitumque ejus deleverint.

*tibusque, per quos id bellum gereretur, consultandum atque agitandum.* Ipse primum, quid peditum equitumque, quid civium, quid sociorum in exercitu esset dictatoris, disseruit. Tum Marcellus suarum copiarum summam exposuit. Quid in Apulia[3] cum C. Terentio consule esset, a peritis quæsitum est: nec, unde consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio. Itaque Galliam, quanquam stimulabat justa ira, omitti eo anno placuit[4]. Exercitus dictatoris consuli decretus est: de exercitu Marcelli, qui eorum ex fuga cannensi essent[5], in Siciliam eos traduci, atque ibi militare, donec in Italia bellum esset, placuit: eodem ex dictatoris legionibus rejici militem minimi quemque roboris, nullo præstituto militiæ tempore, nisi qui stipendiorum legitimorum[6] esset. Duæ legiones urbanæ alteri consuli, qui in locum L. Postumii suffectus esset, decretæ sunt: eumque, quum primum salvis auspiciis[7] posset, creari placuit. Legiones præterea duas primo quoque tempore ex Sicilia acciri: atque inde consul, cui legiones urbanæ evenissent, militum sumeret quantum opus esset. C. Terentio consuli propagari in annum imperium: neque de

3. *Quid in Apulia*, scil. copiarum *esset, a peritis quæsitum est*, ab iis, quibus id notum esset.

4. *Itaque Galliam...omitti* (conf. not. 2) *eo anno placuit:* proximo tamen anno hanc provinciam M'. Pomponio Mathoni prætori urbano datam fuisse, ex eo probabile fit, quod ei imperium *in Gallico* agro prorogatum tradit Liv. XXIV, 10. Confer ad XXV, 41, n. 8.

5. *Qui eorum ex fuga cannensi essent* (vide ad I, 30, n. 9, et VIII, 37, n. 5), *in Siciliam eos traduci... placuit;* confer cap. 31; XXV, 5 seq. ad XXV, 41, n. 8, et XXVI, 1, n. 3.

6. *Nisi qui* miles (f. *quis*) *stipendiorum legitimorum esset*, eorum confecisset numerum. Confer ad III, 62, n. 5. — Hi *milites minimi quisque roboris* eo meliore conditione erant, quam ii qui a Cannis fugerant, quod, exacto *stipendiorum legitimorum* numero, in patriam redire poterant: at militi *cannensi* non ante finis militiæ ostendebatur, quam hostes *Italia* pulsi essent. Ed.

7. *Salvis auspiciis*, ut apud Cic. ad Div. I, 5. Confer ad V, 17, n. 4. — *Consuli propagari in annum imperium:*

eo exercitu, quem ad præsidium Apuliæ haberet, quidquam minui.

XXVI. Dum hæc in Italia geruntur apparanturque, nihilo segnius in Hispania bellum erat; sed ad eam diem magis prosperum Romanis. P. et Cn. Scipionibus inter se partitis copias, ut Cnæus terra, Publius navibus rem gereret; Hasdrubal, Pœnorum imperator, neutri parti virium satis fidens[1], procul ab hoste, intervallo ac locis tutus, tenebat se, quoad multum ac diu obtestanti quatuor millia peditum, et quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum, refecta tandem spe[2], castra propius hostem movit: classemque et ipse instrui pararique jubet ad insulas maritimamque oram tutandam. In ipso impetu movendarum de integro rerum, perculit eum præfectorum navium transitio, qui, post classem ad Iberum per pavorem desertam graviter increpiti, nunquam deinde satis fidi aut duci aut Carthaginiensium rebus fuerant. Fecerant hi transfugæ motum in Carpesiorum

Ascensius et deinde alii edidere *prorogari;* idque, quoniam lege ad eam rem opus est, magis proprie dicitur; Ern. Confer Drak. ad h. l.; Græv. ad Cic. ad Att. V, 17; Perizon. Anim. hist. cap. 6, pag. 229, et Ernesti Clav. Cic., qui monent, *prorogationem* esse continuationem magistratus, imperii, provinciæ, commeatus, quæ per legem populi, vel decretum senatus ducisque fiat; *propagationem* vero continuationem, quæ fiat naturalibus de causis, voce a vineis ad omnia per latius spatium extenta translata. Hinc Periz. *propagationem imperii* pro vulg. *prorogationem i.* legit XLII, 30, n. 5, ubi non de imperio militari, sed de terminis regionum subjectarum imperio populi romani proferendis agitur. Contra Ernesti apud Suet. Aug. 23 et Calig. 29 substituit *prorogare*, sed adversantibus MSS Oudend. et Wolf. qui quamcumque continuationem putant *propagationem* dici.

Cap. XXVI. 1. *Neutri parti virium satis fidens*, pugnæ, nec navali, nec campestri, se satis parem esse judicans; Doer.— *Quoad*, ut XXVI, 46; XXX, 30, n. 13, donec, tam diu donec; Gron. Confer Gell. VII, 21. — Quoad hoc loco est, usque eo donec. Vulgo editi habent *cui;* sed τὸ *quoad* nititur auctoritate optimorum codicum, et sic melius connexa est oratio. Ed.

2. *Refecta tandem spe;* vide ad III, 10, n. 9. Mox pro *ipse* forte leg. *ipsam.* — *Perculit eum p. n. transitio;* vide ad II, 14, n. 2.

gente [3], desciverantque iis auctoribus urbes aliquot: una etiam ab ipsis vi capta fuerat. In eam gentem versum ab Romanis bellum est; infestoque exercitu Hasdrubal ingressus agrum hostium, pro captæ ante dies paucos urbis mœnibus [4], Chalbum, nobilem Carpesiorum ducem, cum valido exercitu castris sese tenentem, aggredi statuit. Præmissa igitur levi armatura, quæ eliceret hostes ad certamen, peditum partem ad depopulandum per agros passim dimisit, ut palantes exciperent. Simul et ad castra tumultus erat, et per agros fugaque et cædes; deinde undique diversis itineribus quum in castra se recepissent, adeo repente decessit animis pavor, ut non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem prælio. Erumpunt igitur agmine e castris, tripudiantes more suo [5]; repentinaque eorum audacia terrorem hosti, paulo ante ultro lacessenti, incussit. Itaque et ipse Hasdrubal in collem satis arduum, tutum flumine etiam objecto, tum copias subducit, et præmissam levem armaturam, equitesque palatos eodem recipit: nec aut colli aut flumini satis fidens, vallo castra permunit. In hoc [6] alterno pavore certamina aliquot sunt contracta: nec Numida Hispano eques par fuit; nec jaculator Maurus [7] cætrato, velocitate pari, robore animi viriumque aliquantum præstanti.

3. *In Carpesiorum gente* edd. Mogunt., Ald. et inde al. Confer ad XXI, 5, n. 7. Sed primæ edd. et MSS fere omnes *Tartessiorum*, aut *Tartesiorum*, et quidam *Carthesiorum*. Tartessii tamen ab Ibero nimis remoti erant, et Καρπήσιοι ἔθνος Ἰβηρικὸν τῶν ἐντὸς Ἴβηρος ποταμοῦ apud Steph.

4. *Pro captæ... urbis mœnibus*, vide ad II, 20, n. 3. — *Chalbum* ex optimis MSS recepi pro vulg. *Galbum*.

5. *Tripudiantes more suo*, vide ad X, 26, n. 8. — *Tum copias*. Particula *tum* redundare arbitratur Creverius, quem impugnat Walchius, Emend. pag. 197. Ed.

6. *In hoc alterno pavore;* vide ad XXVI, 25, n. 2.

7. *Jaculator Maurus cætrato;* vide ad XXI, 21, n. 6. Nota autem Mau-

XXVII. Postquam neque elicere Pœnum ad certamen obversati castris poterant, neque castrorum oppugnatio facilis erat; urbem Ascuam [1], quo, fines hostium ingrediens, Hasdrubal frumentum commeatusque alios convexerat, vi capiunt, omnique circa agro potiuntur: nec jam, aut in agmine, aut in castris, ullo imperio contineri. Quam ubi negligentiam ex re, ut fit, bene gesta oriri senserat Hasdrubal, cohortatus milites, ut palatos sine signis hostes aggrederentur, degressus colle, pergit ire acie instructa ad castra: quem ut adesse tumultuose nuntiavere fugientes ex speculis stationibusque, ad arma conclamatum est. Ut quisque arma ceperat, sine imperio, sine signo, incompositi, inordinati in prælium ruunt. Jam primi conseruerant manus, quum alii catervatim currerent, alii nondum e castris exissent: tamen primo ipsa audacia terruere hostem: deinde, rari in confertos illati [2], quum paucitas parum tuta esset, respicere alii alios, et undique pulsi coire in orbem; et dum corporibus applicantur, armaque armis jungunt, in arctum compulsi, quum vix movendis armis satis spatii esset, corona hostium cincti, ad multum diei cæduntur [3]. Exigua pars, eruptione facta, silvas ac montes petit: parique terrore et castra sunt deserta, et universa gens postero die in deditionem venit. Nec diu in pacato mansit [4]: nam

rorum peritia et mos jaculandi ob frequentiam ferarum in Mauretania; unde *jacula Maura* apud poetas.

Cap. XXVII. 1. *Urbem Ascuam* MSS fere omnes; *Asenam* edd. ante Drak. Neutrum nomen aliis memoratur. *Massiam*, seu *Mastiam* non male conj. Jac. Gron. de quo oppido Hispaniæ ulterioris, prope Tartessios fretumque Herculeum sito, vide Heyn. Opusc. Acad. tom. III, pag. 60 seq. et Schweigh. ad Polyb. III, 24, n. 2.

2. *Rari in confertos illati;* vide ad IX, 27, n. 4. — *Dum corporibus.* Multum placet Creverio allata ab Hearnio ex uno cod. lectio, *dum corpora corporibus applicantur.* Ed.

3. *Ad multum diei cæduntur;* vide ad XXII, 52, n. 1.

4. *Nec diu in pacato mansit* haud apte dictum, sive intell. *agro* (vide ad VIII, 12, n. 11), sive *statu. Nec diu*

subinde ab Carthagine allatum est, ut Hasdrubal primo quoque tempore in Italiam exercitum duceret. Quæ vulgata res per Hispaniam omnium ferme animos ad Romanos avertit. Itaque Hasdrubal extemplo literas Carthaginem mittit, indicans, quanto fama profectionis suæ damno fuisset. *Si vero inde pergeret*[5], *prius quam Iberum transiret, Romanorum Hispaniam fore: nam, præterquam quod nec præsidium, nec ducem haberet, quem relinqueret pro se, eos imperatores esse romanos, quibus vix æquis viribus resisti possit. Itaque si ulla Hispaniæ cura esset, successorem sibi cum valido exercitu mitterent: cui, ut omnia prospere evenirent, non tamen otiosam provinciam fore*[6].

XXVIII. Hæ literæ quanquam primo admodum moverunt senatum, tamen, quia Italiæ cura prior potiorque erat, nihil de Hasdrubale, neque de copiis ejus mutatum est. Himilco cum exercitu justo[1] et aucta classe, ad retinendam terra marique ac tuendam Hispaniam, est missus; qui, ut pedestres navalesque copias trajecit, castris communitis, navibusque[2] subductis, et vallo circumdatis, cum equitibus delectis ipse, quantum maxime accelerare poterat, per dubios infestosque populos juxta[3] intentus ad Hasdrubalem pervenit.

*pacata m.* scilicet gens, conj. Gronov. sed recte, opinor, reposuit Stroth. *in pacto;* ut *nec diu in conditione ac pacto mansit* apud Cic. Verr. I, 6, et supra IV, 7, *in fœdere et amicitia mansuros.* Pacti quidem mentio expressa non facta est; sed verba præc. eo referri possunt. — *Allatum est, ut*, etc.; vide ad V, 34, n. 6.

5. *Si vero inde pergeret*, ex Hispania in Italiam proficisceretur, *Romanorum Hispaniam fore* (vide ad XXI, 30, n. 5) *prius*, etc. — Suspecta Creverio est hæc loquendi forma; quare conjicit, *si movere inde pergeret.* Ed. — *Imperatores romanos esse eos;* vide ad II, 29, n. 6.

6. *Cui ut* (vide ad II, 38, n. 3) *omnia prospere evenirent, non tamen otiosam provinciam fore*, pacatam, vel administrationem ejus curarum laborumque expertem.

Cap. XXVIII. 1. *Cum exercitu justo;* vide ad VI, 13, n. 3.

2. *Navibusque subductis;* vide ad VIII, 26, n. 1.

3. *Per dubios infestosque populos juxta*, tam per dubios et suspectos,

Quum decreta senatus mandataque exposuisset, atque edidicisset ipse in vicem, quemadmodum tractandum bellum in Hispania foret, retro in sua castra rediit; nulla re, quam celeritate, tutior, quod undique abierat ante quam consentirent[4]. Hasdrubal, prius quam moveret castra, pecunias imperat populis omnibus suæ ditionis, satis gnarus, Hannibalem transitus quosdam pretio mercatum: nec auxilia gallica aliter, quam conducta, habuisse; inopem, tantum iter ingressum, vix penetraturum ad Alpes fuisse. Pecuniis igitur raptim exactis, ad Iberum descendit. Decreta Carthaginiensium et Hasdrubalis iter ubi ad Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus, ambo duces, junctis copiis, ire obviam cœptis atque obsistere parant; rati, si Hannibali, vix per se ipsi tolerando Italiæ hosti, Hasdrubal dux, atque hispaniensis exercitus esset junctus, illum romani finem imperii fore. His anxii curis ad Iberum contrahunt copias; et, transito amne[5], quum diu consultassent, utrum castra castris conferrent, an satis haberent, sociis Carthaginiensium oppugnandis, morari ab itinere proposito hostem, urbem a propinquo flumine Iberam appellatam, opulentissimam ea tempestate regionis ejus, oppugnare parant. Quod ubi sensit Hasdrubal, pro ope ferenda sociis, pergit ipse ire ad urbem, deditam nuper in fidem Romanorum,

quam per infestos, *intentus*, diligenter sibi prospiciens, paratus ad hostiles eorum conatus vel evitandos, vel reprimendos; Doer. Conf. ad V, 6, n. 3. Minus probanda Dukeri explicatio: æque, haud minus intentus ad cavendas insidias aut vim, quam infesti illi ac dubii populi ad insidias ipsi struendas. Malim tamen legere: *ad* vel *in dubios i. p. juxta* (æque, non minus in illos quam in hos) *intentus*. — *Edidicisset*, cognovisset, edoctus esset.

4. *Ante quam consentirent*, scilicet Hispani ubique, qua transibat, ad eum obruendum; Gronov. in se conspirarent; Ern. Ex antt. edd. ante *consentirent* forsan inserendum *populi*.

5. *Transito amne;* vide ad I, 10, n. 3. — *In fidem Romanorum*. Sic dedit Andreas; sic et habent duo Hearnii MSS, tres e nostris. Idque magis est ex solito more loquendi,

oppugnandam. Ita jam cœpta obsidio omissa ab Romanis est, et in ipsum Hasdrubalem versum bellum.

XXIX. Quinque millium[1] intervallo castra distantia habuere paucos dies; nec sine levibus præliis, nec ut in aciem exirent. Tandem uno eodemque die velut ex composito utrinque signum pugnæ propositum est, atque omnibus copiis in campum descensum. Triplex stetit romana acies[2]: velitum pars inter antesignanos locata, pars post signa accepta, equites cornua cinxere. Hasdrubal mediam aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextro Pœnos locat, lævo Afros, mercenariorumque auxilia: equitum Numidas Pœnorum peditibus, cæteros Afris pro cornibus apponit. Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus, desultorum in modum, binos trahentibus equos[3] inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est. Quum hoc modo instructi starent, imperatorum utriusque partis haud ferme dispares spes erant: nam ne multum quidem aut numero, aut genere militum, hi aut illi præstabant. Militibus longe

quam quod apud vulgus editorum legitur, *in fidem romanam*. Ed.

Cap. XXIX. 1. *Quinque millium;* vide ad IX, 24, n. 2. — *Omnibus copiis in campum descensum;* vid. ad I, 14, n. 4.

2. *Triplex stetit rom. acies* (vid. ad VIII, 8, n. 1); *velitum*, levis armaturæ, *pars inter antesignanos*, hastatos principesque, *locata, pars post signa accepta*, inter triarios; vide ad II, 20, n. 3, et Schel. ad Hygin. p. 1053. — *Equitum Numidas;* vide ad IX, 27, n. 3. — Quæ præcessere pertinent ad pedites. Equitatum pro cornibus locatum ita dividit, ut Numidas adjungat Pœnorum peditibus, cæteros Afris. *Equitum* hic partitive sumitur pro *ex equitibus*. Ed. — *Pro*, in, *cornibus opponit* omnes edd. præter Crev. et Strothium, omnesque MSS, præter duos, in quibus est *apponit*. Illud probat Gronov., hoc vero recte, opinor, Stroth.; quia *opponi pro cornibus, castris*, etc. absolute sæpius dicatur (cf. ad VI, 23, n. 6, et X, 36, n. 3), non vero simul jungatur dativo, nisi *hosti*.

3. *Quibus*, Numidis, *desultorum in modum, binos trahentibus equos* (desultorios)... *genus est;* conf. Pausan. V, 9; Hom. Hymn. in Apoll. 231 sq.;

dispar animus erat: Romanis enim, quanquam procul a patria pugnarent, facile persuaserant duces, pro Italia atque urbe romana eos pugnare. Itaque, velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur[4], obstinaverant animis, vincere aut mori. Minus pertinaces viros habebat altera acies: nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania, quam victores in Italiam trahi, malebant. Primo igitur concursu, quum vix pila conjecta essent, retulit pedem media acies, inferentibusque sese magno impetu Romanis terga vertit. Nihilo segnius in cornibus prælium fuit: hinc Pœnus, hinc Afer urget; et velut in circumventos[5] prælio ancipiti pugnant. Sed quum in medium tota jam coisset romana acies, satis virium ad dimovenda hostium cornua habuit. Itaque duo diversa prælia erant: utroque Romani, ut qui, pulsis tandem mediis[6], et numero et robore virorum præstarent, haud dubie superarunt. Magna vis hominum ibi occisa; et, nisi Hispani vixdum conserto prælio tam effuse fugissent, perpauci ex tota superfuissent acie. Equestris pugna nulla admodum fuit[7]; quia, simul inclinatam mediam aciem Mauri Numidæque viderunt, extemplo

Eratosth. Cataster. 13; Dionys. lib. VII, cap. 73; Isidor. Orig. XVIII, 39; Hygin. fab. 80 extr.; Plutarch. Phoc. pag. 750, ibique Xyl., Vales. ad notas Maussaci in Harpocrat. voc. ἀναβάτης et ἀποβάτης· Salmas. ad Vopisci Carin. cap. 19; Hesych. voc. κάλπη et κάλπις.

4. *Reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur;* vide supra ad III, 27, n. 6, et VI, 17, n. 1. — *Obstinaverant* se.

5. *Velut in circumventos*, interclusos, *prælio ancipiti pugnant*, utrimque, a fronte et a tergo; Doering.

6. *Pulsis tandem mediis.* Gron. legi jubet, *pulsis jam tum*, vel *jam ante.* Particula *tandem* hic locum habere non videtur, quum media acies supra dicatur primo statim concursu retulisse pedem, et paulo post terga vertisse. Ed. — *Romani, ut qui, p. med., tandem et numero et robore virorum præstarent:* nam initio, ut supra dixerat Livius, *ne multum quidem aut numero, aut genere militum hi aut illi præstabant;* Stroth.

7. *Equest. pugna nulla admodum;* vide supra ad librum XXI, cap. 36, n. 3.

fuga effusa nuda cornua, elephantis quoque præ se actis, deseruere. Et Hasdrubal, usque ad ultimum eventum pugnæ moratus, e media cæde cum paucis effugit : castra Romani cepere atque diripuere. Ea pugna, si qua dubia in Hispania erant [8], Romanis adjunxit : Hasdrubalique non modo in Italiam traducendi exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in Hispania, spem reliquit. Quæ postquam literis Scipionum Romæ vulgata sunt, non tam victoria, quam prohibito Hasdrubalis in Italiam transitu, lætabantur.

XXX. Dum hæc in Hispania geruntur, Petelia in Bruttiis [1], aliquot post mensibus, quam cœpta oppugnari erat, ab Himilcone, præfecto Hannibalis, expugnata est. Multo sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit : nec ulla magis vis obsessos, quam fames, expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinæ postremo coriis [2], herbisque, et radicibus, et corticibus teneris, strictisque rubis [3] vixere; nec, antequam vires ad stan-

8. *Si qua dubia in Hispania erant*, si qui populi adhuc ibi fuerant suspensi et incerti de defectione; Doer.

Cap. XXX. 1. *Petelia*, seu Petilia, *in Bruttiis* (hod. *Strongoli;* vide ad Sil. XII, 431 sq.)... *cœpta oppugnari* (vide c. 20) *ab Himilcone expugnata est*, etc. Conf. Polyb. VII, 1; Front. Strat. IV, 5, 18; Appian. Bell. Hann. c. 29 (ubi pro Himilcone memoratur Hannon); Athen. XII, 6, pag. 528 (ed. Schweigh. XII, 36), et Sil. l. l. — *Stetit;* vide ad II, 36, n. 4.

2. *Sutrinæ postremo coriis;* aptissime et gravissime, judice Strothio et Doering., si cogites, miseros homines sutorum officinas, ubi plurima sunt coria, adiisse, ibique resecta coriorum frusta corrosisse. Sed cur hæc tantum coria? et quam dubia est vulg. lectio! *Sutrinæque* edd. prim. ante Froben., qui delevit τὸ *que*, quod omnes MSS tuentur, in quibus tamen non *sutrinæque* reperitur, sed *suetemque* et *sueteque*, vel *suetæque :* unde Salmas. *carnisque o. g. q. suetæque, postremo*, etc., legebat. *Scutorumque* conj. Valla. Sed τὸ *que* probabile facit, ante hanc vocem excidisse aliam, quæ latet forte in *quadrupedum*. Suspicari possis *madefactis siccatisque* coll. Frontini l. l. vel potius *pellium scutique postremo coriis;* ut fere in simili extremæ famis descriptione supr. c. 19, *ut lora detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur.*

3. *Strictisque rubis*, corticibus rubi; Drak. Simul et foliis fructibusque,

dum in muris, ferendaque arma deerant, expugnati sunt. Recepta Petelia, Pœnus ad Consentiam copias traducit; quam, minus pertinaciter defensam, intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem ferme diebus et Bruttiorum exercitus Crotonem, græcam urbem, circumsedit, opulentam quondam armis virisque, tum jam adeo multis magnisque cladibus afflictam, ut omnis ætatis minus viginti millia civium superessent. Itaque urbe a defensoribus vasta [4] facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta, in quam inter tumultum captæ urbis e media cæde quidam effugere. Et Locrenses descivere ad Bruttios Pœnosque, prodita multitudine a principibus. Rhegini tantummodo [5] regionis ejus et in fide erga Romanos, et potestatis suæ ad ultimum manserunt. In Siciliam quoque eadem inclinatio animorum pervenit; et ne domus quidem Hieronis tota ab defectione abstinuit: namque Gelo maximus stirpis, contempta simul senectute patris, simul post cannensem cladem romana societate, ad Pœnos defecit; movissetque in Sicilia res, nisi mors adeo opportuna, ut patrem quoque suspicione adspergeret [6], armantem eum multitudinem, sollicitantemque socios absumpsisset. Hæc eo anno in Italia, in Africa,

inde strictis; Ern. et Doer. — *Rubis*, quorum fructus strinxerant, id est, decerpserant. Hos ruborum fructus appellat Ovidius *mora*, Met. I, 105: *In duris hærentia mora rubetis*. Ed.

4. *Urbe a defensoribus vasta;* vid. III, 7, n. 1. — Urbe vacua defensoribus; quæ non idoneum defensorum numerum habebat. *Vastus* est desertus, incultus, seu vacuus; Livius supra V, 53, dixit, *vastam incendiis urbem*. Cf. quoque Sallust. Jug. Bell. c. 48. Ed. — *Prodita multitudine a principibus* Locrensium, quorum reipublicæ forma aristocratica fuisse videtur. Cf. XXIX, 6, et Heyn. Opusc. Acad. tom. II, pag. 51 sq.

5. *Rhegini tantummodo.... manserunt;* vide ad III, 62, n. 5. Cæterum de iis, quæ h. l. de *Crotone*, *Locrensibus* et *Rheginis* narrantur, vide ad XXII, 61, n. 11, et XXIV, 1, n. 1, et de *Rheginis*, seu *Reginis*, et *Rhegio* ad Tac. Ann. I, 53, n. 2.

6. *Ut patrem quoque suspicione adspergeret*, scil. quasi ipse clam filium interfecisset; Stroth. Magnæ contra Geloni laudes tribuuntur, non tam

in Sicilia, in Hispania vario eventu acta. Exitu anni Q. Fabius Maximus à senatu postulavit, ut ædem Veneris Erycinæ [7], quam dictator vovisset, dedicare liceret. Senatus decrevit, ut Ti. Sempronius consul designatus, quum honorem inisset [8], ad populum ferret, ut Q. Fabium duumvirum esse juberent ædis dedicandæ causa. Et M. Æmilio Lepido, qui bis consul augurque fuerat [9], filii tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, et gladiatorum paria duo et viginti per triduum in foro dederunt. Ædiles curu-

XXIV, 5, quam a Polyb. V, 88; VII, 8; unde etiam intelligitur, eum participem regni fuisse.

7. *Ædem Veneris Erycinæ* (vide ad XXI, 10, n. 8), *quam dictator*, quum ipse fuisset dictator, *vovisset;* vide XXII, 9 et 10.

8. *Quum honorem inisset* 5 MSS. Pro *honorem* plerique MSS et edd. antt. *ibono*, vel *ibone* et *in bono;* edd. recentt. *primum magistratum* vel *honorem :* sed vox *primum* in nullo MS exstat. — *Ad populum ferret, ut Q. Fabium duumvirum esse juberent ædis dedicandæ causa;* cf. ad I, 55, n. 3. *Ut duumviros esse juberent æ. ded. c.* emend. Glar. et Sigon. coll. cap. 31. Sed nodum in scirpo quæsivere, quem solvit jam Duk. in hac nota ad librum XXXIV, cap. 52 : « Munus ædis dedicandæ semper duobus injunctum : nam ratio docet, unum hominem, cui soli certæ rei curatio mandata est, non posse vocari *duumvirum*, etsi, quum duo creati sunt, uterque recte *duumvir* dicitur; nec quisquam dubitare potest, hoc nomen iis, qui ædes sacras dedicabant, primum ab eo, quod duo erant, impositum fuisse. Quod autem interdum tantum unus memoratur, id eo fieri potuit, quod huic vel sorte evenerat, vel a populo nominatim ob causam datum fuerat id, quod præcipuum in dedicatione erat, puta, ut postem tenens precationem aliaque maxime solennia ædibus sacris dedicandis peragoret. Nec adversatur huic sententiæ, quod XXIII, 30, legitur : nam ex cap. 31 liquet, non latum esse ad populum, ut Fabius solus duumvir crearetur ædi Veneris Erycinæ dedicandæ, sed ut duo duumviri, Fabius huic ædi, Otacilius ædi Mentis dedicandæ, essent. Ejusdem generis sunt alia loca, verbi grat. XXXIV, 52, et XL, 34. » Conf. ad II, 42, n. 4; VI, 5, n. 6; XXXIV, 53; XXXV, 41; XXXVI, 36; XLI, 1; quibus locis similiter *duumvir* dicitur, ut *triumvir epulo* XL, 42, n. 2, *decemvir*, etc.

9. *M. Æmilio Lepido, qui bis consul fuerat*, an. Urb. 520 et 532; quo ille et M. Valerius Lævinus L. Veturio Philoni et C. Lutatio Catulo suffecti sunt. — *Ludos funebres per triduum* (quæ duo vocc. forte delenda, nec bis a Livio posita), *et gladiatorum paria XXII dederunt;* conf. XXVIII, 21; XXXI, 50; XXXIX, 46; XLI, 28; ad Sil. XVI, 288 sq. 527 sq. Exemplum hujus rei ab Etruscis desumptum, et origo repetenda a funeribus exsequiisve, in quibus olim captivis aut servis ad busta mactatis defuncto-

les, C. Lætorius et Ti. Sempronius Gracchus, consul designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat[10], ludos romanos fecerunt, qui per triduum instaurati sunt. Plebeii ludi ædilium M. Aurelii Cottæ et M. Claudii Marcelli ter instaurati. Circumacto tertio anno punici belli, Ti. Sempronius consul Idibus Martiis magistratum iniit. Prætores Q. Fulvius Flaccus[11], qui ante bis consul censorque fuerat, urbanam; M. Valerius Lævinus peregrinam sortem in jurisdictione habuit[12]. Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mucius Scævola Sardiniam sortiti sunt. M. Marcello proconsule imperium esse populus jussit, quod post cannensem cladem unus romanorum imperatorum in Italia prospere rem gessisset.

XXXI. Senatus, quo die primum est in Capitolio consultus, decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur[1], ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. De exercitibus ita decreverunt, ut duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius consul Cales ad conveniendum diem edice-

rum manes placari credebantur: unde dicti hustuarii. Conf. Valer. Max. II, 4, 7; Lips. Sat. Germ. I, 8.

10. *In ædilitate magister eq. fuerat;* conf. c. 24. — *Ludos romanos... instaurati* et *plebeii ludi;* vide ad II, 36, n. 1.

11. *Q. Fulvius Flaccus, qui ante bis* (an. U. 515 et 528) *consul censorque fuerat,* plane ut XXV, 5; unde XXV, 3 pr. *tertium consulatum iniit,* et XXVIII, 45, *quater consul et censor fuerat.* Hinc pro vulg. *antea consul* auctore Perizon. reposui *ante II* vel *bis consul.*

12. *Fulvius... urbanam, M. Valerius Lævinus peregrinam sortem in jurisdictione habuit;* v. XXII, 35, n. 5.

Cap. XXXI. 1. *Senatus... decrevit, ut simplex tributum... exigeretur, quo,* ut, vel hoc consilio, ut *eo anno duplex imperaretur,* imperari et commodius conferri posset; Stroth. Sed hæc duarum conjunctionum, *ut, quo,* sine ulla verborum interjectione se excipientium collocatio admodum mihi dura, et vulgata lectio *ut eo anno* tuenda videtur; Doer. In MSS tamen et edd. vett. fere omnibus legitur *ut quo eo anno,* vel *ut quo anno.* Cæterum variationis causa primum *senatus decrevit,* et deinde *decreverunt* dicitur.

ret[2]: inde ut legiones in castra Claudiana[3] supra Suessulam deducerentur. Quæ ibi legiones essent (erant autem cannensis maxime exercitus), eas Ap. Claudius Pulcher prætor in Siciliam trajiceret; quæque in Sicilia essent, Romam deportarentur. Ad exercitum, cui ad conveniendum Cales edicta dies erat, M. Claudius Marcellus missus; isque jussus in castra Claudiana[4] deducere urbanas legiones. Ad veterem exercitum accipiendum, deducendumque inde in Siciliam T. Metilius Croto legatus ab Ap. Claudio est missus. Taciti primo exspectaverant homines, uti consul comitia collegæ creando haberet: deinde, ubi ablegatum, velut de industria, M. Marcellum viderunt, quem maxime consulem in eum annum ob egregie in prætura res gestas creari volebant, fremitus in curia est ortus. Quod ubi sensit consul, « Utrumque, inquit, e republica fuit[5], Patres « conscripti, et M. Claudium ad permutandos exercitus « in Campaniam proficisci, et comitia non prius edici, « quam is inde, confecto, quod mandatum est, nego- « tio, revertisset; ut vos consulem, quem tempus rei- « publicæ postularet, quem maxime vultis, haberetis. » Ita de comitiis, donec rediit Marcellus, silentium fuit. Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus et

2. *Cales ad conveniendum diem ediceret legionibus;* vide ad XXII, 12, n. 1. — *Inde ut legiones* edidi pro vulg. *inde sex legiones:* nam de iisdem *duabus legionibus urbanis* agitur (cf. sqq.), et sex legionibus nemo in hoc bello præfuit. Hinc *eæ* conj. Perizon. (ut *a* mutatum sit in *x*); *hæ* et *ut* Stroth. Posterius recepi, quia ex VT facillime VI enasci potuit. — Creverius putat nihil certius emendatione Perizonii, *inde eæ legiones;* et hujus lectionis vestigia occurrere in Put. codice. Ed.

3. *Castra Claudiana*, M. Claudii Marcelli, ab eo communita, et sic appellata, *supra Suessulam;* conf. c. 14 extr. 17 pr. 39 extr. (ubi *super Suessulam* pro *super Vesuvium* legendum videri, jam monuit Cluv. Ital. Ant. III, 5) 48 pr. et XXV, 22, n. 5. — *Eas App. Claudius Pulch. prætor in Siciliam trajiceret;* cf. supra ad cap. 25, n. 5.

4. *In castra Claudiana*, sua, ab ipso sic dicta.

5. *Utrumque e republica fuit;* vide ad VI, 22, n. 2.

unde Mago frater Hannibalis duodecim millia peditum, et mille quingentos equites, viginti elephantos, mille argenti talenta in Italiam transmissurus erat cum præsidio sexaginta navium longarum, nuntius affertur, in Hispania rem male gestam, omnesque ferme ejus provinciæ populos ad Romanos defecisse. Erant, qui Magonem cum classe ea copiisque, omissa Italia [4], in Hispaniam averterent, quum Sardiniæ recipiendæ repentina spes adfulsit. *Parvum ibi exercitum romanum esse : veterem prætorem inde, A. Cornelium, provinciæ peritum decedere, novum exspectari. Ad hoc, fessos jam animos Sardorum esse diuturnitate imperii; et proximo iis anno acerbe atque avare imperatum : gravi tributo* [5], *et collatione iniqua frumenti pressos : nihil deesse aliud, quam auctorem, ad quem deficerent.* Hæc clandestina[6] legatio per principes missa erat; maxime eam rem moliente Hampsicora, qui tum auctoritate atque opibus longe primus erat. His nuntiis prope uno tempore turbati erectique Magonem cum classe sua copiisque in Hispaniam mittunt: in Sardiniam Hasdrubalem deligunt ducem ; et tantum ferme copiarum, quantum Magoni, decernunt. Et Romæ consules, transactis rebus, quæ in Urbe agendæ erant, movebant jam sese ad bellum.

(ut apud Cicer. ad Brutum Epist. 2 pr.), *vadimonia fieri;* cf. ad Juvenalis Sat. III, 298, et Ernesti Clavem Ciceronianam.

4. *Omissa Italia* (vide ad III, 46, n. 7), *in Hispaniam averterent*, mittendum, ablegandum censerent. Conf. ad III, 21, n. 3.

5. *Gravi tributo*, etc. « Cornelio socias civitates in Sardinia *benigne contulisse*, cap. 21 scribit. Non improbabile est, simulatam benignitatem, vel certe gravem illam *collationem* Sardis fuisse, et principibus quibusdam occasionem Sardos ad defectionem impellendi præbuisse, quam cap. 34 et 40 memorat. » Duk.

6. *Hæc clandestina legatio*, nuntius, *per principes* Sardorum *missa erat* Carthaginem. — *Hampsicora* et *Ampsicora* optimi MSS. *Harsicora* edd. antt. *Hampsagoras* apud Silium, XII, 345. *Ampsigura* punicum mulieris nomen apud Plaut. Pœn. V, 2, 105 sq. Utrumque forte deductum ab Ampsaga flum. Africæ; Gronov. Mox edd. ante Drakenb., non MSS, post *Hasdrubalem* inserunt verba *cogno-*

Ti. Sempronius militibus[7] Sinuessam diem ad conveniendum edixit; et Q. Fabius, consulto prius senatu, ut frumenta omnes ex agris, ante Kalendas[8] Junias primas, in urbes munitas conveherent. *Qui non invexisset, ejus se agrum populaturum, servos sub hasta venditurum, villas incensurum.* Ne prætoribus quidem, qui ad jus dicendum creati erant, vacatio ab belli administratione data est. Valerium prætorem in Apuliam ire placuit, ad exercitum a Terentio accipiendum: quum ex Sicilia legiones venissent, iis potissimum uti ad regionis ejus præsidium: Terentianum[9] mitti cum aliquo legatorum. Et viginti quinque naves M. Valerio datæ sunt, quibus oram maritimam inter Brundisium ac Tarentum tutari posset: par navium numerus Q. Fulvio prætori urbano decretus ad suburbana litora tutanda. C. Terentio proconsuli negotium datum, ut in piceno agro conquisitionem militum[10] haberet, locisque iis præsidio esset. Et T. Otacilius Crassus, postquam ædem

*mento Calvum*, desumpta forsan e cap. 34 extr.

7. *Ti. Sempronius militibus*, qui ipsi evenerant, volonibus et sociis, *Sinuessam diem ad conveniendum edixit;* cf. ad XXII, 12, n. 1. — *Q. Fabius*, scil. edixit.

8. *Ante kalendas junias primas*, proximas. — Kalendas Junias præsentis anni. Additur *primas* ex consuetudine formularum hujusmodi, in quibus verborum apices religiose perpenduntur. Ed.

9. *Terentianum mitti*, scilicet in Siciliam; Sigon. Sed id pugnare cum narratione Livii cap. 31 et 25, monet Duk., isque non male *Tarentum* ante *mitti* excidisse suspicatur ex cap. 38. Malim tamen legere: *Terentianum mitti c. a. legatorum, et XXV naves M. Valerio dari, quibus*, etc. Verbum certe *sunt* ab optimis MSS abest. — *M. Valerio* Lævino, eidem prætori, cui præter Apuliam tradita etiam *ora maritima* cum classe tutanda. Confer cap. 38, 48; XXIV, 10, 20, et al. *P. Valerio* (Flacco) conj. Jac. Gron. Is legatus fuit prætoris, et classi præfectus. Confer cap. 16, 34, 38, et XXVI, 8. Sed vulgatæ lect. tum alia favent, tum verba seqq. *par navium numerus Q. Fulvio prætori urbano decretus.* Bene autem Livius primum simpl. *Valerium* dixit, quia adjecit *prætorem;* nunc *M. Valerium*, ut a P. Valerio legato distinguatur. — Notat Creverius hoc nomen nusquam MSS occurrere, odiosamque esse ejus iterationem; immo si aliquod exprimi debuerit, videri potius legend. *P. Valerio.* Ed.

10. *Conquisitionem militum;* vide

Mentis in Capitolio dedicavit, in Siciliam cum imperio, qui classi præesset, missus.

XXXIII. In hanc dimicationem [1] duorum opulentissimorum in terris populorum omnes reges gentesque animos intenderant. Inter quos Philippus, Macedonum rex, eo magis, quod propior Italiæ [2] ac mari tantum Ionio discretus erat. Is ubi primum fama accepit, Hannibalem Alpes transgressum, ut bello inter Romanos Pœnumque orto lætatus erat, ita, utrius populi mallet victoriam esse, incertis adhuc viribus, fluctuatus animo fuerat. Postquam tertia jam pugna, tertia victoria cum Pœnis erat, ad fortunam inclinavit, legatosque ad Hannibalem misit : qui, vitantes portus brundisinum tarentinumque, quia custodiis navium romanarum tenebantur, ad Laciniæ Junonis templum [3] in terram egressi sunt. Inde per Apuliam petentes Capuam, media in præsidia romana illati sunt; deductique ad M. Valerium Lævinum prætorem, circa Luceriam castra habentem. Ibi intrepide Xenophanes, legationis princeps, a Philippo rege se missum, ait, ad amicitiam societatemque jungendam cum populo romano : mandata habere ad consules, ac senatum populumque romanum. Prætor, inter defectiones [4] veterum sociorum,

ad XXI, 11, n. 10. — *Qui classi præesset :* τὸ *qui* pro *quo*, vel *ut*. Sic pro *ut* XXVI, 17, n. 4. Confer Zinzerl. Prom. crit. cap. 3.

Cap. XXXIII. 1. *In hanc dimicationem*, etc. Quam apte hæc nunc ad novam dimicationem Anglorum Francorumque transferre licet?

2. *Quo propior Italiæ;* confer ad I, 23, n. 9. — *Incertis adhuc viribus*, quum nondum constaret, uter populus plus viribus valeret altero; Doer. — *Fluctuatus fuerat;* vide ad IV, 24, n. 2. — *Postquam tertia*, etc. Quum videret Philippus tertiam jam pugnam tertiam fuisse victoriam ab Pœnorum parte; sive, Pœnos ter pugnasse cum Romanis, ter vicisse. Ita Crev. Ed.

3. *Ad Laciniæ Junonis templum;* de quo vide XXIV, 3. Vox *templum* abest a multis MSS, et forte delenda. Cf. ad cap. 34, n. 2, et ad I, 33, n. 6. Mox *Luceriam* recepi ex emend. VV. DD. quam firmat inpr. cap. 48. *Nuceriam* vel *Numeriam* MSS, et edd. Sed utrumque ab h. l. alienum.

4. *Prætor, inter defectiones*, etc. Sic quidam MSS *senatum p. r. PR. in-*

nova societate tam clari regis lætus admodum, hostes pro hospitibus comiter accepit: dat, qui prosequantur, itinera cum cura demonstrent, quæ loca quosque saltus, aut Romanus, aut hostes teneant. Xenophanes per præsidia romana in Campaniam, inde, qua proximum fuit, in castra Hannibalis pervenit, fœdusque cum eo atque amicitiam junxit legibus his[5]: *ut Philippus rex quam maxima classe (ducentas autem naves videbatur effecturus) in Italiam trajiceret, et vastaret maritimam oram: bellum pro parte sua terra marique gereret. Ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Hannibalis esset, prædaque omnis Hannibali cederet. Perdomita Italia, navigarent in Græciam, bellumque, cum quibus regibus placeret*[6], *gererent: quæ civitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi regnique ejus essent.*

XXXIV. In has ferme leges inter Pœnum ducem legatosque Macedonum ictum fœdus, missique cum iis ad regis ipsius firmandam fidem[1] legati, Gisgo, et

*ter*, etc. Ab aliis vox *prætor* abest, et sic facile excidere potuit. *Inter defectiones v. s. Valerius nova societate*, etc. omnes edd. ante Stroth. Sed proprium Valerii nomen in nullo fere MS reperitur.

5. *Fœdusque cum eo atque amicitiam junxit legibus his*, etc.; vide totam fœderis formulam apud Polyb. VII, 9, ex qua etiam patet, *Xenophanem* fuisse Atheniensem, et Cleomachi filium.

6. *Cum quibus regibus placeret;* malim *regi*, et, e melioribus MSS, *quæque insulæ;* Gron. Forte et leg. *vergerent.*

Cap. XXXIV. 1. *Ad regis ipsius firmandam fidem;* « forte *ad regis ipsius firmandas fide*, scilicet leges: nam *firmare fidem* dicitur tum is ipse, qui fidem a se datam arctiore quodam vinculo adstringit, vel qui argumentis et rerum documentis rem, quam affirmavit, probabilem et certam reddit; tum res ipsa, quæ fidem facit: adeoque Philippus recte *firmare fidem* Hannibali a legatis suis datam, non legati Hannibalis *firmare fidem Philippi* dici possunt »; Duk. Vulgatum Stroth. exponit: ad firmandam a rege fidem accipiendam; ut adessent, quum a rege ipso fides firmanda esset: quemadmodum *mitti ad ludos agendos* etiam de iis dici potest, qui spectatum mittuntur, nec ipsi ludos agunt. At Doer. ad fidem ab ipso rege firmandam; ut

Bostar, et Mago, eodem ad Junonis Laciniæ [2], ubi navis occulta in statione erat, perveniunt : inde profecti, quum jam altum tenerent, conspecti a classe romana sunt, quæ præsidio erat Calabriæ litoribus. P. Valerius Flaccus [3] cercuros ad persequendam retrahendamque navem quum misisset, primo fugere regii conati : deinde, ubi celeritate vinci senserunt, tradunt se Romanis, et ad præfectum classis adducti : quum quæreret, *qui, et unde, et quo tenderent cursum* [4]; Xenophanes primo, satis jam semel felix, mendacium struere, *a Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem unum iter tutum fuerit, pervenisse. Campaniam superare nequisse, septam hostium præsidiis.* Deinde, ut punicus cultus habitusque suspectos legatos fecit Hannibalis, interrogatosque sermo prodidit; tum, comitibus eorum seductis, ac metu territis, literæ quo-

datam a legatis fidem ipse rex firmaret: nam *regis ipsius* positum pro *ab ipso rege*, vel *regi ipsi*. Sed explicandum potius videtur : *ad fidem regis ipsius*, promissionem dandam datamque ab eo ipso, *firmandam* jurejurando tabulisque fœderis, ab eo exigendis. — *Gisgo*, ut passim *Hasdrubal, Gisgonis filius* : sed forte leg. *Gisco* : nam semper Γίσκων vel Γέσκων dicitur Polybio, Appiano et al.

2. *Ad Junonis Laciniæ;* vide ad cap. 33, n. 3. — Huc Pal. 2 et vet. ed. intrudunt *templum;* male. Ed.

3. *P. Valerius Flaccus;* vide ad cap. 32, n. 8. — *Cercuros*, in edd. ante Gron. *Corcyræos*, in MSS *cercyros* et *corcyros*. *Cercurus*, græce κερκοῦρος, *navis Asiana prægrandis* apud Non. Marc. pag. 533, caudata (sic dicta a κερκὸς et οὖρα, quod utrumque caudam significat, sed, ut alii putant, a Κερκύρα, seu Corcyra ins.), prælonga et velox (confer XXXIII, 19 extr.), a Cypriis inventa. Schaefer hæc adnotavit : « Nonii explicatio dubito an vera sit. Cercuri certe cum lembis conjunguntur XXXIII, 19, et a Suida, κέρκουρος νηὸς εἶδος· κέρκουροι καὶ μυοπάρωνες καὶ λέμβοι εἴδη πλοίων. Idem Nonius pag. 534 : *Lembus navicula brevis piscatoria*, et *myoparo est navicula piratarum*. Hinc lusus Rufini in Brunck. Anal. tom. 2, pag. 349, ad quem Schol. in cod. Vatic. Εἰς ἑταίραν Λέμβιον καὶ Κερκούριον. Εἰσὶ δὲ ταῦτα ὀνόματα μικρῶν καραβίων, τῶν παρ' ἡμῖν σανδαλίων · vide Ducang. Gloss. gr. v. κάραβος, καράβιον, σάνδαλις, etc. » Confer Plin. VII, 56, sive 57. — *Celeritate vinci*, scilicet *se*, nisi potius id ante *senserunt* excidit. — *Ad præfectum classis*, P. Valerium Flaccum.

4. *Et quo tenderent cursum;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Deinde, ut punicus cultus... tum*, etc. ita et *tum* adjectum τῷ *deinde* πλεονάζει, XXX, 10, n. 1.

que ab Hannibale ad Philippum inventæ, et pacta inter regem Macedonum pœnumque ducem. Quibus satis cognitis, optimum visum est, captivos comitesque eorum Romam ad senatum, aut ad consules, ubicumque essent, quam primum deportare. Ad id celerrimæ quinque naves delectæ, ac L. Valerius Antias [5], qui præesset, missus : eique mandatum, ut in omnes naves legatos separatim custodiendos divideret, daretque operam, ne quod iis colloquium inter se, neve quæ communicatio consilii esset. Per idem tempus Romæ quum A. Cornelius Mammula, ex Sardinia provincia decedens, retulisset, qui status rerum in insula esset, bellum ac defectionem omnes spectare [6]; Q. Mucium, qui successisset sibi, gravitate cæli aquarumque advenientem exceptum, non tam in periculosum, quam longum, morbum implicitum, diu ad belli vim sustinendam inutilem fore, exercitumque ibi ut satis firmum pacatæ provinciæ præsidio esse, ita parum bello, quod motum iri videretur : decreverunt Patres, ut Q. Fulvius Flaccus quinque millia peditum, quadringentos equites scriberet [7], eamque legionem primo quoque tempore in Sardiniam trajiciendam curaret, mitteretque cum imperio, quem ipsi videretur [8], qui rem gereret, quoad Mucius convaluisset. Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censor-

5. *L. Valerius Antias;* confer ad III, 5, n. 9.

6. *Defectionem omnes spectare;* vid. ad I, 9, n. 3. — *Gravitate cæli aquarumque advenientem exceptum;* vide ad I, 53, n. 5, et III, 6, n. 2. De *gravi* autem, hoc est, insalubri et pestifero, *cælo in Sardinia,* ejusque causis, vide ad Sil. XII, 371, et ad Tac. Ann. II, 85, n. 8. Idem *Siciliæ* tribuitur XXV, 26, n. 3.

7. *Quadringentos equites scriberet,* ut et XL, 36; *trecentos* edd. ante Ald. forte rectius : aut centum præter morem adjecti; vide ad VIII, 8, n. 10.

8. *Mitteretque cum imperio, quem ipsi videretur;* vide ad I, 29, n. 4. — *T. Manlius Torquatus, qui bis consul fuerat,* anno Urbis 517 (quo Janus iterum clausus, de quo vide I, 19, Manliusque de victis *Sardis* triumphavit) et 528. Confer XXV, 5. — *In*

que fuerat, subegeratque in consulatu Sardos. Sub idem fere tempus et a Carthagine in Sardiniam classis missa, duce Hasdrubale, cui Calvo cognomen erat, fœda tempestate vexata, ad Baliares insulas[9] dejicitur: ibique (adeo non armamenta modo, sed etiam alvei navium quassati erant) subductæ naves dum reficiuntur, aliquantum temporis triverunt.

XXXV. In Italia quum post cannensem pugnam, fractis partis alterius viribus, alterius mollitis[1] animis, segnius bellum esset: Campani per se adorti sunt rem cumanam suæ ditionis facere; primo sollicitantes, ut ab Romanis deficerent: ubi id parum processit, dolum ad capiendos eos comparant. Campanis omnibus statum sacrificium ad Hamas: eo senatum campanum venturum certiores Cumanos fecerunt; petieruntque, ut et cumanus eo senatus veniret ad consultandum communiter, ut eosdem uterque populus socios hostesque haberet: præsidium ibi armatum sese habituros, ne quid ab Romano Pœnove periculi esset. Cumani (quanquam suspecta fraus erat) nihil abnuere; ita tegi fallax consilium posse rati. Interim Ti. Sempronius consul romanus Sinuessæ, quo ad conveniendum diem edixerat[2], exercitu lustrato, transgressus

*consulatu:* sed in quo? nam *bis consul fuerat.* In quibusdam libris reperiri *in suo consulatu*, et legendum esse *in primo cons.* non male monet Pigh. in Ann. ad ann. 519, p. 95; nam voc. *primo*, numerali nota signatum, facile intercidere potuisse.

9. *Ad Baliares insulas dejicitur;* vide ad XXI, 21, n. 7, et XXI, 49, n. 3. — Hanc scripturam solus servavit Victorinus codex: sed eodem alludunt cæteri, qui præferunt *dicitur*, vel *ducitur*. Vulgati habent hoc loco *ejicitur;* sed *ejici* naufragorum est. *Dejici* vero dicuntur ii qui vi tempestatis avertuntur a cursu, aut ad terram inviti impelluntur, summa tamen re salva, ut notat Creverius. Ed. — *Armamenta;* vide ad XXI, 49, n. 7. — *Alvei navium;* vide ad I, 4, n. 9. — *Subductæ naves;* vide ad VIII, 26, n. 1.

Cap. XXXV. 1. *Alterius* (Pœnorum) *mollitis animis* Capuæ; vid. ad cap. 18. — *Campani per se* (vide ad VI, 20, n. 13) *adorti sunt*, conati, *rem* publicam *cumanam suæ ditionis facere;* vide ad XXI, 30, n. 5.

2. *Quo ad conven. diem edixerat*,

Vulturnum flumen, circa Liternum castra posuit. Ibi, quia otiosa stativa erant, crebro decurrere milites cogebat[3], ut tirones (ea maxima pars volonum[4] erat) assuescerent signa sequi, et in acie agnoscere ordines suos. Inter quæ maxima inerat cura duci[5]; itaque legatis tribunisque præceperat, *ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ discordiam inter ordines sereret: vetus miles tironi, liber voloni sese exæquari sineret: omnes satis honestos generososque ducerent, quibus arma sua signaque populus romanus commisisset. Quæ fortuna coegisset ita fieri, eamdem cogere tueri factum.* Ea non majore cura præcepta ab ducibus sunt, quam a militibus observata; brevique tanta concordia coaluerant omnium animi[6], ut prope in oblivionem veniret, qua ex conditione quisque esset miles factus. Hæc agenti Graccho legati cumani nuntiarunt, quæ a Cam-

sc. exercitui suo; confer ad cap. 32, n. 6. — *Liternum;* vid. supra ad lib. XXII, 16, n. 4.

3. *Crebro decurrere milites cogebat,* ut *legiones decurrunt in armis,* lib. XXXV, c. 35, n. 3, h. e. armatæ, ut ἐν ὅπλοις pro ἔνοπλοι, Scheffer. Hæc est decursio campestris, campicursio, decursus, h. e. concursus militum ad simulacrum pugnæ, et incursus in hostes, vel cursus in armis (pyrrhicha), et exercitatio tum in armis tractandis movendisque, tum præcipue in agitandis corporibus, in incedendo, in gradu militari, in currendo. Conf. ad XXIV, 48; XXVI, 51; XXIX, 22; XXXV, 35; XL, 6, 7, 9, 47; XLII, 52; XLIV, 9. Alia decursio, sc. circa rogum tumulumve defunctorum imperatorum, memoratur infra XXV, 17. De utraque ad Tac. Ann. II, 7, n. 5.

4. *Ea maxima pars volonum* (vide ad XXII, 57, n. 12) *erat* (conf. cap. 32), pro: *eorum maxima pars,* vel *ii maximam partem volones erant.* Conf. ad XXIV, 16, n. 3, et Justin. V, 10 pr.

5. *Inter quæ maxima inerat cura duci,* interea omnis fere cura ducis versabatur in hoc (*itaque,* et ita, ut III, 30, n. 3, h. e. ut idem curarent, *legatis tribunisque præceperat*), *ne* (ut non) *aliqua exprobratio cuiquam* facta (nam verbale nomen nonnunquam regit casum verbi, quod Gron. exemplis firmavit) *veteris fortunæ,* conditionis servilis, *discordiam inter ordines,* genera militum diversa, *sereret;* ut (quod latet in τῷ *ne,* de quo cf. ad I, 33, n. 7) *vetus miles tironi, liber voloni* (vid. ad XXII, 57, n. 12) *sese exæquari sineret,* et *omnes,* cuncti, eos *satis honestos generososque ducerent,* etc.

6. *Concordia coaluerant animi;* v. ad I, 11, n. 2.

panis legatio paucos ante dies venisset, et quid iis ipsi respondissent, triduum post eum diem festum esse: non senatum solum omnem ibi futurum, sed castra etiam et exercitum campanum. Gracchus, jussis Cumanis omnia ex agris in urbem convehere, et manere intra muros, ipse pridie, quam statum sacrificium Campanis esset, Cumas movet castra: Hamæ inde tria millia passuum absunt. Jam Campani eo frequentes ex composito convenerant, nec procul inde in occulto Marius Alfius medixtuticus (summus magistratus erat Campanis) cum quatuordecim millibus armatorum habebat castra, sacrificio apparando, et inter id instruendæ fraudi aliquanto intentior, quam muniendis castris, aut ulli militari operi. Triduum sacrificatum ad[8] Hamas: nocturnum erat sacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Huic Gracchus insidiandum[9] tempori ratus, custodibus ad portas positis, ne quis enuntiare posset cœpta, et ab decima diei hora coactis militibus corpora curare, somnoque operam dare, ut primis tenebris convenire ad signum possent, vigilia ferme prima tolli jussit signa; silentique profectus agmine, quum ad Hamas media nocte pervenisset, castra campana,

7. *Medixtuticus;* conf. XXIV, 19 inpr. XXVI, 6, et ad IX, 20, n. 2. *Medix,* seu *meddix* in Osca aut Campanorum lingua magistratus, et *tuticus* summus dicitur, quod ex Festo, et, quæ laudat, Ennii verbis patet; Str.

8. *Triduum sacrificat. ad Hamas:* leg. Crever., vel *sacrificandum* cum Perizonio, cujus nota est: « Quis credat, Gracchum, qui pridie istius sacrificii jam moverat Cumas, post triduum demum oppressisse Campanos, et non primo quoque tempore, ante quam detegerentur insidiæ, quas, etiamsi nemo enuntiaret, in tam propinquo loco celare difficile erat, et eo ipso animadvertere potuissent Campani, quod nemo Cumanorum, contra quam dictum erat, advenisset. Verisimilius est, verbis his et seqq. describi ipsum illud sacrum. » *Sacrificatur* conj. Crev. ut simul innuat Livius, istud sacrificium adhuc suo ævo celebrari. Quod unde constet, quærit Drak. — *Compleretur,* perficeretur.

9. *Huic insidiandum tempori,* hoc captandum tempus insidiandi; Ern. Conf. Vellei , 21, et Cic. Cat. I, 10. Mox *ab decima diei hora* maluit Gronovius.

ut in pervigilio neglecta[10], simul omnibus portis invadit: alios somno stratos, alios perpetrato sacro inermes redeuntes obtruncat. Hominum eo tumultu nocturno cæsa plus duo millia, cum ipso duce Mario Alfio: capta sunt signa militaria quatuor et triginta.

XXXVI. Gracchus, minus centum militum jactura castris hostium potitus, Cumas se propere recepit, ab Hannibale metuens[1], qui super Capuam in Tifatis habebat castra. Nec eum provida futuri fefellit opinio: nam simul Capuam ea clades est nuntiata, ratus Hannibal, ab re bene gesta[2] insolenter lætum exercitum, tironum magna ex parte servorumque, spoliantem victos, prædasque agentem, ad Hamas se inventurum; citatum agmen præter Capuam rapit[3], obviosque ex fuga Campanorum dato præsidio Capuam duci, saucios vehiculis portari jubet. Ipse Hamis vacua ab hostibus castra, nec quidquam præter recentis vestigia cædis, strataque passim corpora sociorum invenit. Auctores erant quidam, ut protinus inde Cumas duceret, urbemque oppugnaret. Id quanquam haud modice Hannibal cupiebat, ut, quia Neapolim non potuerat, Cumas saltem, maritimam urbem, haberet; tamen, quia præter arma nihil secum miles, raptim acto agmine,

10. *Ut in pervigilio neglecta*, in sacro nocturno, quod cui deo vel deæ factum sit a Campanis, ignoramus. De pervigiliis vide ad Tac. Ann. XV, 44, n. 2; Lips. Elect. I, 5, et Wernsdorf. Poet. lat. min. tom. III, p. 426 sq.

Cap. XXXVI. 1. *Ab Hannibale metuens. Hannibalem metuens* plures scripti et editi ante Aldum, qui recte *ab Hannibale* substituit. Sic *metus ab cive*, II, 24; *metus a prætore rom.* XXIII, 15, etc. Ed. — *In Tifatis*, ut cap. 39. Conf. VII, 29, et XXVI, 5. De nominibus montium adjectivis, pluralibus et neutris, vide ad Sil. IV, 363, et XII, 537. — *Provida futuri opinio*, plane ut *formica haud ignara ac non incauta futuri* apud Hor. Sat. I, 1, 35. Ita tamen propr. *providum* erat dicendum. *Provida* est præscia, præsagiens. — *Simul*, simul ac.

2. *Ab re bene gesta;* vide ad I, 1, n. 5. — *Exercitum* Sempronii Gracchi, *tironum...servorumque;* confer cap. 32 et 35.

3. *Agmen præter Capuam rapit;* vide supra ad librum VI, caput 23, not. 3.

extulerat, retro in castra supra Tifata se recepit. Inde, fatigatus Campanorum precibus, sequenti die cum omni apparatu oppugnandæ urbis Cumas redit: perpopulatoque agro cumano, mille passus ab urbe castra locat; quum Gracchus magis verecundia in tali necessitate deserendi socios, implorantes fidem suam populique romani, substitisset, quam satis fidens exercitui. Nec alter consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum flumen traducere audebat exercitum; occupatus primo auspiciis repetendis [4], dein prodigiis, quæ alia super alia nuntiabantur, expiantique ea haud facile litari haruspices respondebant.

XXXVII. Hæ causæ quum Fabium tenerent, Sempronius in obsidione erat; et jam operibus oppugnabatur. Adversus ligneam ingentem [1], admotam urbi, aliam turrem ex ipso muro excitavit consul romanus, aliquanto altiorem: quia muro satis per se alto subjectis validis sublicis pro solo usus erat. Inde primum saxis, sudibusque, et cæteris missilibus propugnatores mœnia atque urbem tuebantur: postremo, ubi [2] promovendo adjunctam muro viderunt turrem, facibus ardentibus plurimum simul ignem conjecerunt. Quo incendio trepida armatorum multitudo quum de turre sese præcipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis stationes hostium fudit fugavitque in castra; ut eo die obsesso, quam obsidenti, similior esset Pœnus. Ad mille trecenti Carthaginiensium cæsi, et undesexa-

4. *Auspiciis repetendis;* vide ad V, 17, n. 4. — *Expiantique ea;* vid. ad I, 20, n. 11. — *Litari;* vide ad V, 38, n. 1.

Cap. XXXVII. 1. *Adversus ligneam ingentem*, scil. *turrim*, quam vocem addunt omnes edd. ante Gronov., sed pauci MSS. Malim tamen mox *turrem* delere, quam h. l. — *Validis sublicis.* Antea *supplicatis* legebatur, quod emendavit Valla. *Sublica* est genus trabis, unde dictus est *pons sublicius*, ex sublicis structus. Ed.

2. *Promovendo* passive, dum illa propius admovebatur; Doer. — *Ad mille trecenti;* vid. ad IV, 59, n. 5.

ginta vivi capti; qui, circa muros et in stationibus solute ac negligenter agentes, quum nihil minus, quam eruptionem, timuissent, ex improviso oppressi fuerant. Gracchus prius, quam se hostes ab repentino pavore colligerent, receptui signum dedit, ac suos intra muros recepit. Postero die Hannibal, lætum secunda re consulem justo prælio ratus certaturum, aciem inter castra atque urbem instruxit. Cæterum postquam neminem moveri ab solita custodia urbis vidit, nec committi quidquam temerariæ spei, ad Tifata redit infecta re. Quibus diebus Cumæ liberatæ sunt obsidione, iisdem diebus [3] et in Lucanis ad Grumentum Ti. Sempronius, cui Longo cognomen erat, cum Hannone Pœno prospere pugnat. Supra duo millia hostium occidit, et ducentos octoginta milites amisit; signa militaria ad quadraginta unum cepit: pulsus finibus lucanis Hanno retro in Bruttios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quæ a populo romano defecerant, vi recepta per M. Valerium prætorem, Vercellium, Vescellium, et Sicilinum [4]: et auctores defectionis securi

3. *Quibus diebus Cumæ.....iisdem diebus*, etc. Confer ad I, 3, n. 8. Sed alterum *diebus* delendum potius crediderim. — *Cum Hannone Pœno;* conf. cap. 43. *Ti. Sempronius Longus* haud dubie proconsul in hoc anno fuit. Nec tamen Livius in superioribus ullam hujus rei et provinciæ ejus mentionem facit: cujus generis etiam est, quod cap. seq. *classem Graechi* consulis memorat; Duk.—*Millia hostium.* Sic edidit Jac. Gron. et scribendum conjecit Pigh. consentiunt quidam codd. maxima tamen pars *hominum* tuetur. Ed.

4. *Vercellium, Vescellium, Sicilinum: et auctores*, etc. ex optimis MSS cum Strothio revocavi, ut tria sint Hirpinorum oppida, e quibus editores homines, et quidem duos tantum, fecerunt. *Vercellium Siciliumque, et auctores defectionis securi percussit* edd. prim. *prætorem. Vercellius Siciliusque auctores defectionis securi percussi* edd. a Mogunt. omnes. Cæterum ipsa oppida hodie incognita, et nomina forte corrupta. In quibusdam MSS *Vescellum* et *Sicilium* legitur. *Sicilium* a Dionysio, etsi in Tiburtibus, memorari monuit Gron. idemque putabat, a Vescellio, seu Viscellio, tum *Jovem Vicilinum* XXIV, 44, n. 6 (ubi in MS Put. et Pet. legitur *Jovis Visilini*), tum *Sp. Cassium Viscellinum* dictum fuisse. Forte leg. *Herdoniam, Abellinum, Æculanum*, oppida Hirpinorum nobis, non librariis, notiora.

percussi. Supra mille captivorum sub hasta venierunt [5]: præda alia militi concessa, exercitus Luceriam reductus.

XXXVIII. Dum hæc in Lucanis atque in Hirpinis geruntur, quinque naves, quæ Macedonum atque Pœnorum captos legatos Romam portabant, ab supero mari ad inferum [1] circumvectæ prope omnem Italiæ oram, quum præter Cumas velis ferrentur, neque, hostium an sociorum essent, satis sciretur, Gracchus obviam ex classe sua naves misit. Quum percunctando in vicem cognitum esset, consulem Cumis esse; naves Cumas appulsæ, captivique ad consulem deducti, et literæ datæ. Consul, literis Philippi atque Hannibalis perlectis, consignata omnia ad senatum itinere terrestri misit: navibus devehi legatos jussit. Quum eodem fere die literæ legatique Romam venissent, et, percunctatione facta, dicta cum scriptis congruerent, primo gravis cura Patres incessit, cernentes, quanta vix tolerantibus punicum bellum macedonici belli moles instaret. Cui tamen adeo non succubuerunt, ut extemplo agitaretur, quemadmodum ultro inferendo bello averterent ab Italia hostem. Captivis in vincula condi jussis, comitibusque eorum sub hasta venditis, ad naves viginti quinque, quibus P. Valerius Flaccus [2] præfe-

5. *Sub hasta venierunt;* vid. ad IV, 53, n. 4. Mox pro *Luceriam* in edd. ante Gron. *Cumas.* Sed ibi Sempronius Gracchus in præsidio erat; conf. ad cap. 33, 35, et inpr. 48.

Cap. XXXVIII. 1. *Ab supero mari ad inferum;* vide V, 33.

2. *Ad naves XXV, quibus P. Valerius*, etc. Immo: *ad naves viginti.... viginti quinque paratas:* nam ex XXV navibus, Valerio datis (vide cap. 32), postea quinque Romam missæ (c. 34), quæ h. l. rursus classi adnumerantur, et hinc bellicæ fuerunt, non onerariæ; Jac. Gronov. Bis *viginti quinque* leg. putabat Periz. Animad. hist. c. 8, p. 344. Sed Valerium non recte dici posse tum præfuisse quinque navibus, Romam missis, et ex hac ratione non *L* naves, quæ mox memorantur, sed *LV* effici, monet Duk. Verbum *paratas* del. monet J. Fr. Gron., aut leg. *parari*, vel *parandas*.—Creverius cum Perizonio legit *viginti quinque alias*,

ctus præerat, viginti paratas alias decernunt. His comparatis deductisque, et additis quinque navibus, quæ advexerant captivos legatos, triginta naves ab Ostia Tarentum profectæ : jussusque P. Valerius, militibus Varronianis, quibus L. Apustius legatus Tarenti præerat, in naves impositis, quinquaginta navium classe non tueri modo Italiæ oram, sed explorare de macedonico bello. Si congruentia literis legatorumque indiciis Philippi consilia essent, ut M. Valerium prætorem literis certiorem faceret : isque, L. Apustio legato exercitui præposito, Tarentum ad classem profectus, primo quoque tempore in Macedoniam transmitteret; daretque operam, ut Philippum in regno contineret. Pecunia ad classem tuendam[3] bellumque macedonicum ea decreta est, quæ Ap. Claudio in Siciliam missa erat, ut redderetur Hieroni regi : ea per L. Apustium legatum Tarentum est devecta. Simul ab Hierone missa ducenta millia modium tritici, et hordei centum.

XXXIX. Dum hæc Romani parant aguntque, ad Philippum captiva navis, una ex iis, quæ Romam missæ erant, ex cursu refugit : inde scitum, legatos cum literis captos. Itaque ignarus de iis[1], quæ cum Hannibale legatis suis convenissent, quæque legati ejus ad se allaturi fuissent, legationem aliam cum eisdem mandatis mittit. Legati ad Hannibalem missi, Heraclitus[2], cui

quæ junctæ cum quinque illis navibus, quas ad captivos deportandos Romam P. Valerius e classe sua miserat, efficiunt numerum triginta navium; hæ mox dicuntur ab Ostia Tarentum profectæ. Ed. — *Deductisque;* vide ad VIII, 26, n. 1.

3. *Pecunia ad class. tuendam*, etc.; vide inf. ad XXXIV, 6, n. 6. — *Ea per L. Apustium. Antistium* præferunt Cant. Lov. quinque. Harl. Ber. Gaertn. Id autem non displicet : Apustius enim Tarenti præerat militibus Varronianis; quomodo igitur pecuniam ex Sicilia Tarentum devexerit? Ed.

Cap. XXXIX. 1. *Ignarus de iis*, ut *inscius de verbis* ap. Plaut. Trin. I, 2, 178. Sed e MSS probabile fit, pro *de iis* leg. *rex*. — *Quæ cum Han. legatis convenissent;* conf. ad I, 3, n. 4.

2. *Heraclitus, cui Scotino cognomen erat*, verba ab aliena forte manu ad-

Scotino cognomen erat, et Crito Berœæus et Sositheus Magnes : hi prospere tulerunt ac retulerunt mandata. Sed prius se æstas circumegit, quam movere ac moliri quidquam rex posset : tantum navis una capta cum legatis momenti fecit ad dilationem imminentis Romanis belli. Et circa Capuam, transgresso Vulturnum Fabio post expiata tandem prodigia, ambo consules rem gerebant. Compulteriam [3], et Trebulam, et Saticulam, urbes, quæ ad Pœnum defecerant, Fabius vi cepit; præsidiaque in iis Hannibalis Campanique permulti capti. Et Nolæ, sicut priore anno [4], senatus Romanorum, plebs Hannibalis erat : consiliaque occulta de cæde principum et proditione urbis inibantur. Quibus ne incepta procederent, inter Capuam castraque Hannibalis, quæ in Tifatis erant [5], traducto exercitu, Fabius super Vesuvium in castris Claudianis consedit; inde M. Marcellum proconsulem cum iis copiis, quas habebat, Nolam in præsidium misit.

dita : nam verus ille Σκοτεινὸς multis ætatibus ante Philippum Demetrii filium vixit; nisi homo ineptus æmulatione prioris hoc sibi cognomen adscivit; Gronovius. Forte quia ab eo oriundus. — *Berœæus :* in plerisque edd. *Berræus*, in MSS vero *Bæsis, Bæusetis, Bæusotis, Boreusetis, Bæusotius*, et al., unde *Bromiscius* suspicari possis, vel cum Jac. Gronovio *Bottiæus*. Oppida Macedoniæ *Berœa, Bromiscus* et *Bottiæa*. Conf. ad XLII, 58, n. 1.

3. *Compulteriam* (al. *Combulteriam*) Holsten. nunc dici putat *S. Mariam de Covultere*. — *Trebulam;* vide ad cap. 14, n. 10.

4. *Nolæ, sicut priore anno* (vide cap. 14), *senatus Romanorum, plebs Hannibalis erat;* vide III, 36, n. 4, et XXI, 11, n. 1.

5. *Quæ in Tifatis erant;* confer ad cap. 36, n. 1. — *Super Vesuvium in castris Claudianis;* vide ad cap. 31, n. 3. — *Marcellum proconsulem.* Walchius, Emend. p. 96, tuetur antiquam lectionem *proprætorem*. Ita enim appellari virum, cui tamen sit jus proconsulare, non mirum videbitur ei, qui meminerit in his similibusque rebus usum obtinuisse ut a summa loquendi proprietate etiam optimi scriptores aliquantum remitterent. Ut sæpius igitur proconsules dictos legimus *consules;* qui essent proprætores, *prætores;* sic *proprætorum* et *proconsulum* permutantur appellationes, et proconsules vocantur *proprætores :* nam quum antiquitus *prætor* de quocumque diceretur, cui exercitus pareret, hinc causa patet cur dictator ex veteri lege, supra l. VII, c. 3, dicatur *prætor maxi-*

XL. Et in Sardinia res per T. Manlium [1] prætorem administrari cœptæ, quæ omissæ erant, postquam Q. Mucius prætor gravi morbo est implicitus. Manlius, navibus longis ad Carales subductis, navalibusque sociis armatis, ut terra rem gereret, et a prætore exercitu accepto, duo et viginti millia peditum, mille et ducentos equites confecit. Cum his equitum peditumque copiis profectus in agrum hostium, haud procul ab Hampsicoræ castris castra posuit : Hampsicora tum forte profectus erat in Pellitos Sardos [2], ad juventutem armandam, qua copias augeret. Filius ejus, nomine Hiostus, castris præerat : is, adolescentia ferox, temere prælio inito fusus fugatusque. Ad tria millia [3] Sardorum eo prælio cæsa, octingenti ferme vivi capti. Alius exercitus [4] primo per agros silvasque fuga palatus ; dein, quo ducem fugisse fama erat, ad urbem nomine Cornum, caput ejus regionis [5], confugit. Debellatumque eo prælio in Sardinia esset, ni classis punica cum duce Hasdrubale, quæ tempestate dejecta ad Baliares [6] erat,

*mus*, et Marcellus hic proprætor. Ed.

Cap. XL. 1. *Per T. Manlium prætorem;* vid. supra ad VI, 42, n. 7. — *Omissæ;* vide ad librum III, cap. 46, n. 7. — *Navibus longis* (vid. ad XXI, 17, n. 5) *ad Carales* (hod. *Cagliari*, seu *Calari*) *subductis* (vide ad VIII, 26, n. 1), *navalibusque sociis armatis;* vide ad IX, 38, n. 1.

2. *In Pellitos Sardos* (ita optimi MSS, non *Pellidos*, ut edd. ante Drak.), qui vel more barbarorum, vel potius, quod montana incolerent loca, frigoris arcendi causa pellibus et mastrucis, h. e. villosis musmonum seu arietum pellibus, utebantur : unde etiam *pelliti testes*, et *mastrucati latrunculi* dicuntur Ciceroni in Fragm. orat. pro Scauro, et de Prov. cons. cap. 7. Conf. Ern. Clav. Cic.; Cluveri Sard. Ant. p. 487; Duk. et Salmas. ad Flor. II, 6, 35; Hard. ad Plin. XXXIII, 12, seu 50; Intpp. Anton. Itin. p. 78; Crev. Ep. 3 ad Hard. de ejus ed. Plin. et ad hæc et seqq. (c. 40 et 41); Sil. XII, 342-419, ubi *Hampsicoræ* vel Hampsagoræ (vide ad cap. 32, n. 5) filius *Hostus*, non *Hiostus*, dicitur.

3. *Ad tria millia Sardorum*, etc. In edd. ante Grut. *ad XXX millia... cæsa, trecenti* vel *mille trecenti*, etc.

4. *Alius exercitus*, reliquus; vid. ad IV, 10, n. 2.

5. *Cornus, caput ejus regionis*, Pellitorum Sardorum, hod. *Corneto*, haud procul a mari, ad Termum flumen.

6. *Tempestate dejecta ad Baliares;* vide ad XXI, 21, n. 7, et XXI, 49,

in tempore ad spem rebellandi advenisset. Manlius post famam appulsæ punicæ classis, Carales se recepit : ea occasio Hampsicoræ data Pœno se jungendi. Hasdrubal, copiis in terram expositis, et classe remissa Carthaginem, duce Hampsicora ad sociorum populi romani agrum populandum profectus, Carales perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primo castra castris modico intervallo sunt objecta, deinde procursationes leviaque certamina vario eventu inita : postremo descensum in aciem, signisque collatis, justo prælio per quatuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Pœni, Sardis facile vinci assuetis, fecerunt : postremo et ipsi, quum omnia circa strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi : cæterum terga dantes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus. Cædes inde magis, quam pugna, fuit : duodecim millia hostium cæsa Sardorum simul Pœnorumque, ferme tria millia et septingenti capti, et signa militaria septem et viginti.

XLI. Ante omnia claram et memorabilem pugnam fecit Hasdrubal imperator captus, et Hanno, et Mago, nobiles Carthaginienses : Mago ex gente Barcina, propinqua cognatione Hannibali junctus ; Hanno auctor rebellionis Sardis, bellique ejus haud dubie concitor. Nec Sardorum duces minus nobilem eam pugnam cladibus suis fecerunt : nam et filius Hampsicoræ Hiostus in acie cecidit ; et Hampsicora, cum paucis equitibus fugiens, ut super afflictas res necem quoque filii audivit, nocte, ne cujus interventus cœpta impediret, mortem sibi conscivit. Cæteris urbs Cornus eadem, quæ ante, fugæ receptaculum fuit. Quam Manlius,

n. 3. — *In tempore*, opportune (vide ad II, 47, n. 4), *ad spem rebellandi* (vide ad II, 42, n. 2) refovendam *advenisset*. *Ad spem* pro : quoad spem; Stroth. Cf. supra ad librum IX, cap. 16, n. 9.

victore exercitu aggressus, intra paucos dies[1] recepit. Deinde aliæ quoque civitates, quæ ad Hampsicoram Pœnosque defecerant, obsidibus datis, dediderunt sese. Quibus stipendio frumentoque imperato, pro cujusque, aut viribus, aut delicto, Carales exercitum reduxit. Ibi navibus longis deductis[2], impositoque, quem secum advexerat, milite, Romam navigat, Sardiniamque perdomitam nuntiat Patribus: et stipendium quæstoribus, frumentum ædilibus, captivosque Fulvio prætori tradidit. Per idem tempus T. Otacilius prætor[3], quinquaginta navium ab Lilybæo classe in Africam transvectus, depopulatusque agrum carthaginiensem, quum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Hasdrubalem a Baliaribus nuper trajecisse, classi Africam repetenti occurrit, levique certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navalibus cepit: cæteras metus haud secus, quam tempestas, passim disjecit. Per eosdem forte dies et Bomilcar[4] cum militibus, ad supplementum Carthagine missis, elephantisque et commeatu, Locros accessit. Quem ut incautum opprimeret Ap. Claudius per simulationem provinciæ circumeundæ Messanam raptim exercitu ducto, æstu suo Locros trajecit[5]. Jam inde Bomilcar ad Hannonem in Bruttios profectus erat, et Locrenses portas Romanis clauserunt. Appius magno conatu nulla re gesta,

Cap. XLI. 1. *Intra paucos dies recepit;* vide ad III, 29, n. 1.

2. *Navibus longis deductis;* vide ad VIII, 26, n. 1, et XXI, 17, n. 5.

3. *T. Otacilius prætor;* vide ad VI, 42, n. 7. Voces *L navium* a 6 MSS exsulare, et forte ex cap. 38 ad marginem adscripta fuisse, monet Drak.

4. *Bomilcar cum militibus*, etc. Cf. cap. 13 extr., unde etiam in edd. ante Drak. mox numerus additus elephantorum (*quadragintaque elephantis*), quem MSS non habent.

5. *Æstu suo Locros trajecit;* vide ad I, 56, n. 10. *Æstu secundo* edd. ante Drak. (ut *mari secundo* XXIX, 7 pr.), sed e glossa. In MSS tamen plerisque est *æstuque suo*, unde J. Fr. Gron. conj. *exercitum duxit, æstuque suo Locros trajecit*, et Jac. Gron. *æstu quæsito*, h. e. exspectato, donec æstus illuc ferret, impetrato, quem exspe-

Messanam repetit. Eadem æstate Marcellus ab Nola, quam præsidio obtinebat, crebras excursiones in agrum hirpinum et Samnites Caudinos fecit : adeoque omnia ferro atque igni vastavit, ut antiquarum cladium Samnio memoriam renovaret.

XLII. Itaque extemplo legati, ad Hannibalem missi simul ex utraque gente, ita Pœnum alloquuti sunt : « Hostes populi romani, Hannibal, fuimus primum per « nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari « poterant. Postquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi « nos adjunximus; a quo relicti pacem necessariam ac- « cepimus [1], fuimusque in ea per annos prope quin- « quaginta, ad id tempus, quo in Italiam venisti. Tua « nos non magis virtus fortunaque, quam unica co- « mitas [2] ac benignitas erga cives nostros, quos captos « nobis remisisti, ita conciliavit tibi, ut, te salvo atque « incolumi amico, non modo populum romanum, sed « ne deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At, « hercule, non solum incolumi ac victore, sed præ- « sente te, quum ploratum prope conjugum ac libe- « rorum nostrorum exaudire, et flagrantia tecta posses « conspicere, ita sumus aliquoties hac æstate devastati, « ut M. Marcellus, non Hannibal, vicisse ad Cannas vi- « deatur; glorienturque Romani, te, ad unum modo

ctabat, æstu, ut *quærere* XXV, 23; XXX, 16; et ἐπιτηρεῖν apud Polyb. Conf. ad I, 14, n. 5.

Cap. XLII. 1. *Pacem necessariam accepimus* an. Urb. 480. — *Ad id tempus, quo in Italiam venisti*, an. U. 534. Hinc h. l. legendum videri *per annos prope LX*, jam monuit Sigon., idque eo probabilius esse, quum a legatis omnia oratorie in majus ornentur, ut mox : *per centum prope annos cum populo rom. bellum gessimus*, etc. Nam bellum illud fuit ab an. Urb. 412-480, adeoque *per annos prope LXX*, ut recte dicitur XXXI, 31.

2. *Unica comitas;* vide ad I, 21, n. 3. — *Non modo populum rom., sed ne deos quidem*, et mox *non solum incolumi, sed præsente te;* vide ad I, 40, n. 1. — *Quum ploratum prope conjugum*, etc., plerique MSS et edd. ante Drak. qui dedit : *præsente te (comploratum prope... conspicere), ita sumus*, etc. Livius amat quidem

« ictum vigentem, velut aculeo emisso, torpere[3]. Per « centum prope annos[4] cum populo romano bellum « gessimus, nullo externo adjuti nec duce, nec exer- « citu : nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis « milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defen- « dit. Non ego secundis rebus nostris gloriabor, duos « consules, ac duos consulares exercitus a nobis sub « jugum missos[5], et si qua alia aut læta aut gloriosa « nobis evenerunt. Quæ aspera adversaque tunc acci- « derunt, minore indignatione referre possumus, quam « quæ hodie eveniunt. Magni dictatores cum magistris « equitum, bini consules cum binis consularibus exer- « citibus ingrediebantur fines nostros; ante explorato « et subsidiis positis, et sub signis ad populandum du- « cebant. Nunc proprii unius et parvi ad tuendam No- « lam præsidii[6] præda sumus. Jam ne manipulatim qui-

ejusmodi parentheses : sed ita potius dixisset *poteras conspicere*, quam *posses conspicere*.

3. *Te ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo* (perperam *jaculo* edd. ante Gron.) *emisso : torpere*, venusta metaphora, ab apibus desumpta, qua etiam usi sunt, a Gron. jam laudati, Curt. IV, 14, n. 13; Cic. p. Flacco 17, et Plut. in Pericle, pag. 171. Locum Platonis addit Victor. var. lect. III, 16. Malim tamen *amisso aculeo*, ut apud Curt. loco laudato in omnibus libris legitur. Cæterum alii olim putabant, aculeis infixis amissisque apes statim mori, alii vero, eas ita fucos fieri et torpere, pariterque et nocere et prodesse desinere; vide Plin. XI, 18, seu 19; Aristot. H. A. III, 10; IX, 64; Virg. Georg. IV, 236 seq.; Sen. de Clem. I, 19.

4. *Per centum prope annos*, etc. Confer not. 1. — *Non ego s. r. n. gloriabor;* nam unus legatorum loquitur, sed nomine utriusque gentis, præcipue Samnitium.

5. *Duos consules... sub jugum missos;* vide IX, 1 seq. — *Ante explorato;* vide ad I, 41, n. 10. — *Subsidiis positis;* vide ad II, 20, n. 2. — *Sub signis ad populandum ducebant;* vide ad I, 23, n. 4, et XXIX, 3, n. 2.

6. *Nunc proprii unius et parvi.... præsidii*, quod uni tantum urbi tuendæ subficit, et *proprium* vel destinatum est; Jac. Gron. Antea in edd. *prope* pro *proprii*, et recte forsan, legebatur. Cæterum contemptim hæc dicta de exercitu Marcelli.—Walchius, Emend. pag. 92 sqq. impugnat *proprii* his verbis : « Itane vero probaverit accuratæ vir doctrinæ (Drak.) lectionem, quæ ne latina quidem est? Nam hoc quidem non intelligi potest, *nunc proprii unius*, etc. et quilibet videt, ut locus sit *proprii* opus esse addito nomine, *nunc proprii unius urbis præsidii et parvi*, etc. » Quare quum aliud

« dem[7], sed latronum modo, percursant totis finibus « nostris negligentius, quam si in romano vagarentur « agro. Causa autem hæc est, quod neque tu defendis, « et nostra juventus, quæ, si domi esset, tutaretur, « omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec exercitum « tuum norim, nisi, a quo tot romanas acies fusas « stratasque esse sciam, ei facile esse ducam opprimere « populatores nostros vagos, sine signis, palatos, quo « quemque trahit, quamvis vana, prædæ spes. Numi- « darum paucorum illi quidem præda erunt, præsi- « diumque missum nobis et Nolæ ademeris[8], si modo, « quos, ut socios haberes, dignos duxisti, haud indi- « gnos judicas, quos in fidem receptos tuearis. »

XLIII. Ad ea Hannibal respondit: *Omnia simul facere Hirpinos Samnitesque; et indicare clades suas, et petere præsidium, et queri indefensos se neglectosque. Indicandum autem fuisse primum*[1], *dein petendum*

quærendum sit, scribendum putat *proprætoris unius;* de quo voc. vide supra ad c. 39, n. 5. Cum Walchio in voc. *proprætoris* consentit Büttner, Observ. p. 64 sq. Ed.

7. *Ne manipulatim quidem* structa acie, ut VIII, 8, vel potius ut *instructo agmine* II, 49, et *agmine ire* XXXVII, 13. Conf. Schel. ad Polyb. cap. 9.

8. *Præsidiumque missum* (a Romanis) *nobis et Nolæ ademeris:* ita omnes fere MSS et edd. nisi quod Mogunt. et cæt. ante Drak. post *nobis* perperam *erit* inseruere, et Drak. reposuit *ademerit*, prob. Doer., ut sensus sit: *et præsidium*, quod *nobis miseris, et*, etiam, *Nolæ ademerit*, sc. præsidium, h. e. Nolam simul a præsidio, quod nunc hanc urbem tenet, liberaverit. Idem vir doctus conj. *p. m. et nobis et Nolæ aderit*, h. e. opem feret. Neutrum mihi arridet, et cum Strothio restitui *ademeris:* sed, quod lectio optimi cod. Put. *præsidiumque simul nobis* firmare videtur, reponere malim: *præsidiumque* (scil. illud, de quo vid. n. 6, cui Marcellus præerat, quodque et Nolam tenebat, et Samnitium agros populabatur) *simul nobis et Nolæ*, vel Nolanis *ademeris*, eo et nos et Nolanos liberaveris. Dukerus monet, in vulg. scriptura non ineptam esse sententiam: duas res effeceris, et præsidium nobis a te missum erit, et ab eo cæsis populatoribus agri nostri, qui paucorum Numidarum præda erunt, Nolæ præsidium ademeris. Sed ulcus latere, ex varietate scripturæ colligit. — Walchius, Emend. pag. 97, hunc locum illustrare conatus, ita sanandum arbitratur: *præsidiumque immissum nobis et Nolæ ademeris.* Ed.

Cap. XLIII. 1. *Indicandum autem*

*præsidium; postremo, ni impetraretur, tum denique querendum, frustra opem imploratam. Exercitum sese non in agrum hirpinum samnitemve, ne et ipse oneri esset, sed in proxima loca sociorum populi romani adducturum. Iis populandis et militem suum repleturum se, et metu procul ab iis submoturum hostes. Quod ad bellum romanum attineret, si Trasimeni quam Trebiæ, si Cannarum quam Trasimeni pugna nobilior esset; Cannarum se quoque memoriam obscuram majore et clariore victoria facturum.* Cum hoc responso muneribusque amplis legatos dimisit. Ipse, præsidio modico relicto in Tifatis, profectus cætero exercitu[2] ire Nolam pergit. Eodem Hanno ex Bruttiis[3], cum supplemento Carthagine advecto atque elephantis, venit. Castris haud procul positis, longe alia omnia inquirenti comperta sunt, quam quæ a legatis sociorum audierat: nihil enim Marcellus ita gerebat, ut aut fortunæ, aut temere hosti commissum dici posset. Explorato[4], cum firmisque præsidiis, tuto receptu, prædatum ierat; omniaque, velut adversus præsentem Hannibalem, cauta provisaque fuerunt. Tum, ubi sensit hostem adventare, copias intra mœnia tenuit: per muros inambulare senatores nolanos jussit, et omnia circa explorare, quæ apud hostes fierent. Ex iis Hanno, quum ad murum successisset, Herennium Bassum et Herium Pettium[5], ad colloquium evocatos, permissuque Marcelli egressos, per interpretem alloquitur. Hannibalis virtutem fortunamque extollit: populi romani obterit

*fuisse primum*, sc. quas clades accepissent. Sed forte legendum: *Indicandam cladem fuisse primum.*

2. *Profectus cætero exercitu;* vide ad I, 14, n. 4.

3. *Hanno ex Bruttiis*, etc. Confer cap. 37.

4. *Explorato;* vide ad I, 41, n. 10. — *Tuto receptu;* ita ut receptus ejus esset tutus, ut tuto se recipere posset. Conf. ad XXII, 12, n. 9. — *Fuerunt:* immo *fuerant;* Crev.

5. *Herium Pettium* MSS. *Petrium* edd. antt.

senescentem cum viribus majestatem[6]. *Quæ si paria essent, ut quondam fuissent, tamen expertis, quam grave romanum imperium sociis, quanta indulgentia Hannibalis etiam in captivos omnes italici nominis fuisset, punicam romanæ societatem atque amicitiam præoptandam esse. Si ambo consules cum suis exercitibus ad Nolam essent, tamen non magis pares Hannibali futuros, quam ad Cannas fuissent: nedum prætor unus, cum paucis et novis militibus, Nolam tutari possit. Ipsorum, quam Hannibalis, interesse*[7], *capta an tradita Nola potiretur. Potiturum enim, ut Capua Nuceriaque potitus esset: sed, quid inter Capuæ Nuceriæque fortunam interesset, ipsos prope in medio sitos Nolanos scire. Nolle ominari, quæ captæ urbi*[8] *cessura forent: sed potius spondere, si Marcellum cum præsidio ac Nolam tradidissent, neminem alium, quam ipsos, legem, qua in societatem amicitiamque Hannibalis venirent, dicturum.*

XLIV. Ad ea Herennius Bassus respondit: *Multos annos jam inter romanum nolanumque populum amicitiam esse, cujus neutros ad eam diem pœnitere; et sibi si cum fortuna mutanda fides fuerat*[1], *sero jam esse mutare eam. Dedituris se Hannibali non fuisse arcessendum romanum præsidium: cum iis, qui ad*

6. *Populi rom. obterit senescentem* (vide ad I, 22, n. 3) *cum viribus majestatem*, h. e. imminuit, elevat, deprimit (unde opponitur τῷ *extollit*), ut XXIV, 15; apud Cic. Verr. V, 1, et Div. I, 16. Similiter *deterere* et *atterere*. Junguntur etiam *obterere* et *calcare libertatem* et majestatem XXXIV, 2, n. 2, h. e. spernere, prop. insultare, ut πατεῖν, quæ dictio petita est a victore, hostem devictum jacentemque calcante; vide ad Sil. III, 85; VI, 550, et ad Juvenalem, sat. X, vers. 86.

7. *Ipsorum, quam Hannib., interesse:* in edd. a Mogunt. ad Gronov., non in primis, et in MSS *magis* ante *quam* insertum. Sed vide ad I, 25, n. 11. — *Quid inter Capuæ*, sponte traditæ, *Nuceriæque*, captæ ac fame ad deditionem compulsæ, *fortunam interesset;* vide cap. 7 pr. et 15.

8. *Captæ urbi cessura*, eventura.

Cap. XLIV. 1. *Mutanda fid. fuerat*, forte *fuerit*, *serum*, etc.; Gronovius.

*se tuendos venissent, omnia sibi et esse consociata, et ad ultimum fore.* Hoc colloquium abstulit spem Hannibali per proditionem recipiendæ Nolæ : itaque oppidum corona circumdedit, ut simul ab omni parte mœnia aggrederetur. Quem ut successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie, cum magno tumultu erupit : aliquot primo impetu perculsi cæsique sunt; dein, concursu ad pugnantes facto, æquatisque viribus, atrox cœpit esse pugna. Memorabilisque inter paucas fuisset, ni ingentibus procellis effusus imber diremisset pugnantes. Eo die, commisso modico certamine, atque irritatis animis, in urbem Romani, Pœni in castra sese receperunt : tamen Pœnorum prima eruptione perculsi ceciderunt haud plus quam triginta, Romanorum nullus. Imber continens[2] per noctem totam usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit : itaque, quanquam utraque pars avidi certaminis erant[3], eo die tenuerunt sese tamen munimentis. Tertio die, Hannibal partem copiarum prædatum in agrum nolanum misit. Quod ubi animadvertit Marcellus, extemplo in aciem copias eduxit : neque Hannibal detrectavit. Mille fere passuum inter urbem erant castraque : eo spatio (et sunt omnia campi circa Nolam[4]) concurre-

— *Recipiendæ Nolæ.* Primus Aldus dedit *recipiendæ,* quum priores edd. *accipiendæ* exhiberent. Hoc mallet Glareanus, quia Hannibal, ea nunquam antea potitus, amissam recipere non poterat. Sed, ut notat Drakenb. ad hunc Justini locum V, 4 : « Victor recipit civitates quæ defecerant, nonnullas capit, etc. », male Glareanus credidit, *recipere* semper poni pro iterum accipere, quum sæpe pro simplici *capere* usurpetur. Ed. — *Oppidum corona circ.;* vide II, 17, n. 3.

2. *Imber continens,* continuus,... *tenuit;* vid. ad II, 3, n. 6. Verba præc. ita emendavit Gron. *haud plus quam trecenti, Romani* vel *Romanorum quinquaginta.* Vox *nullus* abest ab optimis MSS, et Put. habet *Romani Liber,* h. e. *Romani L. Imber,* etc.

3. *Utraque pars avidi c. erant;* vide ad I, 41, n. 1. Mox *educit* solus Drak. nulla addita librorum auctoritate; Str. — *Mille fere passuum inter urbem erant castraque,* forte *passus* aut *erat,* nisi cum Gronovio subintelligendum putes *campi;* Ern.

4. *Et sunt omnia campi circa No-*

runt. Clamor, ex parte utraque sublatus, proximos ex cohortibus iis, quæ in agros prædatum exierant, ad prælium jam commissum revocavit. Et Nolani aciem romanam auxerunt : quos collaudatos Marcellus in subsidiis stare, et saucios ex acie efferre jussit; pugna abstinere, ni ab se signum accepissent.

XLV. Prælium erat anceps : summa vi et duces hortabantur, et milites pugnabant. Marcellus victis ante diem tertium, fugatis ante paucos dies a Cumis, pulsis priore anno ab Nola ab eodem se duce, milite alio, instare jubet. *Non omnes esse in acie; prædantes vagari in agro : sed, qui pugnent, marcere campana luxuria*[1], *vino, et scortis, omnibusque lustris per totam hiemem confectos. Abisse illam vim vigoremque, dilapsa esse robora corporum*[2] *animorumque, quibus Pyrenæi Alpiumque superata sint juga; reliquias illorum virorum, vix arma membraque sustinentes, pugnare : Capuam Hannibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri exstinctam.* Quum hæc exprobrando hosti Marcellus suorum militum animos erigeret, Hannibal multo gravioribus probris increpabat[3] : *Arma signaque eadem se noscere, quæ ad*

*lam;* nos : *es war aber alles um Nola herum flaches Land;* Doering. Sic τὸ *et* passim pro *sed* (ut XXXV, 38; XLIV, 16, 26 al., nisi *at* legend.) vel *nam* ponitur, inpr. in parenthesibus, ut h. l. XXIV, 7, n. 3; XXIX, 23, et sæpissime apud Tacitum; vide ad Tac. Ann. I, 13, n. 6.

Cap. XLV. 1. *Marcere campana luxuria*, ut *marcescere* XXVIII, 35; XXXIII, 45; XXXV, 35. Nobis *erschlaffen;* Stroth. Cf. ad Tac. Annal. VI, 4, n. 7.—*Vino omnibusque lustris confectos* (vide ad V, 10, n. 6), ut ap. Cic. Phil. II, 3. *Lustra* sunt latebræ, ubi, qui in Veneris palæstra se exercent, velut feræ in locis deviis, delitescunt; *tenebræ* apud Catull. LV, 2, et *loca latebrosa* apud Plaut. Bacch. III, 3, 20 (ubi *lustrari* homines dicit Pseud. IV, 7, 6, et Cas. II, 3, 29), h. l. libido, quæ ibi exercetur; Doer. Conf. Festus.

2. *Dilapsa esse robora corporum;* vide ad VII, 29, n. 3.

3. *Gravior. pr. increpabat;* vide ad III, 3, n. 1. — Quidam inserunt voc. *suos*. Ed.

*Trebiam Trasimenumque, postremo ad Cannas viderit habueritque. Militem alium profecto se in hiberna Capuam duxisse, alium inde eduxisse.* « Legatumne « romanum, et legionis unius atque alæ[4] magno certa« mine vix toleratis pugnam, quos binæ acies consu« lares nunquam sustinuerunt? Marcellus, tirone milite « ac nolanis subsidiis, inultus nos jam iterum lacessit? « Ubi ille meus miles est, qui erepto ex equo C. Fla« minio consuli caput abstulit? ubi, qui L. Paulum ad « Cannas occidit? Ferrum nunc hebet? an dextræ tor« pent? an quid prodigii est aliud? Qui pauci plures « vincere soliti estis, nunc paucis plures vix restatis[5]. « Romam vos expugnaturos, si quis duceret, fortes « lingua[6], jactabatis. Enim minor est res; hic experiri « vim virtutemque volo : expugnate Nolam, campe« strem urbem[7], non flumine, non mari septam. Hinc « vos ex tam opulenta urbe præda spoliisque onustos « vel ducam, quo voletis, vel sequar. »

4. *Legionis unius atque alæ;* vide ad X, 40, n. 7, et XXV, 21, n. 4. — Sigonius dat, *legatine rom. et legionis;* cui assentiuntur pauci, et fere pejoris notæ codd. Recte igitur nullus editorum eum secutus est. Ed. — *Tirone milite;* vide ad I, 14, n. 4. — *Inultus nos jam iterum lacessit,* nos, qui primam cladem, ad Nolam eamdem acceptam (vid. cap. 16), nondum ulti sumus. — *Erepto ex equo,* « suspicari possis *derepto*, i. e. detracto: sed conf. Heins. ad Ovid. Met. III, 52. » Duk.

5. *Paucis plures vix restatis;* vide ad IV, 58, n. 5.

6. *Fortes lingua,* non manu, *jactabatis,* gloriabamini. — In multis legere est *fortes linguam.* Livius tamen similes locutiones minus affectavit, et hinc, invitis optimis codd. ei obtrudendas non existimat Drak. Ed. — *Enim minor est res;* ita antt. edd. et optimi MSS. Alii *quum minor* et *etenim minor:* edd. Vallæ et cæteræ ante Str. *En nunc minor est res;* vide ad III, 39, n. 8. Sententia est: scilicet minor ista res est, nempe Romam capere; ut sæpius apud Plautum, v. c. Most. V, 2, 22. *Enim* ab initio et plerumque ironiæ causa ponitur; Stroth. Immo: Jam vero minoris negotii est res, Nola tantum, non Roma expugnanda est; Doer. Conf. infra ad XXXIV, 32, n. 10, ubi *Enim* pro vulg. *At enim* in omnibus MSS legitur, et Gronov. pluribus Plauti exemplis probavit, particulam *enim* interdum a fronte orationis induere vim adversativæ, et eadem vi poni, qua junctim alias *at enim* vel *sed enim.*

7. *Camp. urb.;* v. XXXVI, 10, n. 3.

XLVI. Nec bene, nec male dicta profuerunt ad confirmandos animos. Quum omni parte pellerentur, Romanisque crescerent animi, non duce solum adhortante, sed Nolanis etiam per clamorem, favoris indicem, accendentibus ardorem pugnæ; terga Pœni dederunt, atque in castra compulsi sunt: quæ oppugnare cupientes milites romanos Marcellus Nolam reduxit, cum magno gaudio et gratulatione etiam plebis, quæ ante inclinatior ad Pœnos fuerat. Hostium plus [1] quinque millia cæsa eo die, vivi capti sexcenti, et signa militaria undeviginti, et duo elephanti: quatuor in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti. Posterum diem, induciis tacitis, sepeliendo utrimque cæsos in acie, consumpserunt. Spolia hostium Marcellus, Vulcano votum, cremavit. Tertio post die (ob iram credo aliquam, aut spem liberalioris [2] militiæ) mille ducenti septuaginta duo equites, mixti Numidæ Hispanique, ad Marcellum transfugerunt: eorum forti fidelique opera in eo bello usi sunt sæpe Romani. Ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum, virtutis causa, datus est. Hannibal, ab Nola remisso in Bruttios Hannone, cum quibus venerat copiis, ipse Apuliæ hiberna petit, circaque Arpos consedit. Q. Fabius, ut profectum in Apuliam Hannibalem audivit, frumento ab Nola Neapolique in ea castra convecto,

Cap. XLVI. 1. *Hostium plus* quam (vide ad IV, 52, n. 6) *quinque millia ... quatuor* elephanti *in acie occisi;* ita et Plutarch. in Marcello, p. 304. — *Vulcano votum* quod fuerat; nisi leg. *vota.*

2. *Liberalioris militiæ,* plura spondentis commoda. *Liberale* opponitur necessario et parco: unde *liberalior victus* XLI, 2 ext. — *Mille CCLXXII equites,* apud Plutarchum, loc. laud. ὑπὲρ τοὺς τριακοσίους· nisi χιλίους post τοὺς excidit; Sigon. Mox ante *datus est* in omnibus editionibus, præter Str., inserta vox *latus,* quam delevi, quia a MS Put. duobusque aliis abest, et Livio talis κακοφωνία (*latus datus*) haud obtrudenda videtur. In reliquis MSS pro *latus* legitur *locus,* quod restitutum a Str. sed ab h. l. alienum est. Judice Doer. leg. *latus* (acceptus) *est,* et ejiciendum τὸ *datus,*

quæ super Suessulam[3] erant, munimentisque firmatis, et præsidio, quod per hiberna ad tutandum locum satis esset, relicto, ipse Capuam propius movit castra, agrumque campanum ferro ignique est depopulatus: donec coacti sunt Campani, nihil admodum viribus suis fidentes[4], egredi portis, et castra ante urbem in aperto communire. Sex millia armatorum habebant, peditem imbellem; equitatu plus poterant: itaque equestribus præliis lacessebant hostem. Inter multos nobiles equites campanos Cerrinus Jubellius[5] erat, cognomine Taurea: civis indidem erat, longe omnium Campanorum fortissimus eques; adeo ut, quum apud Romanos militaret, unus eum Romanus Claudius Asellus gloria equestri æquaret. Hunc Taurea quum diu perlustrans oculis[6] obequitasset hostium turmis, tandem facto silentio, *ubi esset Claudius Asellus*, quæsivit, *et, quoniam verbis secum de virtute ambigere*

tanquam interpretamentum τοῦ *latus*. — Nihil movet quod Lips. donandi formulam referat *latum donum*. Ed.

3. *Quæ super Suessulam erant;* v. ad cap. 31, n. 3. Mox optimi MSS *petendum* pro *tutandum;* unde *tenendum* conj. Gron. — Quod conjectura præcipit Gronovius, *tenendum*, legere est in uno e nostris cod., et hanc veram quoque lectionem Creverius putat. Ed.

4. *Nihil admodum viribus suis fidentes;* vid. XXI, 36, n. 3. — *In aperto;* vide ad XXI, 32, n. 7. — *Plus poterant;* vide ad V, 33, n. 3.

5. *Cerrinus Jubellius;* ita MSS vel *Cerrinius* (non *acerrimus*, ut edd. antt.), gens nobilis Capuæ; Gronov. Conf. XXXIX, 13, 17, 19. De ipso vid. etiam c. 8, et de ejus atque *Claudii Aselli* certamine cf. App. B. Hann. 37, et Sil. XIII, 142 sq. — *Indidem* prop. græce αὐτόθεν (vel ἐντεῦθεν) ut XXV, 15; XXVII, 12, 25; XXVIII, 1; XXXIX, 12; h. l. ex eadem hac gente oriundus civitatem roman. adeptus, seu *civis* romanus erat; Stroth. Conf. Drakenb. ad XXV, 15. Malim legere: *civis idem romanus*, vel *erat romanus*, ut litera *R* (Romanus) exciderit.

6. *Hunc Taurea oculis perlustrans*, ubique quærens, circumlatis in omnes partes oculis; Duk. Ern. et Doering. Durior est Strothii et Creverii ratio, qui putabant τὸ *hunc* jungendum esse verbo *quæsivit*, et ex hoc ad verba *ubi esset Cl. Asellus* repetendum *rogitans*, ad *perlustrans oculis* intell. ex seqq. *hostium turmas*. Idem vero jam monuit, non plane negligendam esse lectionem plurimorum, quamvis non optimorum, MSS et edd. ante Ald. *Hic Taurea*.

*solitus esset, cur non ferro decerneret; daretque opima spolia*[7] *victus, aut victor caperet?*

XLVII. Hæc ubi Asello nuntiata sunt in castra, id modo moratus, ut consulem percunctaretur, liceretne extra ordinem in provocantem hostem pugnare, permissu ejus arma extemplo cepit: provectusque ante stationes equo, Tauream nomine compellavit, congredique, ubi vellet, jussit. Jam Romani ad spectaculum pugnæ ejus frequentes exierant: et Campani non vallum modo castrorum, sed mœnia etiam urbis prospectantes repleverant. Quum jam ante ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis[1] concitarunt equos: dein libero spatio inter se ludificantes, sine vulnere pugnam extrahebant. Tum Campanus Romano, « Equorum, inquit, hoc, non equitum, erit « certamen, nisi e campo in cavam hanc viam demit- « timus equos: ibi nullo ad evagandum spatio comi- « nus conserentur manus. » Dicto prope citius equum in viam Claudius dejecit. Taurea, verbis ferocior, quam re, « Minime, sis[2], inquit, cantherium in fossam »:

7. *Daretque opima spolia*, etc.; v. ad I, 10, n. 3. — Walchius, Emend. p. 139, hæc adnotat: « Ut concedam Drak. *perlustrare*, pro *quærere*, apud poetas occurrere quarto casui junctum, quocum non occurrit apud prosæ orationis scriptores, neque sic tamen dubitationi est exemptus locus. » Mox adjicit: « Ipsa Livii conjungendi ratio ad hanc nos ducit emendat. *Tunc Taurea*, etc. »; particulamque multis Livii locis congestis defendit. Ed.

Cap. XLVII. 1. *Infestis hastis*; vide ad I, 13, n. 2. — *Pugnam extrahebant*; vide ad II, 61, n. 6, et IV, 43, n. 6. Mox *equum in viam demittere* et *dejicere* synonyma. Conf. Gron.

2. *Minime, sis*, si placet, *sis* contr. pro *si vis*, usitatum in colloquio et sermone vulgari apud Plaut. et alios, ut *parce, sis* XXXIV, 32 extr. *abi sis, apage sis, cave sis, accipe sis*, vel *sodes* pro *si audes*; v. Cic. Or. 45. (Gallice famil. sermone, *non pas, s'il vous plaît*. Ed.) *Cantherium*, equum meum, scil. dejiciam, *in fossam* (ita plerique optimique MSS, et edd. vett., non, quod vulgo editum, *fossa*), h. e. in viam adeo cavam, ut pro fossa habenda sit; unde verendum mihi, ut eum rursus extraham: *quæ vox*, dictio, non jam tum fuit proverbium, sed *inde* demum, quod in plerisque proverbiis factum, *in rusticum proverbium prodita*, edita vel vulgata est (nisi leg. *prodiit*, abiit), de malo in-

quæ vox in rusticum inde proverbium prodita. Claudius, quum ea via longe perequitasset, nullo obvio hoste in campum rursum evectus, increpans ignaviam hostis, cum magno gaudio et gratulatione victor in castra redit. Huic pugnæ equestri rem (quam vera sit, communis existimatio est[3]) mirabilem certe, adji-

extricabili eoque vitando; Strothius. *Dejice* potius subintell. esse, satis τὸ *sis* docet; et videtur Taurea periculi, a quo Claudius sibi caveret, admonitione *rei*, h. e. ipsi certamini, callide se subduxisse, acclamans ei: cave, quæso, ne in fossam dejicias; quo deinde dicto fortasse usi sunt rustici, equites de periculo, a quo sibi caverent, admonituri; Doer. Hæc probabiliora sunt, quam quæ Erasmus Chil. I, Adag. cent. 6, 21, et alii disputarunt, qui *fossa* legunt, et τὸ *sis* pro conj. præs. verbi *esse* accipiunt, vel, ut Scheller. in Lex. lat., conjiciunt *siris*, i. e. siveris, sinas. Nota Gron. est hæc: « Κανθήλιος, gr., asinus, et τὰ κανθήλια, clitellæ. Inde lat. *cantherius* equus castratus (et hinc forte vilior, ut nostrum *Mähre, Schindmähre,* apud Plaut. Aulul. III, 5, 20, et al. non vero, quod Stroth. putabat, miser et afflictus equus, quem Taurea quasi misericordia affectus ita appellaverit): et *cantherius* vel *cantherium* adminiculum, seu pedamentum vitium instar furcæ et patibuli humilioris, quod figebatur in fossa, et cui applicabantur imponebanturque teneræ vites (v. Colum. IV, 12, 14; Plin. XVII, 21). Hinc sententia h. l. est: ne sinas alios ex, seu de te crescere, ut vitis crescit supra cantherium, vel eo stante et adminiculante. Id quadrat in omnes, qui suo damno alienas opes alunt, et extollunt, qui ipsos olim sint oppressuri. Sic *cantherium in fossa* Pompeius fuit Cæsari, et Antonius Lepidusque Octavio. Sed quia *cantherius* etiam genus equi est, *via* autem *cava* propter altiorem utrimque campum vel agrum instar *fossæ;* illudens forte Taurea, postquam Claudius equum egerat in viam cavam: *en*, inquit, *cantherium in* fossa, vel, *Hoc possis vere dicere canth. in fossa, quod ego me esse nolo.* Quod quidem dictum nullam aliam tum temporis vim habebat, quam ut invidiam ignavi turpisque discessus dicenti minueret, ut solebant soleatque hodie homines pudorem suum ridiculo aliquo explicare. » *Minime. Scis, inquit, cantherium in fossa* (h. e. fabulam antiquam de cantherio in fossa, sive via cava) conj. Scheff. de Re vehic. II, 2. Tauream in cognomen adversarii, Claudii *Aselli*, lusisse suspicabatur Creverius. Contra κανθήλιον quidem Græcis, non vero *cantherium* Latinis asinum dici, monet Drak. — Mox (in) *ea via* pro *ex via* edidi cum Stroth. ex emend. Perizon. De solenni vocum *ea* et *ex*, literarumque *A* et *X* permutatione, vid. Stroth. ad XXIII, 48, et Drak. ad XL, 59 fin. — *Quæ vox in rusticum.* Haud immerito credere videtur Gronovius hoc proverbium jam antiquitus receptum fuisse, neque ab hoc Taureæ dicto ortum. Ed.

3. *Quam vera sit, communis existimatio est;* vide ad IV, 15, n. 1, et IV, 20, n. 7. *Quam vera sit* cum Strothio reposui e conj. Gronovii, quæ proba-

ciunt quidam annales : quum refugientem ad urbem Tauream Claudius sequeretur, patenti hostium portæ invectum, per alteram, stupentibus miraculo hostibus, intactum evasisse.

XLVIII. Quieta inde stativa fuere, ac retro etiam consul movit castra, ut sementem Campani facerent : nec ante violavit agrum campanum, quam jam altæ in segetibus herbæ pabulum præbere poterant : id convexit in Claudiana castra[1] super Suessulam; ibique hiberna ædificavit. M. Claudio proconsuli imperavit, ut, retento Nolæ necessario ad tuendam urbem præsidio, cæteros milites dimitteret Romam, ne oneri sociis, et sumptui reipublicæ essent. Et Ti. Gracchus a Cumis Luceriam in Apuliam legiones quum duxisset, M. Valerium inde prætorem Brundusium, cum eo, quem Luceriæ habuerat[2], exercitu misit, tuerique oram agri sallentini, et providere, quod ad Philippum bellumque macedonicum attineret, jussit. Exitu æstatis ejus, qua hæc gesta perscripsimus, literæ a P. et Cn. Scipionibus venerunt, quantas quamque prosperas in Hispania res gessissent. Sed pecuniam in stipendium, vestimentaque, et frumentum exercitui, et sociis navalibus omnia deesse. Quod ad stipendium attineat, si ærarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quo modo ab Hispanis sumant. Cætera utique

bilior certe est, quam illa Vallæ, a reliquis editoribus recepta : *quam satis certam.* Omnes MSS habent : *quam elatis* vel *vetatis* (hoc optimi, Flor., Put. et Pet.) *communis certe exist. est.* Hoc *certe* a librariis præpostere bis positum putabat Gronov.; at Perizon. in Anim. hist. cap. 7, pag. 280, non male conj. *quam veram*, sc. adjiciant, *communis per me exist. est.* Ad lectionem vero MSS, propius forte accedet hæc : *quantæ veritatis, communis per me exist. est.*

Cap. XLVIII. 1. *In Claudiana castra super Suessulam;* vide supra ad cap. 31, n. 3.

2. *Quem Luceriæ habuerat;* confer cap. 33 et 37. — *Providere;* vide ad VI, 6, n. 4. — *Literæ a Scipionibus venerunt, quantas res gessissent;* vide ad VIII, 19, n. 10. — *Sociis navalibus;* vide ad IX, 38, n. 1.

ab Roma mittenda esse : nec aliter aut exercitum aut provinciam attineri posse [3]. Literis recitatis, nemo omnium erat, quin, et vera scribi, et postulari æqua, fateretur : sed occurrebat animis, quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur, quantaque nova classis mox paranda esset, si bellum macedonicum moveretur. *Siciliam ac Sardiniam, quæ ante bellum vectigales fuissent* [4], *vix præsides provinciarum exercitus alere : tributo sumptus suppeditari : eum ipsum tributum conferentium* [5] *numerum tantis exercituum stragibus, et ad Trasimenum lacum, et ad Cannas, imminutum; qui superessent pauci, si multiplici gravarentur stipendio* [6], *alia perituros peste. Itaque, nisi*

3. *Aut provinciam attineri posse:* ita optimi MSS. Alii *teneri* et *obtineri;* omnes autem edd. *retineri.* Quæ cuncta haud dubie substituta ab iis, qui ignorabant, *attinere* dici pro retinere, vel tueri, custodire : vide ad Tac. Annal. I, 35; IV, 5; XIII, 15. — *Nemo omnium erat, quin*, h. e. *qui non* (quod in plerisque edd. ante Gron. legitur), ut apud Cic. Verr. III, 59; V, 4, 22, al. — *Quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur;* vide ad XXXIV, 6, n. 6.

4. *Vectigales fuissent;* vide V, 10, n. 5. — *Præsides provinciarum exercitus;* vide X, 17, n. 3. — *Tributo;* a civibus et Italicis conferendo, *sumptus*, pecuniam in sumptus, *suppeditari* (parari, præberi), ut ap. Justin. IX, 1 extr. *refici impensas;* Gron.

5. *Eum ipsum tributum conferentium*, etc., ex optimis MSS et edd. ante Mogunt. restitui cum Gron. (qui tamen e quibusdam codd. *verum* ante *eum* adjecit) et Stroth. In aliis edd. *cum ipsum* et *verum cum ipsum..... imnin.; tum, qui superessent*, etc. Vix tamen crediderim, tot ὁμοιοτέλευτα excidisse Livio. Is forte nihil aliud dedit quam *illud* vel *verum illud conferentium numerum*, et reliqua glossatori tribuenda. — *Quum ip. tributum conferentium numerum tantis exercituum stragibus, et ad Trasimenum lacum, et ad C., imminutum, tum qui sup.* Repræsentat hæc Creverii lectio veterum editorum lectionem, quam firmant codices nostri plerique, nisi quod *tum* omittunt, forsan absorptum ab ultima præcedentis voc. syllaba. Gronovius ex quibusdam scriptis, quibus unus e nostris assentitur, legit *eum ipsum.* Sed vox *eum* stare posse non videtur Crev., quum antea sermo fuerit de tributo, non de numero conferentium tributum : tamen ad *numerum* referri potest. Ed.

6. *Si multiplici gravar. stipendio*, si premerentur tributo gravissimo, quo suppeditarentur sumptus, in novam classem et multorum magnorumque exercituum vestimenta, stipendium frumentumque impendendos. *Stipendium* id. qd. supra *tributum.* Conf. ad XXXIX, 7, n. 3. — *Alia peste*, quam belli; vide ad II, 44, n. 5.

*fide staret respublica, opibus non staturam*[7]. *Prodeundum in concionem Fulvio prætori esse, indicandas populo publicas necessitates, cohortandosque, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicæ, ex qua crevissent, ad tempus commodarent; conducerentque ea lege præbenda, quæ ad exercitum hispaniensem opus essent, ut, quum pecunia in ærario esset, iis primis solveretur*[8]. Hæc prætor in concione edixit[9], qua die vestimenta, frumentum, hispaniensi exercitui præbenda, quæque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus.

XLIX. Ubi ea dies venit, ad conducendum tres so-

7. *Itaque, nisi fide st. respublica, opibus non staturam;* vid. ad II, 29, n. 7, et II, 30, n. 1. — *Fides* hic gallice vertitur *crédit.* Nisi sustentaretur respublica pecuniis mutuatis, quarum solutio in multum tempus differretur. Ed. — *Publicas necessitates,* sumptus necessarios, in rem publicam et militarem faciendos, et simul inopiam ærarii. De utraque vi vocis *necessitas* vide ad Tac. Annal. I, 11, n. 9, et II, 27, n. 5.

8. *Qui redempturis auxissent patrimonia,... solveretur;* vide ad V, 23, n. 6. *Ex qua crevissent,* sc. patrimonia eorum, vel potius ipsi, h. e. per quam divites facti essent, vel divitias, et per has simul honores ac dignitatem, consequuti essent; ut passim *crescere ex aliquo* (per eum), vel *re aliqua* et *apud aliquem* pro: gloriam aut opes consequi, gratiosum apud aliquem fieri, eoque sibi viam munire ad honores. Conf. ad I, 46, n. 4; I, 47, n. 8; XXIX, 37, n. 10; XXXV, 19, n. 3, et Ernest. Clav. Cic. — *Ad tempus* aliquod *commodarent,* sc. pecuniam, aut potius *quæ ad exercitum hisp.* alendum *opus essent.* Sed præpos. *ad* abest a plerisque MSS et edd. vett. et *tempus commodare resp.* nihili est, saltem ab h. l. alienum: nam *tempus* pro opportunitate aut facultate, et hinc pro rebus impensisque necessariis dici posse, non persuasit nobis Strothius. *Tempus* (angustias, quibus nunc resp. premeretur) *considerarent* conj. Doer. Malim: *opes* vel *impensas commodarent.* — Mox junge: *ea lege* (conditione), *ut, quum pecunia,* etc. Pro *ea* perperam in MSS et edd. ante Gron. legitur *ex.* Conf. cap. 47, n. 2. — *Præbenda,* etc., ut XXXIV, 6. Nos diceremus: *die Lieferungen zur Armee;* Stroth.

9. *Hæc prætor in concione edixit, qua die,* etc.; verba corrupta, quæ variis modis emendari possint. *Hinc* (ex senatusconsulto) *prætor,* etc. conj. Sigon. *Hæc prætor in concione* (scilic. indicavit et hortatus est): edixitque, qua *die* Gron. *Hæc p. in c. edixit, et qua die* vel *quaque die* Drakenb. — *Edixit;* vide ad librum XXI, cap. 63, n. 1. — *Navalibus sociis;* vid. ad librum IX, cap. 38, n. 1. — *Esset locaturus;* vide supra ad librum V, cap. 23, n. 6.

cietates[1] aderant hominum undeviginti, quorum duo postulata fuere : unum, ut militia vacarent, dum in eo publico essent; alterum, ut, quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatisque vi publico periculo essent[2]. Utroque impetrato, conduxerunt; privataque pecunia respublica administrata est[3] : hi mores, eaque caritas patriæ per omnes ordines velut tenore uno pertinebat. Quemadmodum conducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita, nec secus quam si ex opulento ærario, ut quondam, alerentur. Quum hi commeatus venerunt, Illiturgi oppidum[4] ab Hasdrubale, ac Magone, et Hannibale, Bomilcaris filio, ob defectionem ad Romanos, oppugnabatur. Inter hæc trina castra hostium Scipiones, quum in urbem sociorum magno certamine ac strage obsistentium pervenissent, frumentum, cujus inopia erat, advexerunt : cohortatique oppidanos, ut eodem animo mœnia tutarentur, quo pro se pugnantem romanum exercitum vidissent, ad castra maxima oppugnanda, quibus Hasdrubal præerat, ducunt. Eodem et duo duces et duo exercitus Carthaginiensium, ibi rem summam agi cer-

Cap. XLIX. 1. *Ad conducendum tres societates*, etc.; vide ad V, 23, n. 6. — *Ut militia vacarent, dum in eo publico essent;* vera lectio, quam ex MS Put. præclare restituit Gronovius, Observationes, lib. IV, cap. 23. *Publico*, scil. ministerio seu negotio (gr. λειτουργία dicitur), vel potius conductione publicorum (gr. τὸ δημόσιον, τελωνία); vide ad Tac. Annal. XV, 51, n. 1, et Suet. Vesp. 1.

2. *Ut ab hostium tempestatisque vi publico periculo essent*, ut periculum damnumque, *ab hostium t. vi* metuendum, esset publicum, vel ærarii jactura. Conf. ad XXV, 3, n. 6.

3. *Respublica administrata est;* v. ad II, 64, n. 3. — *Per omnes ordines pertinebat*, extendebatur; Ernest. Nos : *erstreckte sich auf alle Stände;* Stroth. Conf. ad XXV, 24, n. 4, et XXVI, 38, n. 4; Cic. de Nat. Deor. I, 14; II, 55. Mox *secus quam* ex emend. Vallæ. *Quidquam* MSS. *Quidquam desideratum ac* edd. ante Gron. qui conj. *sequius quam*. — *Alerentur*, scil. exercitus : quæ dura est ellipsis. Forte leg. *darentur*.

4. *Illiturgi oppidum* Hispaniæ in Turdulis, Ἰλουργίς Ptol. II, 4. Ἰλούργεια Polyb. XI, 24. Ἰλυργία Appian. Bell. Hisp. 32. *Illiturgis* XXIV, 41, et al. Cf. ad XXI, 24, n. 2. *Illiturgi* haud ita procul ab Indibili seu Intibili,

nentes, convenerunt: itaque eruptione e castris pugnatum est. Sexaginta hostium millia eo die in pugna fuerunt, sexdecim circiter Romanis[5]. Tamen adeo haud dubia victoria fuit, ut plures numero, quam ipsi erant, Romani hostium occiderint; ceperint amplius tria millia hominum, paulo minus mille equorum, undesexaginta militaria signa, septem elephantos, quinque in prælio occisis: trinisque castris eo die potiti sunt. Illiturgi obsidione liberato, ad Intibili[6] oppugnandum punici exercitus traducti, suppletis copiis ex provincia, ut quæ maxime omnium belli avida, modo præda aut merces esset, et tum juventute abundante. Iterum signis collatis, eadem fortuna utriusque partis pugnatum: supra tredecim millia hostium cæsa, supra duo capta, cum signis duobus et quadraginta, et novem elephantis. Tum vero omnes prope Hispaniæ populi ad Romanos defecerunt: multoque majores ea æstate in Hispania, quam in Italia, res gestæ.

quod in Itiner. Antonini post Dertosam ponitur, abfuisse ex h. l. colligitur: quare aliud *Illiturgi* fuit, quod in Bætica circa Bætin flum. Plin. III, 1, memorat; Duk. Mox *Hannibale* MSS longe plurimi optimique. *Hamilcare* edd. omnes præter Stroth.

5. *Sexdecim circiter Romanis;* vide ad III, 15, n. 6. Mox *LIX militariâ signa, VII elephantos, quinque in prælio occisis* recepi ex emend. Gron. pro vulg. *LIX mil. signa, elephantis quinque in prælio occisis.* In MSS plerisque et optimis *signavit* et *signa VIR elephantis.*

6. *Ad Intibili oppugnandum;* vide ad XXI, 24, n. 2. *Intibili* quidam MSS et Itin. Antonini, forsan hodie *San Mattheo. Indibili* al. et *Incibili* edd. ante Gron. Conf. Intpp. Front. II, 3, n. 1; P. de Marca Hisp. II, 8, 7, et Cellar. Geogr. tom. I, p. 110.

# T. LIVII PATAVINI

# HISTORIARUM

## AB URBE CONDITA

# LIBER XXIV.

## BREVIARIUM.

Cap. I; In Bruttiis Rhegium frustra tentatur a Pœnis: at Locrenses se iis dedunt. — II; Bruttii, illorum socii, per se ipsi Crotonem oppugnant, urbemque a plebe, quæ in omnibus fere Italiæ civitatibus Pœnis favebat, sibi traditam capiunt præter arcem. — III; Eam, a plebe, a Bruttiis et Hannone circumsessam, fortiter tuentur optimates; sed mox et hi cedunt, seque Locros traduci patiuntur. Levia prælia inter Sempronium cos. Luceriæ et Hannibalem haud procul Arpis hibernantem oriuntur. — IV; In Sicilia Romanis omnia mutat mors Hieronis, regnumque ad Hieronymum, nepotem ejus, et filium Gelonis, translatum; puerum, vixdum libertatem, nedum dominationem, modice laturum. Hujus tutores xv, quorum primi sunt Andranodorus et Zoippus, Hieronis generi, deponunt tutelam, hortante ac cogente Andranodoro, qui regimen rerum omnium affectat. — V; Hieronymus superbe regnat, more Dionysii tyranni; et ex iis, quibus solis aditus in domum ejus familiarior est, Andranodorus et Zoippus suadent Pœnorum, Thraso Romanorum societatem. Hic vero mox ad supplicium traditur, quia Theodotus, reus conjurationis, in regis caput factæ, eum esse auctorem consilii mentitus erat. — VI; Thrasone necato legati ad Hannibalem, et ab eo Hippocrates et Epicydes, fratres oriundi ab Syracusis, ad regem mittuntur. Hi apud tyrannum manent, junguntque societatem; quam fœdus cum Pœnis Carthagine ictum excipit: legati vero Romanorum per ludibrium audiuntur. — VII; Sed Hieronymus paulo post Leontinis

obtruncatur a conjuratis. Q. Fabius Maximus cos. Puteolos communit, et Romam venit comitiorum causa. — VIII; Ibi concione ad populum habita suadet, ut magna cura creentur consules. — IX; Ipse quartum, et M. Claudius Marcellus tertium consul dicitur ab omnibus centuriis. — X; Prorogatur imperium omnibus, qui ad exercitus sunt, et novis prætoribus decernuntur provinciæ. Multa prodigia nuntiantur procuranturque hostiis majoribus et supplicatione omnibus diis, quorum pulvinaria Romæ sunt, indicta. — XI; Numerus XVIII legionum et classis CL longarum navium expletur, sociique navales parantur impensis privatorum. — XII; Hannibal Capuam firmat præsidiis, et cum cætero exercitu ad lacum Averni descendit per speciem sacrificandi, re ipsa ut tentet Puteolos. — XIII; Hoc oppidum frustra oppugnat, et inde procedit ad opprimendas Nolam Tarentumque, quarum urbium tradendarum legati a plebe missi certam ei spem fecerant. — XIV; Ad Beneventum Hanno ex Bruttiis et Ti. Gracchus ab Luceria accedit. Hic primo oppidum intrat, et volonibus acriter pugnaturis promittit libertatem. — XV-XVI; Postero die acri pugna hostes vincit, omnesque volones, quæ magna exercitus pars est, liberos esse jubet. — XVII; Marcellus obviam it Hannibali, ad Nolam castra moventi, et reddidisset forte ei cladem ad Cannas acceptam, si C. Claudius Nero, quem noctu circumvehi agmen hostium cum robore equitum jusserat, prælio adfuisset in tempore. — XVIII; Censura severe exercetur Romæ a M. Atilio Regulo et P. Furio Philo, inopiaque ærarii sustinetur liberalitate privatorum. — XIX; Casilinum ab utroque consule oppugnatur capiturque. — XX; In Lucanis aliquot cohortes, a Graccho prædatum missæ in agros hostium, ab Hannone ad internecionem cæduntur. Marcellus Nolam redit, et Fabius pater vastat Samnium; filius, qui prætor est, Accuam capit. Hannibal autem frustra tentat Tarentum, quam M. Livius tuetur, et inde venit Salapiam; unde prædatum Numidas Maurosque per sallentinum agrum proximosque Apuliæ saltus dimittit. — XXI; Interim Syracusis Andranodorus Insulam et arcem occupat; Theodotus contra ac Sosis omnes ad libertatem atque arma vocant. — XXII; Concordia restituitur libera et moderata concione Polyæni, quo auctore legati prius ad Andranodorum mittuntur, qui denuntient, ut in potestate senatus ac populi sit: isque in præsentia tempori cedit. — XXIII; Prætores Syracusis creantur, inprimis

Andranodorus et interfectores tyranni, duo etiam absentes, Sopater ac Dinomenes. Hippocrates et Epicydes, Syracusas reversi, simulant quidem se redire velle ad Hannibalem, ne suspecti obversentur, tanquam rerum novandarum occasionem quærentes; sed morantur, et crimina serunt in senatum optimatesque. — XXIV; Andranodorus, a Damarata uxore instigatus, affectat tyrannidem, et rem cum Themisto, cui Harmonia, Gelonis, filia nupta, consociatam Aristoni cuidam tragico actori incaute aperit. Is indicium ad prætores defert, qui Andranodorum Themistumque curiam ingressos interficiunt. — XXV; Sopatri prætoris oratione incitata multitudo omnem regiam stirpem deleri jubet. Tum missi a prætoribus Damaratam primum et Harmoniam jugulant; — XXVI; deinde Heracleam, Zoippi, qui tum Alexandriæ apud Ptolemæum regem erat, uxorem cum duabus filiabus, quæ armatis aliquoties se eripiunt, tandemque, vulneribus confectæ, exanimes corruunt. Cædibus autem vix perpetratis, animi plebis repente mutantur ad misericordiam iramque, et comitia poscuntur prætoria: — XXVII; quibus in locum Andranodori ac Themisti Epicydes et Hippocrates creantur. Per eosdem dies Marcellus, cui Sicilia provincia decreta, in eam venit, et legatos de pace mittit Syracusas. Appius vero classem c navium ad ostium portus syracusani admovet. — XXVIII; Apollonides, principum unus, salutari oratione suadet, ut uno animo omnes Syracusani vel ad Pœnos, vel ad Romanos inclinent, et cum his potius vetus renovetur fœdus, quia extemplo aut pax, aut bellum cum iis habendum. Quæ res sæpe agitur magnis certaminibus, et postremo pacem cum Romanis fieri placet. — XXIX; Ea mox rumpitur ab Hippocrate, qui cum præsidio Leontinos missus provinciam roman. infestat: et Marcello de perfidia querente, Epicydes et ipse in Leontinos proficiscitur, eosque abalienat a Syracusanis. — XXX; Hinc et Marcellus et Syracusani exercitum Leontinos ducunt. Ille primo impetu urbem expugnat; hi Herbessum contendunt, quo Hippocrates atque Epicydes perfugerant. — XXXI; Qui tamen callidi fratres fraude et fictis nuntiis primum agmen in duces, deinde plebem ipsumque senatum syracusanum accendunt in Romanos. — XXXII; Prætores interficiuntur, et in locum eorum creantur Hippocrates atque Epicydes. — XXXIII; Hinc Marcellus castra ad Syracusas movet, et legatis ejus cum superbo Epicydis responso remissis, terra marique simul urbs

oppugnatur. — XXXIV; Quæ oppugnatio eluditur bellicis tormentis operibusque, ab Archimede inventis. — XXXV; Itaque Marcellus obsidere urbem statuit, et vicina capit oppida, quæ ad Pœnos desciverant. Per idem vero tempus Himilco ad Heracleam Minoam exercitum 28,000 hominum exponit, receptoque Agrigento castra circa Acrillas ponit; ubi decem millia Syracusanorum, duce Hippocrate noctu urbe egressa, se ei conjungunt. — XXXVI; Mox et Bomilcar cum classe in magnum Syracusarum portum, et legio romana, Panormi exposita, ad Appium pervenit. Sed Pœni, tutum ad Syracusas et munimento et viribus hostem esse cernentes, moraque inutili ab suis inopiam aggravari sociorum, nihil audent, et Bomilcar in Africam redit, Himilco Murgantiam proficiscitur. — XXXVII; Hæc et aliæ civitates de proditione præsidiorum romanor. paciscuntur cum Pœnis; in iis et Henna, ubi L. Pinarius, vir acer, præsidio præest. — XXXVIII - XXXIX; Is cæsis Hennensibus oppidum aut malo aut necessario facinore retinet. — XL; Bellum cum Philippo, Macedonum rege, movetur. M. Valerius prætor Oricum, ab eo expugnatum, recipit; et Q. Nævius Crista Apolloniam, ab eodem obsessam, liberat, Macedonibus noctu oppressis fugatisque: quo facto rex terra in Macedoniam revertitur. — XLI; In Hispania Scipiones adversus Magonem et Hasdrubales prospere res gerunt, et Illiturgin Bigerramque solvunt obsidione. — XLII; Ter vincunt Pœnos; Saguntum recipiunt, et Turdetanos redigunt in potestatem. — XLIII; Romæ censoribus a L. Metello trib. pl. dies dicitur ad populum, consulesque creantur Ti. Sempronius Gracchus secundum, et Q. Fabius Max. consulis filius. — XLIV; Dividuntur provinciæ, et prodigia procurantur. Fabius pater filio legatus ad Suessulam in castra venit, et ab eo descendere equo jubetur. — XLV; Eodem clam nocte pervenit Dasius Altinius Arpinus, homo dives et ambiguæ fidei, qui Arpos olim ad defectionem a Romanis traxerat, et nunc iisdem se proditurum esse promittit. Ipse ab his Cales in custodiam mittitur: Hannibal autem bona ejus possidet, et conjugem liberosque vivos comburi jubet. — XLVI; Fabius Arpos castra movet, urbemque noctu ingreditur, sonitu largioris procellæ strepitum effringentium portam exaudiri prohibente. — XLVII; Pugna ibi orta arpini hispanique milites ad Romanos transferunt signa, et impetrant ab iis, ut sine fraude punicum emittatur præsidium. Cn. Fulvius in fidem accipit equites CXII nobiles campanos, qui

in castra ejus super Suessulam venerant: et Sempronius Tuditanus, alter prætor, Aternum expugnat. Romæ sævit incendium. — XLVIII; Scipiones amicitiam jungunt cum Syphace, Massæsylorum in Numidia rege: et ex tribus eorum legatis unus, Q. Statorius centurio, apud regem remanet, ut rudem ad pedestria bella Numidarum gentem rei militaris artes doceat; duo in Hispaniam redeunt cum legatis regiis, qui et fidem accipiunt ab imperatoribus romanis, et Numidas, magnam præsidiorum punicorum partem, ad transitionem perliciunt. — XLIX; Carthaginienses contra fœdus faciunt cum Gala, Massylorum in parte altera Numidiæ rege; cujus filius Masinissa Syphacem magno prælio devincit, et deinde in Maurusiis, ubi magnas ille brevi copias armaverat, ingenti gloria adversus eum gerit bellum. Scipiones Celtiberos (primum mercenarium militem, quem Romani habuere) eadem mercede, quam pacti cum Pœnis erant, ad se perducunt; et nobilissimos Hispanos supra ccc in Italiam mittunt ad sollicitandos populares, qui inter auxilia Hannibalis sunt.

I. Ut ex Campania in Bruttios reditum est[1], Hanno, adjutoribus et ducibus Bruttiis, græcas urbes tentavit, eo facilius in societate manentes romana, quod Bruttios, quos et oderant, et metuebant, Carthaginiensium partis factos[2] cernebant. Rhegium primum tentatum est, diesque aliquot ibi nequidquam assumpti. Interim Locrenses frumentum, lignaque, et cætera necessaria usibus ex agris in urbem rapere, etiam ne quid relictum prædæ hostibus esset: et in dies major omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros ac portas,

Cap. I. 1. *Ut ex Campania in Bruttios reditum est* ab Hannone; vide c. 46. — *Græcas urbes*, colonias in Græcia magna, *Rhegium*, *Locri* Epizephyrii et *Croto*, quæ c. 1 et 2 memorantur. Conf. ad XXII, 61, n. 11, et XXIII, 30 et 41; quibus tamen locis Livius retulit, *Locrenses* Crotoniatasque jam ad Pœnos descivisse, et Crotonem oppidum jam captum fuisse a Bruttiis præter arcem. Itaque eorum, quæ supra tradiderat, immemor fuisse, eaque ex aliis hausisse fontibus videtur. Confer ad IV, 29, n. 3. Nodus non solvitur, si dixeris, eum res nunc demum gestas supra occupasse, strictimque exposuisse.

2. *Carthaginiensium partis factos;*

telaque in propugnacula congerere cogebatur. In permixtam omnium ætatum ordinumque multitudinem, et vagantem in agris magna ex parte inermem, Hamilcar Pœnus[3] equites emisit; qui, violare quemquam vetiti, tantum, ut excluderent ab urbe fuga dissipatos, turmas objecere. Dux ipse, loco superiore capto, unde agros urbemque posset conspicere, Bruttiorum cohortem adire muros, atque evocare principes Locrensium ad colloquium jussit, et, pollicentes[4] amicitiam Hannibalis, adhortari ad urbem tradendam. Bruttiis in colloquio nullius rei primo fides est: deinde, ut Pœnus apparuit in collibus, et refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant; tum, metu victi, consulturos se populum responderunt. Advocataque extemplo concione, quum et levissimus quisque novas res, novamque societatem mallent[5], et, quorum propinqui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis, pigneratos haberent animos; pauci magis taciti probarent constantem fidem, quam probatam tueri auderent; haud dubio in speciem consensu[6] fit ad Pœnos de-

vide supra ad librum III, cap. 36, n. 4.

3. *Hamilcar Pœnus:* 3 MSS, quamvis non optimi, *Bomilcar Pœn.*, quod recte forsan recepit Stroth. Confer XXIII, 41.

4. *Bruttiorum cohortem.....pollicentes;* vide ad I, 41, n. 1.

5. *Levissimus quisque novas res... mallent;* vid. ad I, 41, n. 1, et I, 52, n. 1. — *Pigneratos haberent animos,* oppigneratos, obstrictos addictosve Pœnis, propinquos illorum, tanquam pignora in potestate sua habentibus; Doering. — *Probatam tueri auderent.* Hic talia notat Walchius, Emend. p. 40: « Non multis verbis opus est, ut demonstremus quid frigidum, quid ambiguum, quid abhorrens a consuetudine scriptoris insit huic lectioni, quæ ne fidem quidem habet. » Hinc ipse conjicit *propalam* loco τοῦ *probatam. Büttner* quoque Observ. pag. 65, Walchii conjecturam maxime probat: fatetur tamen non a consuetudine scriptoris vulgatam lectionem abhorrere, cujus similes occurrunt passim, II, 28; XXXIV, 33, et al. Ego vero *probatam* genuinum puto, quia et Liviano mori consentaneum est, et in altero orationis membro *propalam*, aut simile quid omitti licet. Ed.

6. *Haud dubio in speciem consensu;* vide ad VI, 14, n. 2.

ditio. L. Atilio præfecto præsidii, quique cum eo milites romani erant, clam in portum deductis[7], atque impositis in naves, ut Rhegium deveherentur, Hamilcarem Pœnosque ea conditione, ut fœdus extemplo æquis legibus fieret, in urbem acceperunt: cujus rei prope non servata fides deditis est, quum Pœnus dolo dimissum Romanum incusaret; Locrenses profugisse ipsum causarentur. Insequuti etiam equites sunt, si quo casu in freto æstus morari, aut deferre naves in terram posset. Et eos quidem, quos sequebantur, non sunt adepti[8]: alias a Messana trajicientes freto Rhegium naves conspexerunt. Milites erant romani a Claudio prætore missi ad obtinendam urbem præsidio: itaque Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus jussu Hannibalis data pax, *ut liberi suis legibus viverent; urbs pateret Pœnis, portus in potestatem Locrensium esset*[9]*: societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace ac bello juvaret.*

II. Sic a freto Pœni reducti, frementibus Bruttiis, quod Rhegium ac Locros, quas urbes direpturos se destinaverant[1], intactas reliquissent. Itaque per se ipsi, conscriptis armatisque juventutis suæ quindecim millibus, ad Crotonem oppugnandum pergunt ire, græcam et ipsam urbem, et maritimam: plurimum accessurum opibus, si in ora maris urbem portu ac

7. *Præfecto præsidii, quique cum eo milites rom. erant, deductis* pro: *et militibus rom., qui,* etc. Conf. ad XXII, 20, n. 7; XXIV, 40, n. 6, et XXVII, 5, n. 3.

8. *Non sunt adepti;* vide supra ad II, 30, n. 7.

9. *Portus in potestatem Locrensium esset;* ita optimi MSS, non, ut vulgo legitur, *potestate;* vide supra ad II, 14, n. 2.

Cap. II. 1. *Urbes direpturos se destinaverant* animis (ut VII, 33; XXI, 44; XLIII, 7 al.), i. e. constituerant, sibi proposuerant; Stroth. — *Urbem portu ac mœnibus.* Ea est emendatio a Mureto allata, et comprobata a Gronovio, quam etiam firmat unus Hearnii codex. Alii dant, *portum ac urbem mœnibus validam;* quidam transponunt, inter quos noster Put. ita, *urbem ac portum.* Ed.

mœnibus validam tenuissent, credentes. Ea cura angebat, quod neque non arcessere ad auxilium Pœnos satis audebant, ne quid non pro sociis egisse viderentur[2]; et, si Pœnus rursus magis arbiter pacis, quam adjutor belli, fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante Locrorum, frustra pugnaretur. Itaque optimum visum est, ad Hannibalem mitti legatos, caverique ab eo[3], ut receptus Croto Bruttiorum esset. Hannibal quum præsentium eam consultationem esse respondisset, et ad Hannonem eos rejecisset[4], ab Hannone nihil certi ablatum[5]: nec enim diripi volebant nobilem atque opulentam urbem; et sperabant, quum Bruttius oppugnaret, Pœnos nec probare, nec juvare eam oppugnationem appareret, eo maturius ad se defecturos. Crotone nec consilium unum inter populares, nec voluntas erat: unus velut morbus invaserat omnes Italiæ civitates, ut plebes ab optimatibus dissentirent[6]; senatus Romanis faveret, plebs ad Pœnos rem traheret. Eam dissensionem in urbe perfuga nun-

2. *Ne quid egisse viderentur non pro sociis*, præter morem sociorum, eos nimirum, quibuscum societate conjuncti sunt, in partes suas trahentium; Doer.

3. *Caverique ab eo*, ut cavere (sibi) *ab aliquo* apud Cic. Brut. 5; Verr. II, 23 al. propr. postulare ut datis prædibus sibi caveatur, satisdetur, cautio securitasve præstetur; deinde pacisci, *sich ausbedingen*. Conf. ad VII, 41, n. 1, et XXXVI, 31, n. 5. — *Ut receptus*, si captus esset, *Croto Bruttiorum esset;* vide supra ad XXI, 30, n. 5.—*Præsentium*, non tam absentis, longiusque remoti, qualis ipse esset, sed potius Hannonis, Bomilcaris (vid. XXIII, 41), aliorumve ducum, qui apud ipsos essent præsentes, et rem ipsam, loci opportunitatem, etc. propius cognoscere et melius explorare possent.

4. *Ad Hannonem eos rejecisset;* vid. ad II, 22, n. 4.

5. *Ab Hannone nihil certi ablatum*, ita MSS Put., Cantabr. et Sigon., ut plane apud Cicer. ad Att. XVI, 16, *Decretum liberalissimum abstulimus;* Jac. Gronov. Ita passim *auferre* pro accipere et impetrare. Conf. Ern. Clav. Cic. Sed h. l. aptior videtur vulgata lectio *allatum*. Pro Hannone forte leg. *hoc*, ut illud e marg. irrepserit. — *Diripi volebant*, scilicet Hannibal et Hanno. Mox *et* post *oppugnaret* excidisse suspicor.

6. *Ut plebes ab optimatibus dissentirent;* al. *dissentiret;* vide ad I, 41, n. 1. — *Ad Pœnos rem traheret;* vid. ad XXIII, 8, n. 2.

tiat Bruttiis; Aristomachum esse principem plebis, tradendæque auctorem urbis; et in vasta urbe lateque omnibus disjectis mœnibus [7] raras et stationes custodiasque senatorum esse: quacumque custodiant plebis homines, ea patere aditum. Auctore ac duce perfuga, Bruttii corona cinxerunt urbem: acceptique a plebe primo impetú locos omnes, præter arcem, cepere. Arcem optimates tenebant, præparato jam ante ad talem casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit; tanquam Pœnis, non Bruttiis, auctor urbis tradendæ fuisset.

III. Urbs Croto murum in circuitu patentem [1] duodecim millia passuum habuit, ante Pyrrhi in Italiam adventum. Post vastitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur: flumen, quod medio oppido fluxerat [2], extra frequentia tectis loca præterfluebat; et

7. *In vasta urbe lateque omnibus disjectis mœnibus*, in varias admodum partes huc illuc procurrentibus; Drak. Conf. cap. 33 extr., unde tamen non colligerem cum Ernestio, *mœnia* h. l. esse ipsas ædes, non muros. Ex cap. 3 princ. potius probabile fit, *urbem vastam* h. l. non amplam, sed vastatam (conf. et not. 8 ad cap. 3, et ad III, 7, n. 1), et *mœnia late disjecta* diruta esse, ut apud Nepot. Timol. 3. Hinc etiam *disjicere rem* et *consilia* II, 35; et XXV, 14, pro dissolvere, et irrita facere, impedire, ut *discutere rem* XXXIX, 10, n. 4. — *Raras et stationes c. s. esse* pro vulg. *partitas stationes c. s. ac plebis esse* ex emend. Gronov. recepit Drak. quia pro *partitas* in MS Pet. *paraset*, et in pluribus aliis *parasset* legitur, verba autem *ac plebis* ab optimis membranis absunt, et satis intelligitur, ubi deficiant senatores, ibi plebem excubias egisse, præsertim quum subjungatur: *quacumque* (parte) *custodiant plebis homines* mœnia. — Mox meliores MSS ignorant τὸ *locos*, et ex uno Pal. leg. *omnia*, vel ex Voss. *omnem*, scilicet locum; Gron.

Cap. III. 1. *In circuitu patentem*, nos: *sich erstrekkend:* inpr. de magnitudine plani; Stroth. Conf. ad XXV, 23, n. 6.

2. *Flumen, quod medio oppido fluxerat*, Æsarus, hod. *Esaro*, vel alius, qui ibidem est, fluvius, Neæthus, hod. *Necto;* vide Strab. VI, 1, 11, 12, p. 261-3; Plin. III, 10, 11, seu 15, 16. — *Extra frequentia tectis loca præterfluebat;* vid. ad X, 11, n. 3. — *Et arx* e conj. Salmas. In MS Put. *et aros*, quod ortum ex *arcs*, et cui voci manus alia superius addidit *G;* unde *et agros* plerique MSS. In edd. ante Gron. *muros* ex emend. Vallæ. Pro *extra*, vel pro *et arx* suspicari possis *Æsarus*.

3. *Sex millia* passuum (vide ad IX,

arx procul iis, quæ habitabantur. Sex millia[3] aberat ab urbe nobile templum (ipsa urbe erat nobilius) Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi, frequenti sylva et proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deæ pascebatur pecus sine ullo pastore; separatimque egressi cujusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta et sacrata est: inclytumque templum, divitiis etiam, non tantum sanctitate, fuit. Ac miracula aliqua affingunt[4], ut plerumque tam insignibus locis. Fama est, aram esse in vestibulo templi[5], cujus cinerem nullus unquam

24, n. 2) *aberat ab urbe* Crotone *nobile templum, ipsa urbe nobilius,* vulgo legitur, et recte forsan *nobile :* sed omnes MSS verbum *erat* post *urbe* adjiciunt. De *templo Laciniæ Junonis* in Bruttiis et Lacinio, in quo fuit, promont. (hod. *Capo delle Colonne,* quod a columnis templi superstitibus sic dictum putatur), tegulisque templi marmoreis, cf. præter sqq., inf. XXVIII, 46 ext. XLII, 3 pr. (coll. Val. Max. I, 1, 20, et Lactant. Inst. II, 7, 15); Strab. ac Plin. ll.; Intpp. Virgil. Æn. III, 552; Ovid. Met. XV, 12 sq.; Cic. de Div. I, 24, et de Invent. II, 1, 2 (ubi Zeuxin conductum tradit, ut templum picturis exornaret); Justin. XX, 4; Heyn. Opusc. acad. tom. II, pag. 174-186; Athen. XII, 58; Jacobs ad Anthol. gr. tom. I, p. I, p. 413; quique ruinas templi descripsit Riedesel in Itiner. per Magnam Græciam et Sicil. tom. II, p. 191 sq. Sed pro *sex millibus* passuum, sive 48 stadiis, Strabo habet CL stadia. Hinc Gronov. suspicabatur, Strabonem ἐν πεντήκοντα καὶ ά σταδίοις, vel Livium *XVIII millia* scripsisse, aut hæc ita esse concilianda, ut ille maritimum iter, quod circumvectio redderet longius, hic terrestre designaverit. — *Lucus silva et... abietis arboribus septus:* itaque lucus ab his distinguitur, et videtur proprie esse illa pars, quæ in medio silvæ et aliarum arborum, iisque circumdata erat; Duk. *Abietis arboribus,* ut I, 24, *saxo silice,* et *herba graminis;* et apud Sueton. Aug. 94, *arbor palmæ;* Ern. — *Separatimque egressi... greges.* Non modo Putean., sed et omnes nostri codices carent voce *greges.* Putean. vero habet etiam *egressui;* unde Gronovius legendum putat, *separatique greges sui quique generis :* parum interest. Ed.

4. *Ac miracula aliqua affingunt, ut plerumque t. i. l.* pro vulg. *affinguntur plerumque* substitui ex emend. Freinsh. et Jac. Gron., qui etiam in dubium traxit verba seqq. *Fama est.* Conf. ad II, 7, n. 1.

5. *Aram esse in vest. templi,* etc.

moveat ventus. Sed arx Crotonis, una parte imminens mari[6], altera, vergente in agrum, situ tantum naturali quondam munita, postea et muro cincta est, qua per aversas rupes ab Dionysio, Siciliæ tyranno, per dolum fuerat capta. Eam tum arcem, satis, ut videbatur, tutam, Crotoniatum optimates tenebant, circumsedente cum Bruttiis eos etiam plebe sua. Postremo Bruttii, quum suis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti necessitate, Hannonis auxilium implorant. Is, conditionibus[7] ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Bruttiorum eo deduci, antiquamque frequentiam recipere vastam ac desertam bellis urbem[8] paterentur, omnium neminem, præter Aristomachum, movit: morituros se affirmabant citius, quam, immixti Bruttiis, in alienos ritus, mores, legesque, ac mox linguam etiam verterentur. Aristomachus unus, quando nec[9] suadendo ad deditionem satis valebat, nec, sicut urbem prodiderat, locum prodendæ arcis inveniebat, transfugit ad Hannonem. Locrenses brevi post legati, quum permissu Hannonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri

Conf. Plin. II, 107, seu 111; Valer. Max. I, 8, ext. 18, et Dionys. Perieg. v. 371. Mox *nullo unquam moveri vento* Gron., Crever. et Drakenb. ex emend. Gron., quia in plerisque MSS est *movet*, et in Put. *nullo unquam move ventos*.

6. *Una parte imminens mari* plerique MSS et edd. antt. *imminet*, al. *imminente* malebat Doer. — *Imminens* dant plerique scripti, inter quos Put., et sic melius cohæret oratio. Ed. — *Per dolum fuerat capta arx Crotonis* a Dionysio per aversas rupes; vide Heyn. Opusc. acad. t. II, p. 191.

7. *Is, conditionibus... ut*, etc.; vid. ad XXIII, 7, n. 1.

8. *Antiquamque frequentiam recipere vastam ac desertam bellis urbem;* vide ad cap. 2, n. 7, et ad III, 7, 1. Post *frequentiam* MSS inserunt *eo* et edd. omnes præter Strot. *eorum*. Illud perperam repetitum videtur, hoc a latinitate abhorret. Neutrum vero exstat in uno cod., quem cum Strothio sequutus sum. *Frequentiam suam* conj. Gronovius et Doering. Malim *mox recipere*.

9. *Quando nec suadendo*, etc. Vid. ad V, 25, n. 3.

vellent. Jam hoc ut sibi liceret, impetraverant et ab Hannibale, missis ad ipsum legatis[10]. Ita Crotonem excessum est, deductique Crotoniatæ ad mare naves conscendunt. Locros omnis multitudo abeunt[11]. In Apulia ne hiems quidem quieta inter Romanos atque Hannibalem erat. Luceriæ Sempronius consul, Hannibal haud procul Arpis hibernabat. Inter eos levia prælia ex occasione, aut opportunitate[12] hujus aut illius partis, oriebantur : meliorque eis Romanus, et in dies cautior tutiorque ab insidiis fiebat.

IV. In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis, regnumque ad Hieronymum, nepotem ejus, translatum[1]. Puerum, vixdum libertatem, nedum dominationem, modice laturum, et ætas, et ingenium, et tutores,

10. *Missis ad ipsum legatis :* in edd. ante Gronov. *ad id ipsum* (hoc ipso consilio, ut sibi hoc liceret) *tum*, prob. Doer. In MS Put. *attipeum*, in reliquis *ad id ipsum*, et *ad id ipsum cum*, et *ad ipsum cum :* unde *ad ipsum eum* edidit Stroth. Mox *Crotonem excessum est* optimi MSS, non *Crotone;* vide ad II, 37, n. 5.

11. *Locros omnis multitudo abeunt;* vide ad I, 41, n. 1.

12. *Ex occas. aut opportunitate;* vide I, 11, n. 1. — *Meliorque;* vide ad II, 51, n. 3. — *Tutiorque ab insidiis*, contra eas; D.

Cap. IV. 1. *Mors Hieronis, regnumque... translatum*, hoc est, regnique translatio. *Puerum, vixdum libertatem, nedum dominationem, modice laturum* (ut græce μετρίως φέρειν, Stroth.), *et ætas* immatura, *et ingenium*, ferox, superbum, et ad libidines crudelitatemque propensum (vide cap. 5), *et tutores, atque amici*, adeo. que multæ simul res, *præcipitandum in omnia vitia acceperunt* in principio imperii, quod ei soli a tutoribus temere traditum est. Hæc edidi, quæ proxime accedunt ad lectionem optimi cod. Put. *latur. æetas it ingenium et tutores*, etc. Manus secunda inter extremas literas vocis *æetas* immittendum supra posuerat *te :* unde Pet. *ætates in ingenium*, Flor. *ætate sit ing.*, et reliqui *ætatis in*, vel *id ingenium :* nullus vero *læte id ing.*, quod omnes fere edd. exhibent. Mutavi etiam vulgarem interpunct. *translatum : puerum... laturum. Læte id ingenium... acceperunt : quæ ita*, etc., ac delevi τὸ *ad*, quod vulgo ante *præcipitandum* legitur, et a MSS notæ melioris abest. *Lætati id ingenium* conj. Valla. *Ea ætas, id ingenium : et tutores* Salmas. *Eam ætatem, id ingenium* Ern. *Hac ætate id ing.* Ruben. *Modice laturæ ætatis. Id ingenium et tutores* Gron. *Id ætatis ingenium*, vel *Immaturæ ætatis id ingen.*, vel, quod recepit, *Ea ætate id ing.* Stroth. *Id ætatis et ingenii Hieronymum* (vide ad II, 29, n. 6) *tutores atque amici*

atque amici præcipitandum in omnia vitia acceperunt. Quæ ita futura cernens Hiero ultima senecta voluisse dicitur liberas Syracusas relinquere, ne sub dominatu puerili, per ludibrium, bonis artibus partum firmatumque interiret regnum. Huic consilio ejus summa ope obstitere filiæ, nomen regium penes puerum futurum ratæ, regimen rerum omnium penes se virosque suos, Andranodorum et Zoippum[2] : nam ii tutorum primi relinquebantur. Non facile erat nonagesimum jam agenti annum, circumsesso dies noctesque muliebribus blanditiis, liberare animum, et convertere ad publicam privata curam[3]. Itaque tutores modo quindecim puero reliquit; quos precatus est moriens, ut fidem erga populum romanum[4], quinquaginta annos ab se cultam, inviolatam servarent, juvenemque suis potissimum vestigiis insistere vellent, disciplinæque

*præc.* Doer. Cæterum ad hoc et seqq. capita conf. omnino Polyb. VII, 2-9.

2. *Andranodor. et Zoippum;* MSS et edd. ante Gron. male *Zoilum.* Cf. Polyb. et inf. c. 26; ubi MS Put. et al. *Zoipsi,* et deinde *Zoippo.* Hieroni, filio Hieroclis (v. Justin. XXIII, 4), erant duæ *filiæ, Demarata,* uxor Andranodori, et *Heracleæ,* uxor Zoippi (vide ad XXIV, 4, 5, 22, 25); unus autem filius *Gelo,* qui ante patrem mortuus est, et ex Nereide, filia Pyrrhi, quatuor suscepit liberos, *Hieronymum* (vid. XXIV, 4, 5), *Harmoniam,* conjugem Themisti (vide ad XXIV, 24, 25), et duas filias virgines; vide ad XXIV, 26. — *Nonagesimum jam agenti annum* Hieroni: de cujus morte annisque et imperii et vitæ, vide Intpp. Polyb. I, 8, 9, et VII, 8. — *Circumsesso muliebribus,* mulierum, filiarum, *blanditiis,* ut *obsidere aures fratris,* lib. XL, capite 20, extremo, et nostrum *blokieren.*

3. *Liberare animum, et convertere ad publicam privata curam,* ita statuere de domo sua, ut præcipue reip. consuleret, et illius statum hujus commodo attemperaret; Gron. *Privata,* res domesticas ita tractare, ut ad salutem publicam pertinerent; *ad publicam curam* referre, ex ea dirigere, aut ita componere, ut reipublicæ cura postulabat: nisi potius leg. *a privata;* Stroth. et Bauer. *privatamque* edd. ante Gron. — *Tutores modo quindecim.* Hoc solum dedit suo in cives amori, ut non aut plenam rerum omnium licentiam puero relinqueret, aut Andranodorum tantum et Zoippum, sed quindecim tutores nominaret. Vulgo hic legitur *numero quindecim;* sed id quod edidimus, tenent Pat. et Victor. codices. Ed.

4. *Fidem erga pop. rom. L* fere *annos ab se cultam,* ab anno Urbis 489

in qua edoctus esset[5]: hæc mandata. Quum exspirasset[6], per tutores testamento prolato, pueroque in concionem producto (erat autem quindecim tunc ferme annorum), paucis, qui per concionem ad excitandos clamores dispositi erant, approbantibus testamentum, cæteris velut patre amisso in orba civitate omnia timentibus, funus fit regium, magis amore civium et caritate, quam cura suorum, celebre. Deinde cæteros tutores submovet Andranodorus, juvenem jam esse dictitans Hieronymum, ac regni potentem[7]: deponendoque tutelam ipse, quæ cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.

V. Vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis erat favor apud Syracusanos, succedenti tantæ caritati Hieronis[1]. Verum enim vero Hieronymus, velut suis vitiis desiderabilem efficere vellet avum, primo statim conspectu, omnia quam disparia essent, ostendit: nam

(secundo anno bel. punici I) ad 537.

5. *Disciplinæque, in qua edoctus esset;* melius forsan *eductus* (vide ad I, 39, n. 10): nam *disciplina* hic non pertinet ad studia aut doctrinam, sed ad moris et vitæ instituta, ad sectam rationemque interioris vitæ, cultum domesticum, moderationem in illis, quæ ad victum, cultum, voluptates adhibentur; Gron. Sed huic explicationi non obest *edoctus*: nam *doceri* etiam *equo armisque* (scilicet uti) dicimur; Ern. Sic XXIX, 1, ubi Gron. monet, sic et *fidibus docere* ac *discere* dixisse Cic. Τὸ *eductus* probat Bauer., sed *in* quoque deleri velit.

6. *Hæc mandata. Quum exspirasset,* etc., ex emend. Jac. Gron. qui ita quoque orationem præced. absolvi monet cap. 13; XXI, 55; XXVII, 43; XXXI, 11, n. 32; XXXVII, 55. *Post hæc mandata quum exspirasset, tutores prodeunt, testamento prolato,* etc. edd. ante Drak. Sed voces *post* et *quum* a plerisque MSS absunt. — *Cura suorum,* mœrore liberorum.

7. *Regni potentem;* vide ad IX, 14, n. 4. — *Deponendoque tutelam:* forte *deponendaque tutela;* in plerisque saltem MSS *deponendamque* et *deponendaque tutelam;* Gron. *Tutelam, quæ ipsi cum,* etc. edd. ante Drak. quod placere potest. Sed omnes MSS *ipse quæ cum.* — *In se unum omnium vires convertit,* ad se traxit. Confer ad Tac. Ann. II, 64, n. 5.

Cap. V. 1. *Vix quidem ulli bono moderatoque regi facilis* comparatu *erat favor... succedenti tantæ caritati Hieronis;* vide ad I, 48, n. 7, et IV, 11, n. 1. — *Vitiis desiderabilem efficere avum,* excitare ejus desiderium; Doer. Vitia tamen Hieronymi ab historiæ scriptoribus exaggerari contendit

qui per tot annos Hieronem, filiumque ejus Gelonem nec vestis habitu, nec alio ullo insigni differentes a cæteris civibus vidissent, conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos, quadrigisque etiam alborum equorum[2] interdum ex regia procedentem, more Dionysii tyranni. Hunc tam superbum apparatum habitumque convenientes sequebantur contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta; rari aditus[3], non alienis modo, sed tutoribus etiam; libidines novæ, inhumana crudelitas. Itaque tantus omnes terror invaserat, ut quidam ex tutoribus aut morte voluntaria, aut fuga præverterent metum suppliciorum. Tres ex iis, quibus solis aditus in domum familiarior erat, Andranodorus et Zoippus, generi Hieronis, et Thraso quidam[4], de aliis quidem rebus haud magnopere audiebantur : tendendo autem duo ad Carthaginienses, Thraso ad societatem romanam, certamine ac studiis interdum in se convertebant animum adolescentis; quum conjuratio, in tyranni caput facta, indicatur per Calonem quemdam[5], æqualem Hiero-

Polyb. VII, 7. De patre ejus, *Gelone*, confer supra ad librum XXIII, cap. 30, et ibi not. 6.

2. *Quadrigisque alborum equorum*, etc.; confer ad V, 23, n. 4. — *Convenientes* (et congruæ ei res) *sequebantur, contemptus...aures*, etc. ut XXX, 34, n. 1, nisi malis *convenienter;* Gron. *Convenientia* bene conj. Valla, sed male *comites* Jac. Gron. Quidam libri, nec tamen meliores, post *sequebantur* addunt *mores*. — Non voc. *mores* improbaret Crever. si MSS assentirentur : attamen non omnino necessaria est ea vox, quum adject. *convenientes* possit referri ad omnia quæ sequuntur, *contemptus*, *superbæ aures*, etc. Ed. — *Superbæ aures* superbo tribuuntur, qui ægre aut plane non audit supplicum preces.

3. *Rari aditus*, etc. ut de decemviris III, 36.

4. *Thraso quidam*, cognomine Carcharus, adulator Hieronymi, quem, teste Athenæo VI, 59, p. 252, Osis (opinor *Sosis*, de quo vide cap. 21, 22, 25), alius adulator, perdidit; Gron. — *Tendendo ad Carthaginienses ;* vide ad IV, 19, n. 1.

5. *Per Calonem quemdam;* perperam in omnibus edd. *calonem :* nam calonum nusquam domi, sed in castris mentio fit; neque probabile est, calones XV annorum fuisse; multo minus, Hieronymo superbissimo familiaritatem fuisse cum homine infimæ sortis:

nymi, et jam inde a puero in omnia familiaria jura assuetum. Index unum ex conjuratis Theodotum[6], a quo ipse appellatus erat, nominare potuit: qui comprehensus extemplo, traditusque Andranodoro torquendus, de se ipse haud cunctanter fassus, conscios celabat. Postremo, quum omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum malis se simulans, avertit ab consciis in insontes indicium. Thrasonem esse auctorem consilii mentitus, nec, nisi tam potenti duce confisos, rem tantam ausuros[7]. Ab latere inde eos nominat tyranni, quorum capita vilissima fingenti inter dolores gemitusque occurrere. Maxime

sed forte leg. *Gelonem* cum Coetierio; Stroth. — *In omnia familiaria jura adsuetum*, hoc est, familiaritatis, seu familiarium, ut *origo romana*, hoc est, Romanorum, et *bellum romanum*, hoc est, Romanorum; Ern. Idem Ern. et Ruhnken. ad Vellei. II, 29 conj. *assumptum* (conf. II, 3, et 22), et Bauer. *familiaritatis*, et *assertum*, vel *ascitum*. — Walchius, Emend. pag. 183, vitium esse in vocab. *adsuetum* putat, et, quanquam elegans videatur Ruhnkenii conjectura *adsumptum*, tamen ut exquisitius cum Bauero præfert *adscitum*. Ed.

6. *Theodotum* optimi MSS. *Thedorum* edd. ante Gron. et Valer. Max. III, 3, ext. 5, qui conferendus est h. l. — *Appellatus erat*, auxilium rogatus. — *De se ipse haud cunctanter*, etc.; conf. ad Taciti Annales, libro XXI, cap. 22, n. 4.

7. *Rem tantam ausuros* alios dicens, quod latet in voc. *mentitus* (vide ad I, 33, n. 7): et *capita* (homines) *vilissima*, scilicet Theodoto; Bauer. — *Ab latere inde eos nominat tyranni*, edd. ante Gron. qui edidit: *indicium* (*Thrasonem... ausuros*) *ab latere tyranni*, ejectis verbis *inde eos nominat*, quæ a MSS absunt. Sed credi fas est, editt. principes ea ex MSS hausisse; et sine his sententia vix potest stare, et verborum constructio impeditissima est; Stroth. *Ab latere alicujus esse*, vel *lateri circumdari* et *adhærere* (ut XXX, 19, et XXXIX, 25, ubi *procul abesse* opponitur), et *latus alicujus* aut *alicui cingere* (XXXII, 39), *tegere* (XLII, 65, n. 6; XLV, 27, n. 1) et *claudere* dicuntur assidui ejus comites, satellites, familiares, domestici, proximi. Similiter μένειν παρὰ πλευρὰν, sc. Gentii, et προσδέξασθαι πρὸς τὰς πλευρὰς τοὺς πολεμίους dixit Polyb. XXIX, 8, n. 1, et in fragm. 110. Quin et unus *ex purpuratis latus cingere* alicujus dici putatur, XXXII, 39. Sic et græce περιστῆναι de uno dici monet Scheff., sed hunc verbi usum parum probari a Græv. ad Lucian. tom. III, pag. 566, et Hemsterh. ad Aristoph. Plut. pag. 332, b. Neque etiam huc pertinet locus Liv. XXXII, 39, ubi de duobus sermo est. Confer Curt. III, 5 extr. et ad Juven. III, 131. *Satellitem, in quo totius dominationis summa, quasi quodam car-*

animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit : ita extemplo traditur ad supplicium[8]; adjectique pœnæ cæteri juxta insontes. Consciorum nemo, quum diu socius consilii torqueretur, aut latuit, aut fugit : tantum illis in virtute ac fide Theodoti fiduciæ fuit; tantumque ipsi Theodoto virium ad arcana occultanda.

VI. Ita, quod unum vinculum[1] cum Romanis societatis erat, Thrasone sublato e medio, extemplo haud dubie ad defectionem res spectabat : legatique ad Hannibalem missi; ac remissi ab eo cum Hannibale, nobili adolescente, Hippocrates et Epicydes, nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exsule avo, Pœni ipsi materno genere. Per hos juncta societas Hannibali ac syracusano tyranno : nec invito Hannibale apud tyrannum manserunt[2]. Ap. Claudius prætor, cujus Sicilia provincia erat, ubi ea accepit, extemplo legatos ad Hieronymum misit : qui, quum sese ad renovandam societatem, quæ cum avo fuisset, venisse dicerent, per

*dine, versabatur* (Thrasonem), *falsa criminatione inquinando, fidum lateri ejus custodem eripuit.* Val. Max. loco laudato.

8. *Traditur ad supplicium;* forte *trahitur;* Bauer. — *Adjectique pœnæ,* simul puniti, *cæteri juxta insontes;* vide ad V, 6, n. 3. — *Aut latuit,* latebras quæsivit in amicorum ædibus; Ern.

Cap. VI. 1. *Quod unum vinculum,* etc., qui solus perfecerat, ut societas cum Romanis servaretur. *Omne* pro *unum* Gron. e MS Put. — Pro *itaque* legi jussit Crev. *ita* ex Puteani libro, quod hæc particula melius præced. cum seqq. connectere visa est. Quod autem Gronov. affirmat in eodem codice legi *omne vinculum,* in eo desideramus solitam viri diligentiam. Ed. — *Ad defectionem res spectabat;* vide ad I, 9, n. 3. Verba seqq. lucent coll. Polyb. VII, 2. *Legatique ad Hannibalem missi,* Polyclitus Cyrenensis et Philodemus Argivus (confer XXV, 25, 28), *ac remisso ab eo cum Hannibale, nobili adolescente* Carthaginiensi, trierarcho (qui mox, suadente Hieronymo, cum ejus legatis Carthaginem profectus est : unde in seqq. capp. nulla ejus mentio fit), *Hippocrates et Epicydes,* fratres, *oriundi ab Syracusis,* et *nati Carthagine,* quo migraverat *avus,* quia Agatharcho, uni e filiis Agathoclis, manus intulisse putabatur.

2. *Nec invito Hannibale apud tyrannum m.,* forte leg. *nec invito illo*

ludibrium auditi dimissique sunt ab quærente per jocum Hieronymo[3], *quæ fortuna eis pugnæ ad Cannas fuisset; vix credibilia enim legatos Hannibalis narrare. Velle, quid veri sit, scire, ut ex eo, utram spem sequatur, consilium capiat.* Romani, *quum serio legationes audire cœpisset, redituros se ad eum* dicentes *esse*, monito magis eo, quam rogato, ne fidem temere mutaret, proficiscuntur. Hieronymus legatos[4] Carthaginem misit ad fœdus ex societate cum Hannibale faciendum. Pacto convenit[5], ut, quum Romanos Sicilia expulissent (id autem brevi fore, si naves atque exercitum misissent), Himera amnis, qui ferme insulam dividit, finis regni syracusani ac punici imperii esset. Aliam deinde, inflatus assentationibus eorum, qui eum non Hieroni tantum, sed Pyrrhi etiam regis, materni avi, jubebant meminisse, legationem misit, qua æquum censebat[6], Sicilia sibi omni cedi; Italiæ imperium pro-

*apud hunc manserunt.* Confer tamen ad I, 3, n. 8.

3. *Auditi dimissique sunt ab quærente Hieronymo*, hoc est, ita dimissi, ut quæreret ex iis, etc., ut I, 9, n. 2, *a rogitantibus dimissi*, id est, cum interrogatione, ita ut eos interrogarent; Bauer. *Utram spem sequatur*, ad utrius populi partes ac societatem cum majore spe et fiducia se applicare possit. Hæc et plura vide apud Polyb. VII, 3, unde etiam illa dictio desumpta: παλινδρομήσαντα πρὸς τὰς Καρχηδονίων ἐλπίδας. Similiter idem dixit III, 68, συνεστηκῶς ταῖς τῶν Καρχηδ. ἐλπίσι, qui adjunxit se Pœnorum spei, hoc est, partibus, et III, 69, ἐκκαλεῖσθαι τινὰ πρὸς τὴν τῶν Καρχηδ. ἐλπίδα.

4. *Hieronymus legatos*, etc. ad finem cap. deprompta e Polyb. VII, 4, qui accuratius singula tradit. — *Ad fœdus*, pacta, leges conditionesque rerum alteri parti ab altera præstandarum, postquam *societate* et amicitia juncti fuerint, *ex societate faciendum*, id est, post eam, secundum ejus vim formulamque: nam societatem cum Hannibale jam fecerant; et differunt ista, ut antecedens et consequens, ut fundamentum et ædificium, ut συμμαχία et συνθῆκαι, Bauer.

5. *Pacto convenit, ut*, etc.; vide ad I, 3, n. 4. — *Himera amnis, qui ferme insulam dividit*, major Himera, ut minor forte XXV, 40, n. 7. De utroque vide ad Sil. XIV, 232 seq. — *Hieronis et Pyrrhi* avorum: nam Gelo, Hieronymi pater, erat filius Hieronis, et uxorem duxerat Nereidem, filiam Pyrrhi, regis Epiri.

6. *Qua æquum censebat*, per quam postulabat, volebat, ἠξίωσε, nisi cum aliis *quia* legere malis, aut *æquum*

prium quæri carthaginiensi populo. Hanc levitatem ac jactationem animi[7] neque mirabantur in juvene furioso, neque arguebant, dummodo averterent eum ab Romanis.

VII. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium[1] fuerunt: nam quum, præmissis Hippocrate atque Epicyde cum binis millibus armatorum ad tentandas urbes[2], quæ præsidiis tenebantur romanis, et ipse in Leontinos cum cætero omni exercitu (erant autem ad quindecim millia peditum equitumque) profectus esset; liberas ædes[3] conjurati (et omnes forte militabant) imminentes viæ angustæ, qua descendere ad[4] forum rex solebat, sumpserunt. Ibi, quum instructi armatique cæteri transitum exspectantes starent, uni ex eis (Dinomeni fuit nomen), quia custos corporis erat,

*censere* suo sensu accipere; Bauer. — *Sicilia sibi omni cedi* optimi MSS. *Siciliam sibi omnem c.* edd. ante Gron.; vide ad XXII, 25, n. 8.

7. *Jactationem animi*, jactantiam, arrogantiam.

Cap. VII. 1. *Præcipitia ad exitium;* vide ad Præf. n. 13.

2. *Ad tentandas urbes;* vide ad IX, 35, n. 1. — *Leontini*, seu Leontium (hodie *Lentini*), Siciliæ opp. in ora maris, de quo vide Polyb. VII, 6 (qui et conf. h. l.), et ad Sil. XIV, 125 sq.

3. *Liberas ædes*, vel tales, quibus cuilibet uti licet, id est, ædes hospitales, hospitia communia, deversoria, xenodochia; vel tales, in quibus advena, seu peregrinus non cum domino simul, sed solus habitat, quæ totæ ejus arbitrio permissæ sunt: quæ XXV, 10, n. 3, *vacuæ ædes* dicuntur; Str. Immo quæ non habitantur, et hinc excipiendis hospitibus patent; *die Verschwornen bezogen ein ledig stehendes Haus*, oder *nahmen ihr Quartier in einem ledig stehenden Hause, welches an einer engen Gasse lag;* Doer. Mea potius qualicumque sententia ex h. l. et XXX, 17 extr. XXXV, 23 extr. XLII, 6, et Plaut. Mil. gl. III, 1, 82, probabilius fit, *ædes liberas* esse habitationem gratuito, vel publicis sumptibus datam, quæ nobis *freie Wohnung, freies Quartier* dicitur, et *hospitium* XLV, 23, et Val. Max. V, 1, 1; forte et *loca;* quæ tamen ab *ædibus liberis* distinguuntur XXX, 17, et XXXV, 23. Ea data *conjuratis: et*, nam (vide XXIII, 44, n. 4), *omnes forte militabant*, militibusque, in præsidio alicubi collocatis, ea danda est. Ipsi autem *sumpsere*, seu elegere *ædes imminentes viæ angustæ*, utpote consilio exsequendo idoneas. Confer ad XXVIII, 39, n. 6.

4. *Descendere ad forum*, quod in plana erat convalle, per mediam urbem porrecta; vide Polyb. VII, 6. — *Transitum exspectantes*, sc. regis per angustam viam; nisi leg. *transeuntem:*

partes datæ sunt, ut, quum appropinquaret januæ rex, per causam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. Ita, ut convenerat, factum est. Tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo [5], moratus turbam Dinomenes, tantum intervalli fecit, ut, quum in prætereuntem sine armatis regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus, quam succurri posset. Clamore et tumultu audito, in Dinomenem, jam haud dubie obstantem, tela conjiciuntur: inter quæ tamen, duobus acceptis vulneribus, evasit. Fuga satellitum, ut jacentem videre regem, facta est. Interfectores pars in forum ad multitudinem lætam libertate, pars Syracusas pergunt, ad præoccupanda Andranodori regiorumque aliorum consilia [6]. Incerto rerum statu, Ap. Claudius, bellum oriens ex propinquo quum cerneret, senatum literis certiorem fecit, Siciliam carthaginiensi populo et Hannibali conciliari. Ipse adversus syracusana consilia, provinciam regnique fines omnia convertit præsidia. Exitu anni ejus Q. Fabius ex auctoritate senatus Puteolos, per bellum [7] cœptum frequentari

sed sic etiam apud Cic. ad Div. VI, 20, *adventibus* pro *advenientibus;* Ernest.

5. *Tanquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo,* dum pedem in altum attrahebat, et nodum, sive vincula, quibus nimis arcte constringerentur calcei, se relaxaturum esse simulabat; Doering.

6. *Ad præoccupanda... consilia,* prævenienda, et sic impedienda. Cf. ad I, 14, n. 3. — *Provinciam regnique fines omnia convertit præsidia* verba haud dubie corrupta. *Ad provinciæ regnique,* etc. conj. Pigh. *Provinciam firmat ad regnique,* Stroth. *Provinciam* (h. e. eam Siciliæ partem, quæ in ditione Romanorum fuit) *regnique fines omni confirmat præsidio* (ut apud Cic. de Lege Agr. I, 5), Doer. — Pighii conjecturam probant clar. Creverius et Drakenb. quos ego sequar, quia minima mutatione opus est. Postquam primo punico bello Carthaginienses Sicilia pulsi sunt, tota insula duas in partes divisa fuit, quarum altera erat *provincia* romana, altera regnum Hieronis. Ed.

7. *Q. Fabius... Puteolos, per bellum* (vid. ad II, 18, n. 1) *cœptum frequentari emporium* (vide XXI, 57, n. 7), *communiit, præsidiumque imposuit;* cf. c. 12, 13; XXV, 20, n. 2, et de *Puteolis* (quæ urbs olim dicta *Dicæarchia*, et hod. *Puzzuoli*, seu *Puzzuolo*), puteolanoque portu et *emporio*

emporium, communiit, præsidiumque imposuit. Inde Romam comitiorum causa veniens in eum, quem primum diem comitialem habuit[8], comitia edixit; atque ex itinere præter urbem in campum descendit. Eo die quum sors prærogativæ[9] Aniensi juniorum exisset, eaque T. Otacilium, M. Æmilium Regillum consules diceret, tum Q. Fabius, silentio facto, tali oratione est usus:

VIII. « Si aut pacem in Italia, aut bellum cum eo « hoste haberemus, in quo negligentiæ laxior locus « esset[1], qui vestris studiis, quæ in campum ad man- « dandos, quibus velitis, honores affertis, moram ullam « offerret, is mihi parum meminisse videretur vestræ « libertatis. Sed quum in hoc bello, in hoc hoste, nun- « quam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum « sit, eadem vos cura, qua in aciem armati descenditis, « inire suffragium ad creandos consules decet, et sibi « sic quemque dicere: Hannibali imperatori parem « consulem nomino. Hoc anno ad Capuam Jubellio « Taureæ[2] campano summo equiti provocanti sum- « mus romanus eques Asellus Claudius est oppositus: « adversus Gallum, quondam provocantem in ponte « Anienis T. Manlium, fidentem[3] et animo et viribus,

Strab. V, 4, 6, p. 245, et ad Silium, VIII, 533.

8. *In eum, quem primum diem comitialem habuit* (vide III, 11, n. 1), *comitia edixit*, non interjecto trinundino, quod alioqui inter edictum et comitia intercedebat; Duk. Conf. ad XXV, 2; III, 35, n. 1, et Gruch. de Comit. I, 4 et 6. — *Præter urbem*, non ingressus urbem, sed eam extra pomœrium transgressus, *in campum* Martium *descendit;* Doering. Conf. ad II, 54, n. 13.

9. *Quum sors prærogativæ Aniensi juniorum exisset;* vide III, 51, n. 3, et XXI, 42, n. 2. Conf. loc. sim. XXVI, 22.

Cap. VIII. 1. *Negligentiæ laxior locus esset;* vide ad II, 34, n. 13. — *In campum* Martium, locum comitiorum. — *Moram ullam offerret:* ita, an *afferret*, legas, decerni vix potest, ut apud Ovid. Fast. IV, 143, *apposita*, an *opposita;* Bauer. Sed h. l. præferendum *offerret* ob præc. *affertis*.

2. *Jubellio Taureæ*, etc. Vide ad XXIII, 46, 47.

3. *T. Manlium, fidentem*, etc.; vid.

« misere majores nostri : ob eamdem causam haud « multis annis post fuisse non negaverim, cur M. Vale- « rio non diffideretur, adversus similiter provocantem « arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodum « pedites equitesque optamus, ut validiores, si minus, « ut pares hosti habeamus; ita duci hostium parem « imperatorem quæramus. Quum, qui est summus « in civitate dux, eum legerimus; tamen repente le- « ctus, in annum creatus, adversus veterem ac perpe- « tuum imperatorem comparabitur, nullis neque tem- « poris, neque juris inclusum angustiis, quo minus ita « omnia gerat administretque, ut tempora postulabunt « belli. Nobis autem in apparatu ipso, ac tantum in- « choantibus res, annus circumagitur. Quoniam, qua- « les viros creare vos consules deceat, satis est dictum; « restat, ut pauca de eis, in quos prærogativæ [4] favor « inclinavit, dicam. M. Æmilius Regillus flamen est « Quirinalis, quem neque mittere ab sacris, neque re- « tinere possumus, ut non deum aut belli deseramus « curam. Otacilius sororis meæ filiam uxorem atque ex « ea liberos habet. Cæterum non ea [5] vestra in me ma- « joresque meos merita sunt, ut non potiorem priva- « tis necessitudinibus rem publicam habeam. Quilibet « nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare

VII, 10. — *Ob eamdem causam*, sc. quod Valerium Gallo in certamine parem futurum esse sibi persuasum habebant Romani : sed vel delendum τὸ *ob*, vel, quia omnes codd. id servant, *factum* ante *fuisse* excidit; Doering. — *M. Valerio*, etc.; vide VII, 25.

4. *Prærogativæ favor;* cf. ad cap. 7, n. 9. — *M. Æmilius Regillus flamen est Quirinalis* (vide ad I, 20, n. 1), *quem neque mittere ab sacris*, etc. Cf. XXXVII, 51; Epit. lib. XIX et LIX; supra ad V, 52, n. 9, et ad Tac. Ann. III, 58, n. 3; Intpp. Val. Max. I, 1, 2. Sed idem Æmilius *flamen Martialis* dicitur XXIX, 11 et 38. Hinc Pigh. Ann. ad an. 529 suspicatur, aut duos ejusdem prorsus nominis homines memorari, aut Livium in altero loco errasse. — *Ut non*, quin.

5. *Cæterum non ea*, talia (vide ad II, 29, n. 6), h. e. tam tenuia, parva, *vestra*, Patres et Quirites, *in me majoresque*, etc.

« potest : ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari « rapitur vento navis, tum viro et gubernatore opus « est. Non tranquillo[6] navigamus, sed jam aliquot pro- « cellis submersi pæne sumus. Itaque, quis ad guber- « nacula sedeat, summa cura providendum ac præca- « vendum vobis est. In minore te experti, T. Otacili, « re sumus : haud sane, cur ad majora tibi fidamus, « documenti quidquam dedisti[7]. Classem hoc anno, « cui tu præfuisti, trium rerum causa paravimus : ut « Africæ oram popularetur; ut tuta nobis Italiæ litora « essent; ante omnia, ne supplementum cum stipen- « dio commeatuque ab Carthagine Hannibali transpor- « taretur. Create consulem T. Otacilium, non dico, si « omnia hæc, sed si aliquid eorum reipublicæ præsti- « tit[8]. Sin autem, te classem obtinente, etiam, velut « pacato mari, quælibet Hannibali tuta atque integra « ab domo venerunt; si ora Italiæ infestior hoc anno, « quam Africæ, fuit : quid dicere potes, cur te potis- « simum ducem Hannibali hosti opponant? Si consul « esses, dictatorem dicendum exemplo majorum no- « strorum censeremus. Nec tu id indignari posses, « aliquem in civitate romana meliorem bello haberi, « quam te. Magis nullius interest, quam tua, T. Otacili, « non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas.

6. *Non tranquillo* mari (ut paulo ante : vel tranq. tempore, seu cælo, ut XXVI, 51, n. 4, et XXXI, 23; nisi ibi est silentio, tacito) *navigamus, sed jam aliquot procellis s. p. s.*, cladibus ad Trasimenum et Cannas.

7. *Documenti quidquam dedisti;* v. ad Præf. n. 14.

8. *Sed si aliquid eorum reipublicæ præstitit :* at vide XXIII, 41. Fabius oratorum more in causæ suæ favorem res ejus gestas elevat; Duk. et Doer. — *Quam Africæ :* in hoc nomine Africæ latet tertium ab Otacilio non effectum, quod Africam non infestarit classe; Bauer. Mox *hosti opponant*, scil. cives, populus. Sed malim *opponamus*, et deinde *censerem* cum Gron. — Nullam satis necessariam causam Gronovio fuisse cur vulgatum mutaret, judicant Crever. et Drakenb. quare priscam lectionem servaverunt, satis habentes, si conjectura in notis conspiceretur. Ed.

« Ego magnopere suadeo, eodem animo, quo[9], si stan-
« tibus vobis in aciem armatis repente delegendi duo
« imperatores essent, quorum ductu atque auspicio
« dimicaretis, hodie quoque consules creetis : quibus
« sacramento liberi vestri dicant[10], ad quorum edictum
« conveniant, sub quorum tutela atque cura militent.
« Lacus Trasimenus et Cannæ tristia ad recordationem
« exempla, sed ad præcavendum simile utili documento
« sunt[11]. Præco, Aniensem juniorum in suffragium
« revoca[12]. »

IX. Quum T. Otacilius ferociter; eum continuare consulatum[1] velle, vociferaretur atque obstreperet, lictores ad eum accedere consul jussit; et, quia in Urbem non inierat[2], protinus in campum ex itinere profectus, admonuit, cum securibus sibi fasces præferri[3]. Iterum prærogativa suffragium init; creatique in ea consules Q. Fabius Maximus quartum, M. Mar-

9. *Eodem animo, quo,* scil. imperatores delegeretis, *si stantibus vobis in aciem;* vide ad II, 14, n. 2. Forte del. *si,* aut leg. *quasi;* Bauer.

10. *Quibus sacramento l. v. dicant;* vide ad II, 4, n. 7.

11. *Lacus Trasim. et Cannæ... utili documento sunt;* nos : *eine nützliche Belehrung* (conf. ad Præfat. n. 14); et *utili* respondent *tristia;* Doer. *Utiles* 17 MSS et omnes edd. ante Crev.; *at,* vel *et* plerique MSS et edd. ante Gron. *Utilia documenta* 7 MSS et Crev. *Triste ad record. exemplar* (sic omnes MSS et edd. ante Gron), *sed ad præcavendas similes* (scil. clades, ut passim similes ellipses in aliis vocabulis, quæ non ad τὸ ῥητὸν, sed ad τὸ σημαινόμενον referuntur; de quo vide Wessel. ad Diodor. V, 54) *utiles documento sunt* (ita optimi MSS, nisi quod in iis est *præcavenda*) edidit Stroth. offensus voce *utili,* quum omne *documentum* sit *utile.*

12. *Aniensem juniorum;* vide ad cap. 7, n. 9.

Cap. IX. 1. *Continuare consulatum;* vide ad IV, 22, n. 4.

2. *Quia in Urbem non inierat,* etc. Conf. ad cap. 7 extr.

3. *Admonuit, cum securibus sibi fasces præferri;* vide ad II, 7, n. 7. — Valerius enim Publicola, quod multi notarunt, in Urbe fascibus abstulerat secures; extra urbem eas ferebant consules, ut Dionys. Hal. scribit, lib. V. Livius vero loco citato submissos sane populo fasces narrat, secures vero demptas ne verbo quidem meminit. Admonet igitur hoc loco Otacilium Fabius, ut sileat : nam quum Urbem non inierat, secures fascibus illigatas habebat, quibus occidere eum possit, si jus ineundi suffragia populo

cellus tertium. Eosdem consules cæteræ centuriæ sine variatione ulla dixerunt. Et prætor unus refectus Q. Fulvius Flaccus : novi alii creati, T. Otacilius Crassus iterum, Q. Fabius consulis filius, qui tum ædilis curulis erat, P. Cornelius Lentulus. Comitiis prætorum perfectis, senatusconsultum factum est, *ut Q. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset*[4]; *isque potissimus, consulibus ad bellum profectis, Urbi præesset.* Aquæ magnæ bis eo anno fuerunt; Tiberisque agros inundavit cum magna strage tectorum, pecorumque et hominum pernicie. Quinto anno secundi punici belli Q. Fabius Maximus quartum, M. Claudius Marcellus tertium, consulatum ineuntes, plus solito converterant in se civitatis animos : multis enim annis tale consulum par non fuerat. Referebant senes, sic Maximum Rullum[5] cum P. Decio ad bellum gallicum, sic postea Papirium Carviliumque adversus Samnites Bruttiosque et lucanum cum tarentino populum, consules declaratos. Absens Marcellus consul creatus[6], quum ad exercitum esset; præsenti Fabio, atque ipso comitia habente, consulatus continuatus. Tempus ac necessitas belli ac discrimen summæ rerum faciebant, ne quis aut in exemplum exquireret, aut suspectum cupiditatis imperii consulem haberet. Quin laudabant potius magnitudinem animi, quod, quum summo imperatore esse opus reipublicæ sciret, seque eum haud

impedire conetur. *Admonuit* igitur est minitantis. Ed. — *Iterum prærogativa suffragium iniit;* vide supra ad cap. 7, n. 9.

4. *Ut Q. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset;* vide ad II, 40, n. 9, et III, 2, n. 1. — *Tiberisque agros inundavit,* etc. Conf. Ind. et ad Tac. Ann. I, 76, n. 1.

5. *Maximum Rullum,* Q. Fabium Maximum Rullianum V, *cum P. Decio* Mure IV cos. an. Urb. 457 (vide X, 22 sq.), L. *Papirium* Cursorem II, et Sp. *Carvilium* Maximum II anno Urb. 480.

6. *Absens Marcellus consul creatus;* conf. ad IV, 42, n. 1. — *Continuatus consul.;* vid. supra ad IV, 22, n. 4. — *Discrimen summæ rerum;* v. III, 5, n. 6, et VI, 17, n. 1.

dubie esse, minoris invidiam suam, si qua ex re oriretur[7], quam utilitatem reipublicæ, fecisset.

X. Quo die magistratum inierunt consules, senatus in Capitolio est habitus : decretumque omnium primum, ut consules sortirentur compararentve inter se[1], uter censoribus creandis comitia haberet prius, quam ad exercitum proficisceretur. Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad exercitus erant, jussique in provinciis manere, Ti. Gracchus Luceriæ, ubi cum volonum exercitu[2] erat, C. Terentius Varro in agro piceno, M'. Pomponius in gallico[3] : ex prætoribus prioris anni pro prætore Q. Mucius obtineret Sardiniam, M. Valerius ad Brundisium oræ maritimæ, intentus adversus omnes motus Philippi Macedonum regis, præesset. P. Cornelio Lentulo prætori Sicilia decreta provincia ; T. Otacilio classis eadem, quam adversus Carthaginienses priore anno habuisset. Prodigia eo anno multa nuntiata sunt; quæ quo magis credebant simplices[4] ac religiosi homines, eo plura nuntiabantur : Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis[5] corvos nidum fecisse : in Apulia palmam viridem arsisse : Mantuæ stagnum effusum Mincio amni cruentum vi-

7. *Invidiam suam, si qua* (aliqua) *ex re oriretur :* immo *ea re,* vel *ex ea re,* vel *ea ex re :* non alia certe res designatur, quam de qua hic agitur; Duker. Conf. supra ad librum XXIII, cap. 47, n. 2.

Cap. X. 1. *Compararentve inter se;* vide ad III, 2, n. 1.

2. *Cum volonum exercitu;* vide ad XXII, 57, n. 12.

3. *M'. Pomponius in gallico;* vide ad XXIII, 25, n. 4. — *Obtineret,* pro *jussumque ut obtineret.*

4. *Quæ quo magis credebant simplices,* ad finem capitis; vid. I, 31, n. 1. Homo *simplex,* qui *duplici,* vel *multiplici* opponitur, est vel sincerus et candidus, vel, ut h. l., qui pro simplicitate, vel sinceritate sua nihil fraudis suspicans, facile falli potest, credulus, stultus; Doer.

5. *Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis;* conf. ad VIII, 14, n. 4. Tò *in* delendum censent intpp., quia in inscriptt. *intus ædibus* dicitur. *Intus* de cubiculo accipiebat Oudend. — *Mantua* sita ad *Mincium* flumen (hod. *Menzo*), vel potius lacum Benacum (*Lago di Mezo,* seu *Sotto, Painolo* et *Sopro*), quem efficit amnis ille, ex eo

sum: et Calibus creta, et Romæ in foro Boario sanguine pluisse: et in vico Istrico[6] fontem sub terra tanta vi aquarum fluxisse, ut serias doliaque, quæ in eo loco erant, provoluta velut impetus torrentis tulerit: tacta de cælo[7] atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, arcem in Sabinis publicamque viam, murum ac portam Gabiis. Jam alia vulgata miracula erant: hastam Martis[8] Præneste sua sponte promotam: bovem in Sicilia loquutum: infantem in utero matris in Marrucinis, *Io triumphe!* clamasse: ex muliere Spoleti virum factum: Hadriæ aram in cælo speciesque hominum circum eam, cum candida veste, visas[9] esse. Quin Romæ quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in foro visum, affirmantes quidam, legiones se armatas in Janiculo videre, concitaverunt civitatem ad arma. Qui tum in Janiculo essent, negarunt, quemquam ibi, præter assuetos collis ejus cultores, appa-

profluens. — De *Calibus* vid. ad VIII, 16, n. 1, et de *foro Boario* ad X, 23, n. 2.

6. *In vico Istrico:* in optimis MSS *Insteio*, in aliis *Instego*. Romæ fuisse vicos sic dictos, non aliunde novimus. *In vico Tusco* conj. Gron. De eo vide ad II, 14, n. 4. — *Seriæ* sunt vasa fictilia, urnæ similia (v. Colum. XII, 53), et grandia (septem enim amphorarum memorantur), quibus vinum, oleum, salsamenta, etc. condebant; Strothius. Mox *impetu* malebat Gronovius.

7. *Tacta de cælo*, h. e. fulmine,... *ædem Vulcani in campo* Martio, *et arcem in Sabinis:* ita edd. princ. quarum auctoritatem sequutus sum. *Vocem* MSS, *nucem* edd. plurimæ ex emend. Vallæ. Similiter memoratur quercus apud Virg. Ecl. I, 17, et arbor, templo Jovis propinqua, infra XXVII, 11 pr.: nam et talia a superstitione inter ostenta referuntur. Sed ea non a Livio inter prodigia publica memorari, nisi XXVII, 11, de insigni ac nota arbore, quæ non longe ab Urbe ac templo propinqua esset, monet Dukerus.

8. *Hastam Martis* (simulacri ejus) *Præneste sua sponte promotam*, indicium gravis belli; conf. ad XXI, 62, n. 2. *Moveri* et *commoveri* usitatiora sunt de hac re; Duk. — *Infantem in utero matris, Io triumphe, clamasse;* vide supra ad librum XXI, cap. 62, n. 1.

9. *Speciesque hominum circum eam, cum candida veste, visas esse;* vid. ad XXI, 62, n. 4. — *Secundum apum examen in foro visum*, postquam id visum erat. Conf. I, 4, n. 1, et XXI, 46, n. 1. Post *visum* omnes MSS et edd. ante Grut. addunt glossema:

ruisse. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata[10] sunt ex haruspicum responso : et supplicatio omnibus deis, quorum pulvinaria Romæ essent, indicta est.

XI. Perpetratis, quæ ad pacem deum[1] pertinebant, de republica belloque gerendo, et quantum copiarum, et ubi quæque essent, consules ad senatum retulerunt. Duodeviginti legionibus bellum geri placuit : binas consules sibi sumere : binis Galliam Siciliamque ac Sardiniam obtineri, duabusque Q. Fabium prætorem Apuliæ, duabus volonum Ti. Gracchum circa Luceriam præesse : singulas C. Terentio proconsuli ad Picenum, et M. Valerio ad classem circa Brundisium relinqui, et duas Urbi præsidio esse. Hic ut numerus legionum expleretur, sex novæ legiones erant scribendæ. Eas primo quoque tempore consules scribere jussi, et classem parare ; ut cum eis navibus, quæ pro Calabriæ litoribus in statione essent, centum quinquaginta longarum navium classis[2] eo anno expleretur. Delectu habito, et centum navibus novis deductis[3], Q. Fabius comitia censoribus creandis habuit : creati M. Atilius Regulus et P. Furius Philus. Quum increbresceret rumor, bellum in Sicilia esse, T. Otacilius eo cum classe proficisci jussus est. Quum deessent nautæ, consules ex senatusconsulto edixerunt, *ut, qui, L. Æmilio,*

*quod mirabile est, quia rerum,* quod suadente Lipsio ejectum.

10. *Hæc prodigia hostiis majoribus procurata;* vide ad I, 20, n. 11. — *Supplicatio omnibus deis, quorum pulvinaria,* etc.; vide ad III, 63, n. 2, et V, 13, n. 5.

Cap. XI. 1. *Ad pacem deum* exposcendam; vide ad I, 16, n. 4.

2. *Longarum navium classis;* vide ad XXI, 17, n. 5.

3. *Navibus novis deductis;* vide ad VIII, 26, n. 1. — Adjicit numerum Puteanus liber, et sic exhibet; *et C. navibus,* quod probavit, et in contextum recepit Drak. : nam per naves *quæ pro Calabriæ litoribus in statione erant,* intellig. classis quinquaginta navium, cui anno præcedenti P. Valerius Flaccus legati munere præfuerat. Ea classis hic dicitur ad centum quinquaginta naves longas expleta esse : unde manifeste centum novæ addi debuerunt. Ed.

*C. Flaminio censoribus, millibus æris quinquaginta ipse aut pater ejus census fuisset usque ad centum millia*[4], *aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo: qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas: qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.* Ex hoc edicto dati nautæ, armati instructique ab dominis, cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt. Tum primum est factum, ut classis romana sociis navalibus[5], privata impensa paratis, compleretur.

XII. Hic major solito apparatus præcipue conterruit Campanos[1], ne ab obsidione Capuæ bellum ejus anni Romani inciperent. Itaque legatos Hannibalem oratum miserunt, ut Capuam exercitum admoveret: *ad eam oppugnandam novos exercitus scribi Romæ; nec ullius urbis defectioni magis infensos eorum animos esse.* Id quia tam trepidi nuntiabant, maturandum Hannibal ratus, ne prævenirent Romani, profectus Arpis, ad Tifata in veteribus castris[2] super Capuam consedit. Inde Numidis Hispanisque ad præsidium simul castrorum, simul Capuæ relictis, cum cætero exercitu ad lacum Averni

4. *Millibus æris L... census fuisset usque ad C millia*, etc. Conf. I, 43. — *Res tanta*, sc. familiaris. — *Decies* centena millia *æris* seu assium fere 320000 imperialium nostri argenti, si ratio ad æs grave exigitur; Stroth. — Creverius quoque æs grave intelligit, censetque L millia æris paria esse denariis 5000, marcis argenti nostratibus 78 cum una uncia: centum vero millia duplo æquanda, etc. Ed.

5. *Ut classis rom. sociis navalibus* (vide IX, 38, n. 1) *compleretur* voc. prop. ut gr. πληροῦν, unde socii navales τὸ πλήρωμα, vel τὰ πληρώματα, Stroth. Hinc et cohors sociorum naval. ac remigum, quorum numerus certus requiritur, Cic. Verr. V, 51, et al. *numerus* vocatur; Doer. Cf. Scheff. de Mil. nav. II, 3, p. 105. — *Privata impensa*, privatorum impensis.

Cap. XII. 1. *Conterruit Campanos*, iis timorem, seu metum injecit, *ne*, etc. Sic *terruit ne*, apud Hor. Od. I, 2, 5.

2. *Ad Tifata, in veteribus castris;* vide ad XXIII, 36 pr. — *Ad lacum Averni;* vide ad Sil. VI, 154; XII, 116 seq.

per speciem sacrificandi[3], re ipsa ut tentaret Puteolos quodque ibi præsidii erat, descendit. Maximus, postquam Hannibalem Arpis profectum, et regredi in Campaniam, allatum est, nec die nec nocte intermisso itinere, ad exercitum redit: et Ti. Gracchum ab Luceria Beneventum copias admovere, Q. Fabium prætorem (is filius consulis erat) Luceriam[4] Graccho succedere jubet. In Siciliam eodem tempore duo prætores profecti, P. Cornelius ad exercitum, Otacilius, qui maritimæ oræ reique navali præesset; et cæteri in suas quisque provincias profecti: et, quibus prorogatum imperium erat, easdem, quas priore anno, regiones obtinuerunt.

XIII. Ad Hannibalem, quum ad lacum Averni esset, quinque nobiles juvenes ab Tarento venerunt, partim ad Trasimenum lacum, partim ad Cannas capti, dimissique domos[1] cum eadem comitate, qua usus adversus omnes Romanorum socios Pœnus fuerat. Ii, *memores beneficiorum ejus perpulisse magnam partem se juventutis tarentinæ*, referunt, *ut Hannibalis amicitiam ac societatem, quam populi romani, mallent; legatosque ab suis missos*[2] *rogare Hannibalem, ut exercitum propius Tarentum admoveat. Si signa ejus, si castra conspecta a Tarento sint, haud ullam inter-*

3. *Per speciem sacrificandi;* vid. ad II, 32, n. 2, et VI, 14, n. 2. Sacrum verò, quod perpetravit (vide cap. 13 med.), factum forte diis inferis, ut ibidem ab Ænea, Scipione et aliis. Cf. Virg. Æn. VI, 236 sq. et Sil. XIII, 417 sq. *ut tentaret Puteolos* (vide ad IX, 35, n. 1), *quodque ibi præsidii erat;* vide supra ad cap. 7, n. 7. — *Maximus*, Q. Fabius Maximus; vide XXV, 20, n. 2. — *Arpis profectum, et regredi.* Si codd. addicerent, Drak. mallet *profectum regredi*, sed iis invitis nihil mutare ausus est. Ed.

4. *Q. Fabium prætorem Luceriam*, sc. proficisci, et *Graccho succedere.* Mox dele prius *profecti;* Gron.

Cap. XIII. 1. *Dimissique domos cum eadem comitate, qua usus adversus omnes*, etc. Conf. ad librum XXII, cap. 7 et 58.

2. *Legatosque ab suis missos*, scil. *se:* quod pron. sæpe omittitur, præcipue ubi, ut h. l., præcessit. Confer ad IV, 57, n. 1; XXII, 60, n. 5; XXIII, 3, n. 4; Drakenb. ad h. l. et Gron. ad XXVI, 39; XXX, 22, et XL, 42.

*cessuram moram, quin urbs dedatur. In potestate juniorum plebem, in manu plebis rem tarentinam esse.* Hannibal collaudatos eos, oneratosque ingentibus promissis domum ad cœpta maturanda redire jubet: se in tempore adfuturum esse: hac cum spe dimissi Tarentini. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi: urbem esse videbat, quum opulentam nobilemque, tum maritimam, et in Macedoniam opportune versam; regemque Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, quum Brundisium Romani haberent, petiturum. Sacro inde perpetrato, ad quod venerat, et, dum ibi moratur, pervastato agro cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen convertit, ad opprimendum præsidium romanum. Sex millia hominum erant, et locus munimento quoque, non natura modo, tutus. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præsidio [3], deinde, ut nihil procedebat [4], ad populandum agrum neapolitanum, magis ira quam potiundæ urbis spe, processit. Adventu ejus in propinquum agrum nolana mota est [5] plebs, jam diu aversa ab Romanis, et infesta senatui suo. Itaque legati ad arcessendum Hannibalem, cum haud dubio promisso tradendæ urbis, venerunt. Prævenit inceptum eorum Marcellus consul, a primoribus accitus: die uno Suessulam a Calibus, quum Vulturnus amnis trajicientem moratus esset, contenderat. Inde proxima nocte sex millia peditum, equitesque trecentos, qui præsidio senatui essent, Nolam intromisit: et, uti a consule omnia impigre facta sunt ad præoccupandam Nolam, ita Hannibal tempus terebat; bis

3. *Ab omni parte tentato præsidio;* vide ad IX, 35, n. 1.

4. *Ut nihil procedebat* (vide ad II, 44, n. 1),...*processit;* conf. ad I, 3, n. 8. Ingrata negligentia, etsi verbis non eadem vis est.

5. *Nolana mota est plebs...accitus;* conf. XXIII, 14, 39.

jam ante nequidquam tentata re, segnior ad credendum Nolanis factus.

XIV. Iisdem diebus et Q. Fabius consul ad Casilinum tentandum[1], quod præsidio punico tenebatur, venit; et ad Beneventum, velut ex composito, parte altera Hanno ex Bruttiis cum magna peditum equitumque manu, altera Ti. Gracchus ab Luceria accessit; qui primo oppidum intravit. Deinde, ut Hannonem tria millia ferme ab urbe ad Calorem[2] fluvium castra posuisse, et inde agrum populari audivit, et ipse, egressus mœnibus, mille ferme passus ab hoste castra locat, ibique concionem militum habuit. Legiones magna ex parte volonum habebat; qui jam alterum annum libertatem tacite mereri, quam postulare palam, maluerant. Senserat tamen hibernis egrediens murmur in agmine esse quærentium, *en unquam liberi militaturi essent*[3]? scripseratque senatui, non tam quid desiderarent, quam quid meruissent: *bona fortique opera eorum se ad eam diem usum: neque ad exemplum justi militis quidquam eis, præter libertatem, deesse.* De eo permissum ipsi erat, faceret[4], quod e republica duceret esse. Itaque prius, quam cum hoste manum consereret, pronuntiat, *tempus venisse eis libertatis, quam diu sperassent, potiundæ. Postero die signis collatis dimicaturum puro ac patenti campo, ubi*

Cap. XIV. 1. *Ad Casilinum tentandum* (vide ad IX, 35, n. 1), *quod præsidio punico tenebatur;* vide ad XXIII, 20 pr.

2. *Ad Calorem fluvium* (hodie *il Calore*) quem Sabatus flum. (hodie *il Sabato*) apud Beneventum excipit. Ab hoc, vel ab oppido, ei apposito, denominati videntur *Sabatini* XXVI, 33. — *Volonum;* vide sup. ad XXII, 57, n. 12.

3. *En unquam liberi militaturi;* vide ad IV, 3, n. 6. — Usque *ad eam diem.* — *Ad exemplum justi,* perfecti, veri, legitimi (vide ad I, 4, n. 5), *militis* repræsentandum, vel laudem ejus tuendam; Doer. *Exemplum* forte modus et ratio, ut XXXI, 12 al.

4. *De eo permissum ipsi erat,* ut *faceret* (conf. cap. 16, n. 9), *quod e rep. duceret esse;* vide ad XXII, 39, n. 1. — *Puro ac patenti campo;* vide

*sine ullo insidiarum metu vera virtute geri res posset: qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberum jussurum esse: qui loco cessisset, in eum servili supplicio animadversurum. Suam cuique fortunam in manu esse: libertatis auctorem eis non se fore solum*[5], *sed consulem M. Marcellum et universos Patres; quos, consultos ab se de libertate eorum, sibi permisisse.* Literas inde consulis ac senatusconsultum recitavit: ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus. Pugnam poscebant, signumque ut daret extemplo, ferociter instabant. Gracchus, prælio in posterum diem pronuntiato, concionem dimisit. Milites læti, præcipue quibus merces navatæ in unum diem operæ libertas futura erat, armis expediendis[6] quod reliquum consumunt.

XV. Postero die, ubi signa cœperunt canere[1], primi omnium parati instructique ad prætorium conveniunt. Sole orto, Gracchus in aciem copias educit: nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem et septem millia peditum erant, maxima ex parte Bruttii ac Lucani: equites mille ducenti; inter quos pauci admodum Italici, cæteri Numidæ fere omnes Maurique. Pugnatum est et acriter, et diu. Quatuor horis neutro inclinata est pugna: nec alia magis Romanum impediebat res, quam capita hostium pretia libertati facta[2]. Nam ut

ad XXI, 21, n. 7. — *Servili supplicio;* verberibus, cruciatibus, cruce. — *Fortunam in manu esse;* vide ad V, 20, n. 1.

5. *Non se fore solum, sed* (etiam) *consulem M. Marcellum et u. P.,* ita omnes MSS et edd. ante Gronov. qui e conj. *sed* pro *et* reposuit. At Livio invitis MSS elegantia non obtrudenda; Strothius. — *Instabant;* vide ad X, 27, n. 4.

6. *Armis expediendis;* vide ad I, 52, n. 3. — *Quod reliquum,* sc. *diei fuit,* quæ verba addi in edd. ante Gron.; sed ab optimis MSS abesse, ac facile ex præc. et seq. intelligi monet Drak. *Diei* pro *quod* dedit Gron.

Cap. XV. 1. *Signa cœperunt canere;* vide ad VII, 40, n. 4.

2. *Pretia libertati facta.* Scribendum *libertatis* conjiciebat illustriss. N. Heinsius ad Ov. Her. VI, 146. Sed

quisque hostem impigre occiderat, primum capite ægre inter turbam tumultumque abscidendo tempus terebat : deinde, occupata dextra tenendo caput, fortissimus quisque pugnator esse desierat : segnibus ac timidis tradita pugna erat. Quod ubi tribuni militum Graccho nuntiaverunt, *neminem stantem jam vulnerari hostem, carnificari jacentes, et in dextris militum pro gladiis humana capita esse :* signum dari propere jussit, *projicerent capita invaderentque hostem. Claram satis et insignem virtutem esse : nec dubiam libertatem futuram strenuis viris.* Tum redintegrata pugna est, et eques etiam in hostem emissus : quibus quum impigre Numidæ concurrissent, nec segnior equitum, quam peditum, pugna esset, iterum in dubium adducta res. Quum utrimque duces, Romanus Bruttium Lucanumque, toties a majoribus suis victos subactosque; Pœnus mancipia romana et ex ergastulo militem verbis obtereret[3]; postremo pronuntiat Gracchus, *esse nihil, quod de libertate sperarent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent*

XVI. Ea demum vox ita animos accendit, atque renovato[1] clamore, velut alii repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, ut sustineri ultra non possent. Primo antesignani Pœnorum, deinde signa per-

vulgatum omnes codd. defendunt, illudque dictum esse putat Drak. eodem modo quo *locus seditioni, munimentum libertati*, et similia quæ passim occurrunt. Ed. — *Primum capite ægre ... abscidendo* optimi MSS. *Capita abscindendo* edd. ante Drak. Conf. ad I, 53, n. 3, et IV, 19, n. 5. — *Quibus quum... concurrissent.* Parum usitatam hanc loquendi formam, et poetæ quam historico magis convenientem judicat Doujatius. Quare Drakenb. dubitat anne legendum sit *occurrissent*, quod non modo se in omnibus suis invenisse testatur Gebhardus, verum etiam præferunt Gaertn. omnesque edd. ante Aldinam; Andreas quoque et Campanus. Et hæc lectio clar. Creverio magis placuit. Ed.

3. *Verbis obt.;* v. XXIII, 43, n. 6.

Cap. XVI. 1. *Ea demum vox ira animos accendit. Renovato*, etc. bene conj. Gron. quia τὸ *atque* plerisque MSS abest. — *Primo antesignani Pœ-*

turbata, postremo tota impulsa acies; inde haud dubie terga data; ruuntque fugientes in castra, adeo pavidi trepidique, ut ne in portis quidem aut vallo quisquam restiterit, ac prope continenti agmine[2] Romani insequuti novum de integro prælium, inclusi hostium vallo, ediderint. Ibi, sicut pugna impeditior in angustiis, ita cædes atrocior fuit: et adjuvere captivi, qui, rapto inter tumultum ferro, conglobati et ab tergo ceciderunt Pœnos, et fugam impedierunt. Itaque minus duo millia hominum ex tanto exercitu, et ea major pars equitum[3], cum ipso duce effugerunt: alii omnes cæsi aut capti; capta et signa duodequadraginta: ex victoribus duo millia ferme cecidere. Præda omnis (præterquam hominum captorum) militi concessa est: et pecus exceptum est, quod intra dies triginta domini cognovissent[4]. Quum præda onusti in castra redissent, quatuor millia ferme volonum militum, qui pugnaverant segnius, nec in castra irruperant simul, metu pœnæ collem haud procul castris ceperunt. Postero die per tribunos militum inde deducti, concione militum advocata a Graccho, superveniunt. Ubi quum proconsul veteres milites primum, prout cujusque virtus atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis donasset, tunc, quod ad volones attineret, *omnes*, ait, *malle laudatos a se, dignos indignosque, quam quemquam eo die castigatum esse. Quod bonum, faustum, felixque reipublicæ ipsisque esset, omnes eos liberos esse jubere.* Ad quam vocem quum clamor ingenti alacritate sublatus esset, ac nunc

*norum, deinde sig. perturbata, postr. tota impulsa acies;* vide I, 14, n. 8; II, 20, n. 3, et VIII, 9, n. 9.

2. *Prope continenti agmine;* vid. ad I, 29, n. 5.

3. *Et ea major pars equitum;* vid. ad XXIII, 35, n. 4.

4. *Quod domini cognovissent;* vide ad III, 10, n. 1. — *Concione advocata*, omisso *militum*, dant multi. Ed.

complexi inter se gratulantesque, nunc manus ad cælum tollentes, bona omnia populo romano Gracchoque ipsi precarentur; tum Gracchus : « Priusquam « omnes jure libertatis æquassem, inquit, neminem « nota strenui aut ignavi militis notasse volui [5]. Nunc, « exsoluta jam fide publica[6], ne discrimen omne virtu- « tis ignaviæque pereat, nomina eorum, qui, detrectatæ « pugnæ memores, secessionem paulo ante fecerunt, « referri ad me jubebo : citatosque singulos jurejurando « adigam, nisi queis morbus causa erit, non aliter, « quam stantes, cibum potionemque[7], quoad stipendia « facient, capturos esse. Hanc mulctam ita æquo ani- « mo feretis, si reputabitis, nulla ignaviæ nota leviore, « vos designari potuisse. » Signum deinde colligendi vasa dedit : militesque prædam portantes agentesque[8], per lasciviam ac jocum, ita ludibundi Beneventum rediere, ut ab epulis per celebrem festumque diem actis, non ex acie, reverti viderentur. Beneventani omnes turba effusa quum obviam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium. Apparata convivia omnibus in propatulo ædium[9] fuerant : ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permisit, in publico

5. *Neminem nota strenui aut ignavi militis notasse volui*, forte *notare*. Dictio hæc petita a nota censoria, quæ plerumque, nec tamen semper, ad ignominiam pœnamque pertinebat, et pro iis ponitur. Mox *nota designare* eodem sensu dicitur : nam *notare aliquem* propr. est, eum ita insignire, ut agnosci queat et ab aliis discerni. Conf. ad XXXIX, 42, n. 4.

6. *Exsoluta jam fide publica;* vide ad III, 19, n. 1.

7. *Non aliter, quam stantes, cibum potionemque capturos*, etiam in cœna : nam vulgo omnes stantes prandebant; Duk. Conf. Lips. Mil. rom. V, 16, 18, et Schel. ad Polyb. c. 10. Hinc mox : *epulati sunt alii accubantes, alii stantes*. De ipsa *mulcta*, h. e. pœna (vide ad II, 52, n. 5), conf. ad III, 29, n. 1. — *Colligendi vasa;* vide ad I, 24, n. 7.

8. *Prædam portantes agentesque;* vide ad III, 37, n. 4.

9. *In propatulo ædium;* vide ad V, 13, n. 6. — *Gracchus ita*, oratus, *permisit*, ut *in publico e. o.* Confer ad cap. 14, n. 4, et ad II, 24, n. 6.

epularentur omnes: ante suas quibusque fores prolata omnia. Pileati aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt; alii accubantes, alii stantes, qui simul ministrabant vescebanturque. Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex mulctatitia pecunia[10] faciendam curavit dedicavitque.

XVII. Dum hæc ad Beneventum geruntur, Hannibal, depopulatus agrum neapolitanum, ad Nolam castra movet[1]. Quem ubi adventare consul sensit, Pomponio

— *Pileati:* nam pileus, h. e. *lana alba*, qua *caput velabatur*, erat libertatis insigne, quod servi manu missi accipiebant: unde cap. 32 extr. *servi ad pileum vocati*, i. e. promissa libertate ad arma capienda excitati. Hinc etiam XXX, 45, n. 4, et XXXVIII, 55, n. 2. Q. Terentius Culleo, captivitate liberatus a Scipione (vide XXX, 43), tum triumphantem libertatis auctorem *pileo capiti imposito*, sequutus, tum mortui funus prosequutus dicitur; et XXXIII, 23, *Coloni pileati* vocantur, quasi liberti imperatoris; et XLV, 44 extr. *Polybius tradit, Prusiam pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi romani ferre, et ideo insignia ordinis ejus gerere:* nam manu missi *raso capite calvi capiebant pileum;* vide Polyb. XXX, 16, et qui ex eodem fonte hauserunt, Diodor. Ecl. XXII de Legat. tom. II, p. 625, ed. Wessel. et Appian. Mithrid. II. Cf. infra XXXIV, 52 extr. Plaut. Amph. I, 1, 306; Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 564. Nonius: *qui liberi fiebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere; nam naufragio liberati vel qui e morbo periculoso convaluerunt, lætitiæ causa solent caput radere.* Vide ad Juvenal. XII, 81. Cæterum Ursinus infra ad XLV, 44, monet, ex Diodori l. l. hoc quoque intelligi, novos libertos apud Romanos albis et vestibus et pileo olim usos fuisse, ut nunc itidem, qui ex antiqui hostis servitute, salutari aqua tincti, liberentur. — *Volones;* vide ad XII, 57, n. 12. — *Alii stantes;* conf. not. 7.

10. *Ex mulctatitia pecunia*, quam scil. censor aut potius ædilis exegerat; Stroth. Conf. Ind. voc. *pecuniam*. De *æde Libertatis* et inpr. *atrio* ejus cf. XXV, 7; XXXIV, 44; XLV, 15; Duk. ad XXV, 7, 12, et Casaub. ad Suet. Aug. 29.

Cap. XVII. 1. *Ad Nolam castra movet.* Vossius emendat *movit*, a quo dissentitur Walchius, Emend. p. 185. Sane hoc certissimum est, *dum*, qua sumitur h. l. significatione, frequentissime jungi tempori præsenti, etiam in re præterita, ideoque circumseptum videri fere temporibus historicis: modo ne quis illud sine exceptione fieri putet, aut, ubi præsenti junctum est, adjunctum ei præteritum quærat. De priore re vid. egregie monentem Voss.

proprætore cum eo exercitu, qui super Suessulam in castris erat, accito, ire obviam hosti parat nec moram dimicandi facere. C. Claudium Neronem cum robore equitum silentio noctis per aversam maxime ab hoste portam[2] emittit; circumvectumque occulte subsequi sensim agmen hostium jubet, et, quum coortum prælium videret, ab tergo se objicere. Id errore viarum, an exiguitate temporis, Nero exsequi non potuerit, incertum est. Absente eo quum prælium commissum esset, superior quidem haud dubie Romanus erat: sed, quia equites non adfuere in tempore, ratio compositæ rei[3] turbata est. Non ausus insequi cedentes Marcellus, vincentibus suis signum receptui dedit. Plus tamen duo millia hostium eo die cæsa traduntur: Romani minus quadringentis. Solis fere occasu Nero, diem noctemque nequidquam fatigatis equis hominibusque, ne viso quidem hoste rediens, adeo graviter est ab consule increpitus, ut per eum stetisse diceret[4], quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades. Postero die Romanus in aciem descendit: Pœnus, tacita etiam confessione victus, castris se tenuit. Tertio die, silentio noctis, omissa spe Nolæ potiundæ, rei nunquam prospere tentatæ, Tarentum ad certiorem spem proditionis proficiscitur.

XVIII. Nec minore animo res romana domi, quam

ad Virg. Ge. IV, 560. Ed. — *Pomponio proprætore;* cf. XXIII, 25, n. 4. — *C. Claud. Neronem.* Prænomen ex codice Putean. adjecit Crever., quem alii editores sequuti sunt, quum in reliquis interseptum sit a prima litera vocis sequentis. Ed.

2. *Per aversam m. ab hoste port.;* vide ad III, 5, n. 3.

3. *Ratio compositæ rei;* nos: *der verabredete Plan:* Stroth. — *Romani* cæsi *minus quadringentis;* forte *quadringenti,* ut *plus duo millia,* more Livii, nec tamen perpetuo. Conf. ad III, 64, n. 5, et IV, 52, n. 6.

4. *Ut per eum stetisse diceret* (vide ad II, 31, n. 7), *quo minus accepta redderetur hosti clades;* vide ad III, 60, n. 5. — Hæc inclyta ad Nolam pugna ostendit, quantum Romani, duce Marcello, vires jam et animos fortunamque receperant. Ed.

militiæ, gerebatur[1]. Censores, vacui ab operum locandorum cura, propter inopiam ærarii, ad mores hominum regendos animum adverterunt castigandaque vitia, quæ, velut diutinis morbis ægra corpora ex se gignunt, nata bello erant. Primum eos citaverunt, qui post cannensem pugnam rempublicam deseruisse Italiaque excessisse velle[2] dicebantur. Princeps eorum L. Cæcilius Metellus quæstor tum forte erat. Jusso deinde eo cæterisque ejusdem noxæ reis causam dicere, quum purgari nequissent, pronuntiarunt, verba orationemque eos adversus rempublicam habuisse, quo conjuratio deserendæ Italiæ causa fieret. Secundum eos[3] citati nimis callidi exsolvendi jurisjurandi interpretes; qui captivorum, ex itinere regressi clam in castra Hannibalis, solutum, quod juraverant redituros, rebantur. His superioribusque illis equi adempti[4], qui publicum equum habebant; tribuque moti, ærarii omnes facti. Neque senatu modo aut equestri ordine regendo cura se censorum tenuit. Nomina omnium ex juniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio justa militiæ[5], neque morbus causa fuisset : et ea supra duo millia nominum in ærarios relata, tribuque omnes moti. Addi-

Cap. XVIII. 1. *Res romana domi, quam militiæ, gerebatur;* vide ad II, 64, n. 3, et I, 34, n. 15. — *Operum locandorum cura;* v. ad V, 23, n. 6. — *Ex se gignunt,* sc. vitia; Drak.

2. *Remp. deseruisse Italiaque excessisse velle* pro : *deserere* et *excedere voluisse;* Strothius. De re ipsa et de *L. Cæcilio Metello* vide sup. ad librum XXII, cap. 53.

3. *Secundum eos* (vide I, 4, n. 1) *citati nimis callidi...rebantur;* vide XXII, 61. — *Exsolvendi jurisjurandi,* ut mox : *solutum, quod juraverant.* Conf. supra ad librum III, cap. 19, n. 1.

4. *Equi adempti;* conf. Ind., Suet. Calig. 16; Gell. IV, 12, 20. In recognitione seu recensione et probatione equitum, quam censores singulis lustris instituebant, equites *vel vendere* vel *traducere equum* jubebantur. Conf. Drak. — *Publicum equum;* v. I, 43, et V, 7. — *Tribu moti, ærarii omnes facti;* vide IV, 24, n. 5.

5. *Vacatio justa militiæ, n. m.;* v. IV, 26, n. 7. Mox totum *supra duo millia* substantive accipitur; Str.

tumque inerti censoriæ notæ[6] triste senatusconsultum: ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus merérent, mitterenturque in Siciliam ad cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non prius, quam pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat. Quum censores, ob inopiam ærarii, se jam locationibus abstinerent ædium sacrarum tuendarum[7] curuliumqne equorum præbendorum ac similium his rerum; convenere ad eos frequentes, qui hastæ hujus generis assueverant[8], hortatique censores, ut omnia perinde agerent, locarent, ac si pecunia in ærario esset: neminem, nisi bello confecto, pecuniam ab ærario petiturum esse. Convenere deinde domini eorum, quos Ti. Sempronius ad Beneventum manu emi-

6. *Inerti censoriæ notæ*, quæ ignominiam tantum inurebat, neque simul injungebat quid molestiæ bellicorumque laborum, et quidem temporibus iis, quibus inopia erat liberorum capitum (conf. XXII, 57 extr.), et resp. maxime in bellis indigebat civium opera. Hinc *additum triste senatusconsultum, ut*, etc. Pro *inerti* in plerisque MSS legitur *merci, merici, meri, tamerici, marti*. Hinc viri docti conj. *tam amaræ, inertiæ* (ob inertiam inustæ; ut putant), *tam tetricæ; tam atroci, tam truci, Mamerci* (ut hæc nota a Mamerco Æmilio, quem censores primum ea notaverint, per proverbium sic dicta sit, ut *imperia Manliana* aliaque ab eo, qui illa primus vel fecerit vel passus sit), et *insuper*. Omnibus his præferenda lectio vulgata, ejusque depravationes haud dubie sunt ea, quæ MSS exhibent: nam nullas pæne literas librarii sæpius permutarunt, quam *in* et *m*. — *Pedibus mererent* (vide ad III, 24, n. 4) arma et militiam mutantes, h. e. ab honestiore ejus genere transscripti in humilius et simul onerosius, equites in peditum, pedites in funditorum numerum relati. Cf. infra ad XXV, 6, n. 10; Frontini Strat. IV, 1, 18 et 31; Val. Max. II, 7, 4 et 15.

7. *Se locationib. abstinerent ædium sacrarum tuendarum;* vide ad V, 23, n. 6, et VI, 4, n. 4. — *Curules equi*, ut ex Festo, ex glossar. vett. græcolatinis et codice tam Theodos. quam Justin. patet, sunt equi quadrigales, ad vehendas quadrigas in ludis circensibus publice *præbendi*, vel ab redemptoribus, pretio a locantibus censoribus ex ærario accepto. Stroth. Conf. Duker. — *Ac similium his rerum* locandarum; vide ad V, 23, n. 6.

8. *Qui hastæ hujus generis assueverant*, redemptioni in auctione: nam opera publica exstruenda aliaque negotia, hasta a censoribus posita, ut et apud nos, auctione quadam facta, minimum postulanti locabantur; Str. Confer infra ad IV, 53, n. 4, et V, 23, n. 6.

serat[9] : arcessitosque se ab triumviris mensariis[10] esse dixerunt, ut pretia servorum acciperent : cæterum non ante, quam bello confecto, accepturos esse. Quum hæc inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam ærarii fieret; pecuniæ quoque pupillares primo, deinde viduarum, cœptæ conferri; nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus, qui deferebant, quam in publica fide[11]. Inde, si quid emptum paratumque pupillis ac viduis foret, a quæstore perscribebatur[12]. Manavit ea privatorum benignitas ex urbe etiam in castra, ut non eques, non centurio stipen-

9. *Ad Beneventum manu emiserat*, e potestate dominorum, h. e. libertate donaverat. De re vide cap. 16.

10. *Ab triumviris mensariis;* vide ad VII, 21, n. 3.

11. *Quam in publica fide;* vide ad II, 30, n. 1.

12. *A quæstore perscribebatur;* sc. solvendum; ut apud Hor. Sat. II, 3, 69, *scribe decem a Nerio :* nam quæstor, tanquam debitor, a tutoribus pupillorum ac viduarum per scripturam delegabatur creditoribus, a quibus pupillis viduisque aliquid emptum paratumque erat, ut hi pretia illarum rerum a quæstore ex pecuniis pupillaribus ac viduarum, apud ærarium depositis, reciperent. Conf. ad Suet. Cæs. 42. Plerumque quidem *perscribere argentum* dicitur debitor, qui per argentarium et scripturam mensæ creditori solvit. « Tum *a quæstore perscribebatur* est : quæstor creditoribus pupillorum ac viduarum, quod ab his debebatur per scripturam mensæ ab argentario solvebat, qui deinde pecuniam illam a quæstore et ærario repeteret. Sed dubito nonnihil, an hæc sit sententia Livii. Nam quo ambages illas in hac re? et cur quæstor ipse non malebat creditoribus pupillorum ac viduarum satisfacere, quam eos ad argentarium, deinde ab ærario, quod his solverat, repetiturum, mittere? » Duk. Sed puto, eos nunc a quæstore pro pretio modo scripturam, finito demum bello pecuniam ipsam recepisse : *perscribere* autem *pecuniam* modus solvendi erat, non parata pecunia, sed literis, quibus solutio in mensarium (vide ad VII, 21, n. 3) aut alium quemdam conferebatur, quod nos dicimus *Wechsel, Staatsbillets ausstellen, die Zahlung assigniren;* Str. Cicero eodem sensu dicit *attribuere pecuniam* et *per attributionem solvere*, ut nos *per assignationem*. Cf. Ernesti Clav. Ciceron. in v. *attributio, attributus, perscribere;* et Intpp. Sueton. Cæs. 42, ubi quidam hoc verbum accipiunt non de solutione, sed satisfactione, quum debitor (qui h. l. quæstor est) creditori cavebat datis pigneribus, vel hypothecis, vel alio quocumque modo. Eodem h. l. referendum videtur. Cæterum *attribuere pecuniam* est etiam assignare, germ. *anweisen*, XL, 46, 51; XLIV, 16. Conf. Varr. Ling. lat. IV, 42, et Ascon. ad Cic. Verr. I, 13.

dium acciperent, mercenariumque increpantes vocarent, qui accepisset.

XIX. Q. Fabius consul ad Casilinum castra habebat, quod duum millium Campanorum et septingentorum militum Hannibalis tenebatur præsidio. Præerat Statius Metius[1], missus ab Cn. Magio Atellano, qui eo anno medixtuticus erat[2], servitiaque et plebem promiscue armabat, ut castra romana invaderet, intento consule ad Casilinum oppugnandum. Nihil eorum Fabium fefellit : itaque Nolam ad collegam mittit[3], *altero exercitu, dum Casilinum oppugnatur, opus esse, qui Campanis opponatur. Vel ipse, relicto Nolæ præsidio modico, veniret, vel, si eum Nola teneret, et necdum securæ res ab Hannibale essent, se Ti. Gracchum proconsulem a Benevento acciturum.* Hoc nuntio Marcellus, duobus militum millibus Nolæ in præsidio relictis, cum cætero exercitu Casilinum venit, adventuque ejus Campani, jam moventes sese, quieverunt. Ita a duobus consulibus Casilinum oppugnari cœptum. Ubi quum multa, succedentes temere mœnibus, romani milites acciperent vulnera, neque satis inceptis succederet[4], Fabius, omittendam rem

Cap. XIX. 1. *Statius Metius*, præn. duo (quod dubium): unde ex vet. libro forte leg. *S. Minius;* Sigon. Conf. ad XXIII, 8, n. 1.

2. *Medixtuticus erat;* vide supra ad XXIII, 35, n. 7. — Lipsius, lib. I, Ep. Quæst. 19, talia de hoc verbo adnotat : « Non dubitandum ultra censeo, quin summi apud Campanos magistratus nomen ubique *medixtutichus* scribendum sit; primum ex fide libri mei veteris in quo ita legere est : deinde auctoritate Ennii apud Fest. : *Summus ubi capitur medix, occiditur alter*. Interpretatur Festus, ap. Oscos nomen magistratus. Vellem et hoc addidisset, truncatam vocem ab Ennio, ut solet. Quod ait, apud Oscos, non movebit : quum Oscorum gens in Campaniæ parte fuerit, et quamvis gens ipsa perierit, lingua tamen manserit. » Ed.

3. *Nolam ad collegam mittit*, etc.; vide ad VIII, 19, n. 10. — *Se Gracchum a Benevento acciturum*, immo adsciturum; Ern. Conf. IV, 31, n. 6. — *Hoc nuntio*, scil. perlato vel accepto; nisi leg. *nuntiato*.

4. *Inceptis succederet;* vide ad VIII, 25, n. 6. Ad negligentiam orationis

parvam ac juxta magnis difficilem, abscedendumque inde censebat, quum res majores instarent. Marcellus, multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse, dicendo, quia magna famæ momenta in utramque partem[5] fierent, tenuit, ne irrito incepto abiretur. Vineæ inde omniaque alia operum machinationumque genera quum admoverentur, Campanique Fabium orarent, ut abire Capuam tuto liceret; paucis egressis, Marcellus portam, qua egrediebantur, occupavit, cædesque promiscue omnium circa portam primo, deinde, irruptione facta, etiam in urbe fieri cœpta est. Quinquaginta fere primo egressi Campanorum, quum ad Fabium confugissent, præsidio ejus Capuam pervenerunt. Casilinum, inter colloquia cunctationemque petentium fidem[6], per occasionem captum est. Captivi, quique Campanorum, quique Hannibalis militum erant, Romam missi, atque ibi in carcere inclusi sunt : oppidanorum turba per finitimos populos in custodiam divisa.

XX. Quibus diebus a Casilino, re bene gesta, recessum est, eis Gracchus in Lucanis aliquot cohortes, in ea regione conscriptas, cum præfecto sociorum in agros hostium prædatum misit. Eos effuse palatos Hanno adortus, haud multo minorem, quam ad Beneventum acceperat, reddidit hosti cladem[1], atque in Bruttios raptim, ne Gracchus assequeretur, conces-

refer verbum *succedere* his positum, etsi diverso significatu. — *Juxta magnis difficilem;* vide ad V, 6, n. 3.

5. *Quia magna famæ momenta in utramque partem,* bonam et malam, *fierent,* eleganter pro : quia inde tam bona quam mala ducis fama vel maxime penderet; Doer. Conf. ad III, 27, n. 6, et V, 6, n. 5. — *Tenuit;* vide ad II, 42, n. 2.

6. *Colloquia cunctationemque petentium fidem;* vide ad XXIII, 19, n. 10. — *Per occasionem;* vide ad I, 11, n. 1.

Cap. XX. 1. *Reddidit hosti cladem;* vide ad III, 60, n. 5.

sit. Consules, Marcellus retro, unde venerat, Nolam redit; Fabius in Samnium ad populandos agros recipiendasque armis, quæ defecerant, urbes processit. Caudinus Samnis gravius devastatus; perusti late agri, prædæ pecudum hominumque actæ. Oppida vi capta, Compulteria, Telesia, Compsa, Melæ, Fulfulæ et Orbitanium. Ex Lucanis Blandæ : Apulorum Æcæ oppugnatæ[2]. Millia hostium in his urbibus viginti quinque capta aut occisa; et recepti perfugæ trecenti septuaginta : quos quum Romam misisset consul, virgis in comitio cæsi[3] omnes, ac de saxo[4] dejecti. Hæc a Q. Fabio intra paucos dies gesta. Marcellum ab gerundis rebus valetudo adversa Nolæ tenuit. Et a prætore Q. Fabio, cui circa Luceriam provincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum; stativaque ad Ardoneas[5] communita. Dum hæc aliis locis ab Romanis geruntur, jam Tarentum pervenerat Hannibal, cum maxima omnium, quacumque ierat, clade : in tarentino demum agro pacatum incedere agmen cœpit. Nihil ibi violatum, neque usquam viam excessum est[6]; apparebatque, non id modestia militum aut ducis, nisi ad conciliandos Tarentinorum animos, fieri. Cæterum quum propemodo muris accessisset; nullo ad conspectum primi agminis, ut

2. *Apulorum Æcæ oppugnatæ;* vid. ad XXII, 12, n. 3.

3. *Virgis in comitio cæsi;* vide ad I, 36, n. 6.

4. *De saxo dejecti,* scil. Tarpeio; vide ad VI, 20, n. 11.

5. *Stativaque ad Ardoneas,* opp. Hirpinorum vel Apuliæ, idem forte, quod XXVII, 1, 2, *Herdonea,* et rectius XXV, 21, *Herdonia* dicitur, hodie *Ardona;* vide ad Sil. VIII, 567. *Aliis locis,* alia atque longe a Tarento diversa parte, Stroth. *aliis atque aliis locis,* hoc est, diversis, ut VI, 12; XXVII, 25; XXVIII, 35; XXX, 28, et al., conj. Jac. Gron. — *Quacumque* parte.

6. *Viam excessum est*: in edd. ante Drak. *via;* sed in MSS *vim* vel *viam;* vide ad II, 37, n. 5. Mox *nisi* pro *sed,* ut passim, præc. *non* vel *nihil* vel *nescio,* etc. Cf. Drak. — *Mur. accessisset.* Creverio magis placeret *successisset:* cujus verbi major vis est. Ed.

rebatur, motu facto, castra ab urbe ferme passus mille locat. Tarenti, triduo ante, quam Hannibal ad mœnia [7] accederet, a M. Valerio proprætore, qui classi ad Brundisium præerat, missus M. Livius, primore conscripta juventute, dispositisque ad omnes portas circaque muros, qua res postulabat, stationibus, die ac nocte plurimum intentus, neque hostibus, neque dubiis sociis loci quidquam præbuit ad tentandum. Quare diebus aliquot frustra ibi absumptis Hannibal, quum eorum nemo, qui ad lacum Averni adissent [8], aut ipsi venirent, aut nuntium literasve mitterent, vana promissa se temere sequutum cernens, castra inde movit. Tum quoque, intacto agro tarentino (quanquam simulata lenitas nihildum profuerat, tamen spe labefactandæ fidei haud absistens), Salapiam ut venit [9], frumentum ex agris metapontino atque heracliensi (jam media æstas exacta erat, et hibernis placebat locus) comportat. Prædatum inde Numidæ Maurique per sallentinum agrum proximosque Apuliæ saltus dimissi. Unde cæteræ prædæ haud

7. *Tarenti...ad mœnia* jungenda. *Missus M. Livius primore c. j.* edidit Gron. e vestigiis c. Put. *missus ibi sin priore c. j.* Pro *M. Livius* edd. ante eum substituunt *T. Valerius legatus*, quæ a MSS absunt. In his non expresse legitur *M. Livius*. Eum tamen Tarento præfectum fuisse et per quinquennium defendisse arcem, oppido ab Hannibale capto, patet ex XXVI, 39; XXVII, 25 (nam in ipsa rei narratione XXV, 8-11 et 15, nomen a Livio reticetur, quod factum ab eo putabat Sigonius, ne notam genti suæ inureret, quum constet Tarentum amissam esse culpa hujus præfecti, quem ebrium etiam tum fuisse Polyb. dicat) Plut. Apophthegm. pag. 195, et in Fabio pag. 187; Polyb. VIII, 27-32. In Polybii edd. et MSS omnibus *C. Livius* dicitur, et apud Appian. b. Hann. 32 ΙΟΥΝΙΟΣ, quod nomen ex Γ. ΛΙΒΙΟΣ corruptum putabat Oudend. ad Frontini Strat. III, 3, n. 6, sed ex Λιούϊος Schweigh. Cæterum huic M. Livio cognomen fuit *Macato*, non *Salinatori*, quod ei tribuitur a Cic. Or. II, 67, et potius cognato ejus in censura inditum; vide XXIX, 37, et Wessel. Obss. II, 5.

8. *Qui ad lacum Averni adissent* ipsum et *vanis promissis* huc traxissent, etc.; vide cap. 13 pr.

9. *Salapiam ut venit*, opp. Apuliæ, prope Aufidum flumen et Salapinam paludem, hodie *Salpe*.

multum, equorum greges maxime abacti : e quibus ad quatuor millia domanda equitibus divisa.

XXI. Romani, quum bellum nequaquam contemnendum in Sicilia oriretur, morsque tyranni duces magis impigros dedisset Syracusanis, quam causam aut animos mutasset, M. Marcello alteri consulum eam provinciam decernunt. Secundum Hieronymi[1] cædem primo tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat, vociferatumque ferociter, parentandum regi sanguine conjuratorum esse. Deinde libertatis restitutæ dulce auditu nomen crebro usurpatum, spes facta ex pecunia regia largitionis, militiæque fungendæ potioribus ducibus[2], et relata tyranni fœda scelera fœdioresque libidines adeo mutavere animos, ut insepultum jacere corpus paulo ante desiderati regis paterentur. Quum cæteri ex conjuratis ad exercitum obtinendum remansissent, Theodotus et Sosis regiis equis, quanto maximo cursu poterant, ut ignaros omnium regios opprimerent, Syracusas contendunt. Cæterum prævenerat non fama solum (qua nihil in talibus rebus est celerius), sed nuntius etiam ex regiis servis. Itaque Andranodorus et Insulam[3] et arcem et alia, quæ

Cap. XXI. 1. *Secundum Hieronymi cædem;* vide ad I, 4, n. 1.

2. *Militiæque fungendæ potioribus ducibus :* Gron. et Drak. *potioris* ex conj. Gron. incommoda : non enim de ducibus, sed de omnibus sermo est, nec tam perspicuum, quomodo ducibus, sublato Hieronymo, militia potior fuerit, quam militibus magnum fuisse discrimen militiæ fungendæ, vel tyranno ignavo et pessimo duce, vel *potioribus ducibus* in republica libera; Stroth. — *Insepultum jacere corpus;* vide ad I, 49, n. 1. — *Desiderati regis,* dilectissimi.

3. *Andranodorus et Insulam... Tycham, Achradinam :* nam Syracusarum quatuor erant partes, quarum quævis per se ipsa urbis insignis speciem præ se ferebat, *Insula,* Græce Νῆσος vel dorice Νᾶσος (unde *Nasus* XXIV, 24), inter utrumque portum, majorem et minorem, qui Laccius dicebatur (conf. cap. 36; Cic. Verr. IV, 52; V, 37, et Dorvill. ad Charit. pag. 282, 598), sita; *Tyche,* ab antiquo Fortunæ fano appellata; *Achradina,* seu *Acradina,* munitissima, amplissima et antiquior, quæ mari alluebatur validoque muro ad septemtrionem a

poterat, quæque opportuna erant, præsidiis firmarat. Hexapylo Theodotus ac Sosis post solis occasum jam obscura luce invecti, quum cruentam regiam vestem atque insigne capitis ostentarent, travecti per Tycham, simul ad libertatem, simul ad arma vocantes, in Achradinam convenire jubent. Multitudo pars[4] procurrit in vias, pars in vestibulis stat; pars ex tectis fenestrisque prospectant, et, quid rei sit, rogitant. Omnia luminibus collucent, strepituque vario complentur. Armati locis patentibus congregantur. Inermes ex Olympii Jovis templo[5] spolia Gallorum Illyriorumque, dono data Hieroni a populo romano fixaque ab eo, detrahunt, precantes Jovem, ut volens propitius præbeat sacra arma, pro patria, pro deum delubris, pro libertate sese armantibus. Hæc quoque

Tycha erat sejuncta (unde Plutarch. ἡ ἔξω πόλις aliisque urbs Syracusis propinqua dicitur), et *Neapolis*, postremo ædificata : quibus nonnulli addunt quintam *Epipolas*, locum præruptum minusque habitatum (vide Diodor. XIV, 19, et Thucyd. VI, 96), quem Dionysius muro cum urbe conjunxit. Confer XXV, 24 seq.; Diodor. XI, 67 seq.; XIII, 7 seq.; XIV, 19, n. 64; ad Sil. XIV, 181, et 641 seq.; loc. class. Cicer. Verr. IV, 52, 53; Schweigh. ad Polyb. VIII, 5, n. 2, et Cluver. Sicil. ant. I, 12. — *Quæque opportuna erant*, vide ad I, 54, n. 4. — *Hexapylos* vel *Hexapylum* et τὰ Ἑξάπυλα porta major Tychæ versus Megara et Leontinos, vel pars Tychæ, pervia insigni porta, vel pars muri portis distincta. Confer XXV, 24; Plut. Marcel. pag. 308, et Diodor. XIV, 19. Ita dicta pars urbis postrema, in qua sex portæ erant vel per eas tot egressus ex urbe, ut *Dipylon* fuit Athenis (porta major, qua ex Piræo Ceramicus et urbs intratur, de qua vide XXXI, 24, et Polyb. XVI, 25; Plut. in Pericle, pag. 168; Hesych. et Meurs. Att. Lect. III, 7, unde patet, eam ob magnitudinem ita dictam, et olim πύλας Θριασίας et *Tetrapylon* Cæsareæ in Palæstina; Vales. Confer ad cap. 32, n. 3.

4. *Multitudo pars*, partim, *procurrit* : forte *procurrunt*, et *stant*; Stroth. — *In vestibulis*; vide ad V, 13, n. 6. — Legebatur antea *in ædium vestibulis*, sed quum a cod. Putean. cujus auctoritas prægravat sola, a multisque aliis aberat vox *ædium*, in ea verso stylo utendum fuit. Ed.

5. *Inermes ex Olympii Jovis templo* : in Achradina, ubi etiam forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum prytaneum et amplissima curia fuere; vide Cic. loco laudato et confer de Olympio Diodor. XIII, 6, ibique Wessel. — *Spolia Gallorum Illyriorumque, dona data Hieroni*, socio et amico regi, *a populo romano* (quod

multitudo, stationibus per principes regionum[6] urbis dispositis, adjungitur. In Insula inter cætera Andranodorus præsidiis firmat horrea publica. Locus, saxo quadrato septus atque arcis in modum emunitus, capitur ab juventute, quæ præsidio ejus loci attributa erat, mittuntque nuntios in Achradinam, horrea frumentumque in senatus potestate esse.

XXII. Luce prima populus omnis armatus inermisque in Achradinam ad curiam convenit. Ibi pro Concordiæ ara[1], quæ in eo sita loco erat, ex principibus unus nomine Polyænus concionem et liberam et moderatam habuit : *Servitudinis indignitatisque homines expertos adversus notum malum irritatos esse. Discordia civilis quas importet clades, audisse magis a patribus Syracusanos, quam ipsos vidisse. Arma quod impigre ceperint, laudare : magis laudaturum, si non utantur, nisi ultima necessitate coacti. In præsentia legatos ad Andranodorum mitti placere, qui denuntient, ut in potestate senatus ac populi sit*[2],

notandum), *fixaque ab eo, detrahunt;* vide ad IV, 20, n. 1, et XXII, 57, n. 11. — *Volens propitius;* vide ad I, 16, n. 4.

6. *Per principes regionum*, per primarias regiones *urbis;* Stroth. — *Præsidiis firmat horrea;* vide ad XXI, 57, n. 7. — *Arcis in modum emunitus locus;* vide ad II, 7, n. 7. — *mittuntque nuntios, ... esse;* vide ad VIII, 19, n. 10.

Cap. XXII. 1. *Pro Conc. ara*, loco aptissimo ad concordiam suadendam. Verba *pro ara* infra explicantur his : *in aram Concordiæ, ex qua* pridie *concionatus erat, escendit.* Confer ad XXVI, 27, n. 4. — *Polyænus* (al. *Polynœus* et *Polyneus*) *concionem liberam habuit*, orationem, qua libere *(freimüthig)* vel cum παῤῥησίᾳ et sine metu odii offensionisque cujusquam, non obscure et dissimulanter, veros animi sensus expromeret. Confer ad Tac. Ann. II, 34, n. 1 et 4, et Juvenal. IV, 90. Hinc *liberum mendacium* est audax (vel eorum, qui pro arbitrio mentiuntur, de re ignota ei, cui narratur jactaturque, ut XXVI, 38; XXX, 32; XXXIX; 14) XXXV, 12 extr. et *libertas* παῤῥησία II, 56, et XLII, 14. — *Servitudinis* voc. apud Festum obvium, et infra XXXIX, 37, in MS Laudiano; Drak. *Servitii tædium* conj. Lips. *Servitii pœnas indignitatesque* Gron. — *Indignitatis expertos*, vide ad IV, 9, n. 4.

2. *Ut in potestate senatus ac populi sit* (vide ad II 56, n. 16), *portas*

*portas Insulæ patefaciat, reddat præsidium. Si tutelam alieni regni suum regnum velit facere, eumdem se censere, multo acrius ab Andranodoro, quam ab Hieronymo, repeti libertatem*[3]. Ab hac concione legati missi sunt. Senatus inde haberi cœptus est[4] : quod sicut, regnante Hierone, manserat publicum consilium, ita post mortem ejus, ante eam diem, nulla de re neque convocati, neque consulti fuerant. Ut ventum ad Andranodorum est, ipsum quidem movebat et civium consensus, et quum aliæ occupatæ urbis partes, tum pars Insulæ, velut munitissima, prodita atque alienata. Sed evocatum eum ab legatis Damarata uxor, filia Hieronis, inflata adhuc regiis animis ac muliebri spiritu, admonet sæpe[5] usurpatæ

*Insulæ patefaciat* (ita unus MS ut infra *patefactis Insulæ portis*, in plurimis *pateant*, et in Put. *apeat* : unde et *aperiat* conjicere possis), *reddat præsidium*, locum præsidiis firmatum, vel potius juventutem seu milites, præsidio Insulæ attributos (vide cap. 21 extr.); Stroth. *portæ I. pateant, reddat p.* omnes edd. nisi quod *recedat* pro *reddat* e conj. substituit Gron. quem Crev., Drak. et Ern. secuti sunt. Sed *reddat* est in omnibus libris tam scriptis quam editis ante Gron. et *portas* in cunctis MSS præter III aut IV. Neque tamen deseruissem lectionem Gron., si par esset librorum auctoritas.

3. *Eumdem se censere, multo acrius ab A. ... repeti libertatem*, repetendam esse; Stroth. coll. III, 28, n. 4, et XXI, 3, n. 4; vide ad XXI, 36, n. 4. Sed *censere* potius est, æquum censere, suadere. — *Ab hac concione*, id est, post eam, ea habita, aut ex ea, ex ejus sententia, *diesem Vortrage, dieser Versammlung zu Folge;* Bauer. Confer ad I, 1, n. 5.

4. *Senatus inde haberi cœptus est, quod* (id est, qui senatus) ... *manserat publicum consilium* : ad voc. *haberi* notat *senatus* conventum, congregationem, consultationem senatorum, ad voc. *consilium* sign. ipsum collegium; Bauer. Confer ad III, 40, n. 1, et XXIV, 42, n. 6. *Sicut, ita;* vide ad XXI, 39, n. 5. — *Publicum consilium... consulti fuerant;* confer ad I, 41, n. 1, et XXII, 4, n. 2. — *Velut munitissima;* forte *velm.*, Gron. « Non infeliciter; sed *velut*, ut Græce ὡς, etiam de vera re, quæ in causa sit (conf. ad V, 13, n. 8): *occupatæ urbis partes* et *proditæ;* occupatio earum et proditio : vel supple *quod erant* occupatæ; Græce τὸ κατειλῆφθαι », Bauer.; vide ad I, 53, n. 1. — *Alienata*, deserta, vel amissa. — *Damarata*, edd. ante Drak. *Demarati;* vide ad I, 34, n. 2. et XXIV, 4, n. 2.

5. *Admonet sæpe usurpatæ*, celebratissimæ, notissimæ, *Dionysii tyranni* (forte *usurpatæ Dionysio tyranno;* Duk. et Bauer.) *vocis*, etc. « cujus

Dionysii tyranni vocis, qua, *pedibus tractum, non insidentem equo, relinquere tyrannidem*, dixerit, *debere. Facile esse momento, quo quis velit, cedere possessione magnæ fortunæ : facere et parare eam, difficile atque arduum esse. Paulum sumeret*[6] *spatii ad consultandum ab legatis. Eo uteretur ad arcessendos ex Leontinis milites : quibus si pecuniam regiam pollicitus esset, omnia in potestate ejus futura.* Hæc muliebria consilia Andranodorus neque tota aspernatus est, neque extemplo accepit : tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in præsentia tempori cessisset. Itaque legatos renuntiare jussit, futurum se in senatus ac populi potestate. Postero die luce prima, patefactis Insulæ portis, in forum Achradinæ[7] venit. Ibi in aram Concordiæ, ex qua pridie Polyænus concionatus erat, escendit, orationemque eam orsus est, qua primum cunctationis suæ veniam petivit. *Se enim clausas habuisse portas, non separantem suas res a publicis, sed strictis semel gladiis timentem, qui*[8] *finis*

auctor Philistus historicus, Dionysii necessarius. Sic enim Diodor. XIV, 8 rem narrat : Quum Dionysius maxima Syracusanorum seditione oppressus atque inops consilii amicos consuluisset, et Polyxenus dixisset, δεῖν λαβόντα τὸν ὀξύτατον ἵππον εἰς τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπικράτειαν ἀφιππεῦσαι, Philistum respondisse, προσήκειν οὐκ ἐφ' ἵππου θέοντος (ita lego pro vulg. θέλοντος, nisi leg. θέλοντα) ἐκπηδᾷν ἐκ τῆς τυραννίδος, ἀλλὰ τοῦ σκέλους ἑλκόμενον προσπίπτειν. Quod consilium sequutus est Dionysius. Idem Timæo auctore refert Plut. Dion. pag. 974. Sententia est, non præcipitandam tantam rem, neque regnum temere, nec nisi ultima necessitate cogente, relinquendum. Sed quod postea in proverbium abiit, primum proprie referebatur ad illa Polyxeni verba » ; Stroth.

6. *Paulum sumeret*, peteret, *spatii*, dilationis, *ad consultandum*, deliberandum; Doer. coll. II, 4. Vox *spatii* abest ab optimis MSS, unde Gron. conj. *moræ* excidisse post *sumeret*, vel *spatium* leg. pro *paulum*.

7. *In forum Achradinæ*; vide ad cap. 21, n. 5. — *Escendit;* vide ad II, 7, n. 7. — *Orationemque eam orsus est*, orationis exordium inde fecit, ut...*peteret*, Stroth. Conf. ad II, 38, n. 3. — *Cunctationis*, forte *cunctationi;* Bauer. — *Clausas habuisse*, tenuisse.

8. *Timentem, qui finis*, etc., cum timore, trepide exspectantem. *Qui*

*cædibus esset futurus : utrum, quod satis libertati foret, contenti nece tyranni essent, an, quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent, alienæ culpæ rei trucidarentur. Postquam animadverterit*[9], *eos, qui liberassent patriam, servare etiam liberatam velle, atque undique consuli in medium*[10]*; non dubitasse, quin et corpus suum, et cætera omnia, quæ suæ fidei tutelæque essent, quoniam eum, qui mandasset, suus furor absumsisset, patriæ restitueret.* Conversus deinde ad interfectores tyranni, ac nomine appellans Theodotum ac Sosim : « Facinus, inquit, memorabile fecistis. « Sed, mihi credite, inchoata vestra gloria, nondum « perfecta est; periculumque ingens manet, nisi paci « et concordiæ consulitis, ne libera efferatur res pu- « blica[11]. »

*finis* mollius quam *quis finis;* vide ad VI, 32, n. 3.

9. *Postquam animadverterit* pro vulg. *animadvertit* dedi cum Stroth. suadentibus Gron. ac Banero, et postulante latinitate. — A Gronovii et Baueri emendatione, quæ placuit ipsi quoque Creverio, recedit Walchius, Emend. pag. 194, qui tuetur *animadvertit*, sententiamque suam multis exemplis confirmat; vide quæ notamus infra cap. 33, n. 2. Ed.

10. *Consuli in medium;* vide ad VI, 6, n. 7. — *Quæ suæ fidei tutelæque essent;* vide ad VII, 18, n. 1. — *Qui mandasset* ea sibi.

11. *Ne libera efferatur res publica* (vel simpl. *res*, quod plerique libri exhibent), non, ut VV. DD. putant, insolentius se efferat (nam ita minus aptum *ingens periculum*, et in *pace* atque *concordia* magis verendum, ne luxurientur et sese efferant animi, quam in discordia; confer I, 19, 22; 27, n. 7), sed sepeliatur, i. e. intereat, translatione a funere, quod *effertur*, desumpta (vide ad II, 16, n. 5), ne libertas reip. modo parta ad ejusdem plane interitum pertineat; Stroth. coll. XXVIII, 28, *meo unius funere elata populi rom. resp.* (et paulo ante : *mecum exspiratura resp., mecum casurum imperium*), et XXXI, 29, *Capua sepulcrum ac monumentum campani populi, elato et extorri ejecto ipso populo.* Non male : sed quia nemo τὸ *efferri* simpl. pro *interire* posuit, cum Duk. et Drakenb. malim, *ne libera*, vel potius *libertate efferatur resp.*, h. e. ne multitudo se libertate, maxime nova et insolita, insolentius efferat, eamque, dum sine modo exerceat, in licentiam convertat, ne libertas causa sit, ut insolentius se efferat : nam quod Cic. Tusc. IV, 17, dicit, is beatus est, *cui nihil nimis lætabile ad efferendum videri potest, et ratio præcipit, non bonum illud esse, quod aut cupias ardenter,*

XXIII. Post hanc orationem claves portarum pecuniæque regiæ ante pedes eorum posuit : atque illo quidem die dimissi ex concione læti, circa omnia fana deum supplicaverunt cum conjugibus ac liberis : postero die comitia prætoribus creandis habita. Creatus in primis Andranodorus; cæteri magna ex parte interfectores tyranni. Duos etiam absentes, Sopatrum ac Dinomenem, fecerunt. Qui, auditis, quæ Syracusis acta erant, pecuniam regiam, quæ in Leontinis erat, Syracusas devectam, quæstoribus ad id ipsum creatis tradiderunt; et ea, quæ in Insula erat[1] et Achradina, tradita est : murique ea pars, quæ ab cætera urbe nimis firmo munimento intersepiebat Insulam, consensu omnium dejecta est. Sequutæ et cæteræ res hanc inclinationem animorum ad libertatem. Hippocrates atque Epicydes, audita morte tyranni, quam Hippocrates, etiam nuntio interfecto, celare voluerat, deserti a militibus, quia id tutissimum ex præsentibus[2] videbatur, Syracusas rediere. Ubi ne suspecti obversarentur, tanquam novandi res aliquam occasionem quærentes; prætores primum, dein per eos senatum adeunt. *Ab Hannibale se missos* prædicant *ad Hieronymum, tanquam amicum ac socium : paruisse imperio ejus, cujus imperator suus voluerit : velle ad*

*aut adeptus efferas te insolenter.* Doer. conj. *libera efferatur resp.*, h. e. ex libera fiat effera; et Gron. *ne libertate evertatur resp.* Videant peritiores.

Cap. XXIII. 1. *Quæ in Insula erat et Achradina, trad. e.* MSS quidam : *erat, Achradinam translata est,* prob. Gron. et aliis.

2. *Id tutissimum ex præsentibus,* sc. rebus, ex iis, quæ tum fieri poterant; Strothius. Coll. Tac. Annal. II, 80 pr. — *Ubi ne suspecti obversarentur,* ne illic obversando, et oculis hominum se ingerendo suspecti fierent; Gron. Sic passim *obversari* est in medio versari, conspicere et se conspiciendum præbere. Conf. II, 54, n. 14; VI, 16, n. 4; XXXI, 11; XXXIII, 47; XXXIV, 61; XXXV, 15; XXXVIII, 1; XL, 7; XLI, 18; Gron. Obss. III, 24. *Observarentur* edd. ante Crev. solenni permutatione. — *Novandi res;* vide ad I, 52, n. 1. — *Paruisse* se *imperio ejus, cujus,* sc.

*Hannibalem redire. Cæterum, quum iter tutum sit, vagantibus passim per totam Siciliam romanis armis, petere, ut præsidii dent aliquid, quo Locros in Italiam perducantur. Gratiam magnam eos parva opera apud Hannibalem inituros.* Facile res impetrata : abire enim duces regios, quum peritos militiæ, tum egentes eosdem atque audaces, cupiebant : sed, quod volebant, non, quam maturato opus erat, naviter expediebant[3]. Interim juvenes militares et assueti militibus, nunc apud eos ipsos, nunc apud transfugas, quorum maxima pars ex navalibus sociis Romanorum erat, nunc etiam apud infimæ plebis homines, crimina serebant in senatum[4] optimatesque : *id moliri clam eos atque struere, ut Syracusæ per speciem reconciliatæ societatis in ditione Romanorum sint; dein factio et pauci auctores fœderis renovati dominentur.*

XXIV. His audiendis credendisque opportuna[1] multitudo, major in dies, Syracusas confluebat : nec Epicydi solum spem novandarum rerum, sed Andranodoro etiam, præbebat. Qui, fessus tandem uxoris

imperio se parere, etc. Delendum τὸ *ejus*, aut leg. *cui;* Gron. Durior sane omissio; at multo segnior onerosiorque iteratio foret : si *cui* dedisset Livius, mollius foret; Bauer. — Non ea est Dukeri sententia : si legas *cui* deerit certe aliquid, id est, *se parere:* si vero, deleto *ejus*, serves *imperio, cujus*, integra erit oratio, quia ex præcedentibus suppleri potest *imperio se parere.* Ed.

3. *Quod volebant non* tam *naviter* (seu *gnaviter*, strenue, unde *navare*) *expediebant*, perficiebant, *quam maturato opus erat*, quam erat maturandum, ut lib. I, 58; VIII, 13. — *Ex navalibus sociis* Romanorum; vide ad IX, 38, n. 1.

4. *Crimina serebant in senatum;* vide ad II, 1, n. 6; III, 19, n. 7.

Cap. XXIV. 1. *His audiendis credendisque opportuna*, apta, per se ita comparata, ut libenter audiret crederetque; Stroth. propensa, proclivis; Doer. apta, facilis, patens, parata; Bauer. Conf. ad I, 54, n. 4. Mox edd. pleræque ante *Epicydi* addunt *Hippocrati et*, quæ ab optimis MSS absunt. Si de collegio aut pluribus conjunctis agitur, sæpe unus tantum nominatur : quæ numeri enallage aut syllepsis et synthesis dicitur. Cf. ad Sil. III, 222, et, quæ exempla laudavit Jac. Gron., sup. XXI, 52, n. 4; inf. c. 31 (n. 2.), c. 35 (n. 4); XXVI, 2, n. 5, et c. 4 extr. De alia numeri enallage vide ad

vocibus, monentis, *nunc illud esse tempus occupandi res, dum turbata omnia nova atque incondita libertate*[2] *essent, dum regiis stipendiis pastus obversaretur miles, dum ab Hannibale missi duces, assueti militibus, juvare possent incepta*, cum Themisto, cui Gelonis filia nupta, rem consociatam paucos post dies Aristoni cuidam tragico actori, cui et alia arcana committere assuerat, incaute aperit. Huic et genus et fortuna honesta erant; nec ars[3], quia nihil tale apud Græcos pudori est, ea deformabat. Itaque, fidem potiorem ratus, quam patriæ debebat, indicium ad prætores defert. Qui ubi rem haud vanam esse certis indiciis compererunt, consultis senioribus, et auctoritate eorum præsidio ad fores posito, ingressos curiam Themistum atque Andranodorum interfecerunt; et quum tumultus ab re in speciem atrociore[4], causam aliis ignorantibus, ortus esset, silentio tandem facto, indicem in curiam introduxerunt. Qui quum ordine omnia edocuisset, et principium conjurationis factum ab Harmoniæ, Gelonis filiæ, nuptiis, quibus Themisto juncta esset; Afrorum Hispanorumque auxiliares instructos ad cædem prætorum principumque aliorum;

XXII, 4, n. 2. De *Andranodoro*, et *Themisto*, et *Harmonia, Gelonis filia*, vide ad cap. 4, n. 2. — *Occupandi res*, imperium.

2. *Incondita libertate*, inordinata, nondum composita et legibus certoque statu civitatis formata ac firmata; Gronovius: cruda, nova, *roh;* Bauer. Cf. XXVI, 40 pr. (*nova pace* cum Marcello facta *inconditas*, nondum compositas, *res componere*) XXX, 11, et ad XXI, 57, n. 11. Sic synon. dicuntur *incondita* et *incomposita* v. c. *carmina* VII, 2, et *agmina* XXI, 34, n. 3; XXX, 11; XLIV, 39. — *Regiis stipendiis pastus*, ex iis vivens, *miles obversaretur;* vide ad cap. 23, n. 2. — Mox junge *rem consociatam cum Themisto*, h. e. composita cum eo et conjuncta consilia conjurationis et imperii occupandi. Conf. XXV, 18.

3. *Nec ars* (vide V, 1, n. 2), *quia nihil tale apud Græcos pudori est*, ars scenica non inhonesta, ut apud Romanos. Cf. ad VII, 2, n. 12, et Corn. Nep. Ed. nost. p. 4. Ed. — *Rem haud vanam;* vide supra ad IV, 37, n. 4.

4. *Ab re in speciem atrociore*, ob rem. Conf. sup. ad I, 1, n. 5. Mox *vè et* post *edocuisset* delendum; Doer.

bonaque eorum prædæ futura interfectoribus pronuntiatum; jam mercenariorum manum assuetam imperiis Andranodori paratam fuisse ad Insulam rursus occupandam; singula deinde, quæ per quosque agerentur[5], totamque viris armisque instructam conjurationem ante oculos posuisset; senatui quidem tam jure cæsi, quam Hieronymus, videbantur. Ante curiam variæ atque incertæ rerum multitudinis clamor erat. Quam, ferociter minitantem in vestibulo curiæ, corpora conjuratorum[6] eo metu compresserunt, ut silentes integram plebem in concionem sequerentur. Sopatro mandatum ab senatu et ab collegis, ut verba faceret.

XXV. Is, tanquam reos ageret[1], ab anteacta vita orsus, quæcumque post Hieronis mortem sceleste atque impie facta essent, Andranodorum ac Themistum arguit fecisse. *Quid enim sua sponte fecisse Hieronymum puerum, ac vixdum pubescentem facere potuisse? Tutores ac magistros*[2] *ejus sub aliena invidia regnasse. Itaque aut ante Hieronymum, aut*

5. *Quæ per quosque ager.*, agenda essent, agi deberent, vel constitutum esset; Gron. Conf. ad III, 21, n. 3, et XXXVII, 17, n. 4. — *Incertæ rerum multitudinis;* vide ad IV, 9, n. 4.

6. *Corpora conjuratorum*, scil. projecta vel exposita; Gron. — *Eo metu*, tali, tanto. Confer ad II, 29, n. 6. — *Integram plebem*, quietam, incorruptam seditione, ut fere, etsi paulo aliter *integer populus* IX, 46, n. 17, ubi ipse expl. *fautor bonorum;* sed ubi tamen et solidam, universam plebem notare possit (at vide ibi not. 17); Bauer. Reliquam nondum animi motu corruptam, nihildum constitutum habentem, sed quæ rem integram in concione audire, atque tum de ea constituere vellet; Stroth. Conf. ad II, 5, n. 1. — *Sequerentur*, propr. *sequeretur*. Confer ad I, 41, n. 1, et XXII, 4, n. 2.

Cap. XXV. 1. *Tanquam reos ageret;* conf. ad IV, 42, n. 4, *Agebat. ab*, etc. edd. ante Drak. — *Orsus;* vide ad II, 38, n. 3. Mox alterum *fecisse* post *sponte* insititium esse, putabat Gron. sed *aut* ante *puerum* excidisse; Drak. — *Andranodorum ac Themistum;* vid. ad cap. 4, n. 2.

2. *Tutores ac magistros:* perperam omnes libri *magistratus*, et M8 Put. *magistratos;* Gron. — *Sub aliena invidia* male *regnasse*, ita ut alius, scilic. Hieronymus, invidiam mali regni habuisset.

*certe cum Hieronymo perire eos debuisse. At illos, debitos jam morti*[3] *destinatosque, alia nova scelera post mortem tyranni molitos : palam primo, quum clausis Andranodorus Insulæ portis hereditatem regni creverit, quæque procurator tenuerat, pro domino possederit; proditus deinde ab eis, qui in Insula erant, circumsessus ab universa civitate, quæ Achradinam tenuerit, nequidquam palam atque aperte petitum regnum clam et dolo affectare conatus sit, et ne beneficio quidem atque honore potuerit vinci, quum inter liberatores patriæ insidiator ipse libertatis creatus esset prætor. Sed animos eis regios conjuges regias fecisse, alteri Hieronis, alteri Gelonis, filias nuptas.* Sub hanc vocem[4] ex omnibus partibus concionis clamor oritur, nullam earum vivere debere, nec quemquam superesse tyrannorum stirpis. Hæc natura multitudinis est[5]; aut servit humiliter, aut superbe dominatur : libertatem, quæ media est, nec spernere

3. *Debitos jam morti*, eam meritos, quibus jam mors debita, jure et fato *destinata* fuisset. Conf. Virg. Æn. XI, 759; Hor. A. P. 63. *Morti destinatos* nondum sane a quoquam, sed suis meritis, sua culpa, quasi *destinandos*, scilicet qui semet destinassent suis factis, ut Rom. IX, 22 : σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, et Act. XIII, 48: τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, Bauer. — *Palam primo*. Si quis hanc periodum attente legerit, animadvertet nihil revera τῷ *primo* respondere; nam quæcumque adduntur a particula *quum* pendent. Nimirum Livius sensum respexit, accuratam verborum structuram neglexit. Ed. — *Hereditatem cernere* est proprie deliberare, utrum eam velimus adire, nec ne (unde *cretio* dicitur spatium temporis, quod ad id deliberandum datur heredi a testatore); deinde, quod hanc deliberationem fere sequitur, illam adire; Ern. in Clave Cic. Conf. Perizon. ad Sanctii Minerv. 780-795.

4. *Sub hanc vocem;* vide supra ad II, 55, n. 1.

5. *Hæc natura multitudinis est*, etc. Conf. Juvenal. X, 65-88. — *Libertatem spernere modice* dicuntur, qui sic dominis sunt obnoxii, ut non verniliter eos adulentur, neque omnem libertatem amittant, qui aliquid etiam in serviendo libertatis retinent, admittunt, audent, neque se deprimunt in extremum servitutis; *immodice*, qui serviunt humiliter, et abjiciunt se; Gron. Quidquid Gron. præter morem de *spernenda libertate* argutetur, ego tamen (conjecturam viri docti, quem refutavit) *sperare* probo; Bauer. *Nec habere sciunt;* v. XXXVIII, 52, n. 1.

modice, nec habere sciunt : et non ferme desunt irarum indulgentes ministri [6], qui avidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem et cædes irritent, sicut tum extemplo prætores rogationem promulgarunt : acceptaque pæne prius, quam promulgata, est, ut omnis regia stirps interficeretur; missique a prætoribus Damaratam Hieronis, et Harmoniam Gelonis filias, conjuges Andranodori et Themisti, interfecerunt.

XXVI. Heraclea erat filia Hieronis, uxor [1] Zoippi; qui, legatus ab Hieronymo ad regem Ptolemæum missus, voluntarium consciverat exsilium. Ea quum ad se quoque venire præscisset, in sacrarium ad Penates [2] confugit cum duabus filiabus virginibus, resolutis crinibus, miserabilique alio habitu : et ad ea addidit preces, nunc [3] *per memoriam Hieronis patris*

6. *Irarum indulgentes ministri*, aut a participio regitur genitivus, pro *iris;* aut *indulgentes* simpl. sunt obsequiosi, prompti, commodi, *willige, gefällige.* — *Plebeiorum animos.* Vox *plebeiorum* in nullis manuscriptis legitur, et est ab ingenio emendatorum. Codd. hic omnes corrupti dant aut *publicanorum*, aut *publiciorum*, aut *dominorum*, vel aliud quid simile. Sed Pal. 2, Lov. 2 habent *suppliciorum*, quod, in cod. Victor. inventum, videri posse sanum Creverius pronuntiat. Sensus ita foret : Qui semel accensi ad sævitiam, nullum suppliciis modum facere sciant. Ed. — *Sicut tum extemplo*, etc. pro : sicut et tum factum; nam extemplo, etc. Bauer. — *Damaratam Hieronis, et Harmoniam*, etc.; vid. ad cap. 4, n. 2.

Cap. XXVI. 1. *Heraclea, filia Hieronis, uxor Zoippi;* vid. ad cap. 4, n. 2. — *Voluntarium consciverat exsilium;* vide ad I, 32, n. 12, et IV, 4, n. 6. — *Præscisset venire*, scilicet missos a prætoribus. Sed leg. *veniri;* Gron. Si quid mutandum, *præsensisset* malit Bauer.

2. *In sacrarium ad penates* privatos (vide ad III, 17, n. 4) *confugit*, quorum sacrarium et ara erant in *penetralibus* ædium (conf. not. 3), vel mediis ædibus et impluvio, μεσαυλίῳ (ut *Larium* familiarium sedes propria et imagines ad focum in atrio): unde Cic. Verr. I, 19, 23 synon. *impluvium* et *medias ædes*, atque Suet. Aug. 92, *compluvium penatium* dixit. Cf. Virg. Æn. II, 512 sq., ubi similis est narratio de cæde Priami, qui, ut Heraclea, ad aram Penatium confugit, abstractusque ab ea obtruncatus est.

3. *Ad ea addidit preces, nunc*, i. e. primo rogans, ut sibi parceretur; quæ verba referenda ad ea, quæ infra sequuntur : *tum, omissis pro se preci-*

*Gelonisque fratris, ne se innoxiam invidia Hieronymi conflagrare sinerent. Nihil se ex regno illius, præter exsilium viri, habere : neque fortunam suam eamdem vivo Hieronymo fuisse, quam sororis; neque interfecto eo causam eamdem esse. Quid? quod, si Andranodoro consilia processissent, illa cum viro fuerit regnatura; sibi cum cæteris serviendum. Si quis Zoippo nuntiet, interfectum Hieronymum, ac liberatas Syracusas, cui dubium esse, quin extemplo conscensurus sit navim, atque in patriam rediturus? Quantum spes hominum falli*[4]*! In liberata patria conjugem ejus ac liberos de vita dimicare; quid obstantes libertati, aut legibus? Quod ab se cuiquam periculum, a sola ac prope vidua*[5]*, et puellis in orbitate degentibus, esse? At enim periculi quidem nihil ab se timeri : invisam tamen regiam stirpem esse. Ablegarent ergo procul ab Syracusis Siciliaque, et asportari Alexandriam juberent, ad virum uxorem, ad patrem filias.* Aversis auribus animisque, casse ne tempus tereretur, ferrum

*bus*, etc., nisi potius anacoluthon est, aut *nunc* delendum; Strothius. Forte ante *nunc* quædam excidere, v. grat. *nunc per deos;* vel pro *nunc* legendum *orans.* — Büttner, Observ. pag. 66, miratur omnes adhuc interpretes hoc loco obsessatos fuisse. Nimium acriter intuenti orationis nexum continuo apparebit verba, *nunc per memoriam... fratris*, ad narrantem scriptorem referenda esse, non, quod vulgaris distinctio exigit, ad petentem Heracleam. Hæc igitur verba cum *addidit preces* jungenda sunt : idem etiam postulat grammatica ratio; nam unde pendet *per memoriam* nisi a *preces?* Cæterum ad particulam *nunc* ἀνακόλουθος videri potest oratio, ut scite ostendit Walch. Emend. p. 186. Ed. — *Invidia Hieronymi conflagrare*, simul in perniciem trahi. Conf. ad XXII, 35, n. 3; XL, 15, n. 5, et Cic. Verr. I, 15 extr. — *Si Andranodoro consilia processissent*, successissent, exitum habuissent.

4. *Quantum spes hominum falli* ex emend. Gronov. pro vulg. *fallit:* nam transitus ab oratione obliqua ad rectam et contra, alias haud infrequens (vide ad I, 13, n. 4), in uno verbo, quum tota oratio obliqua est, et omnia uno tenore fluunt, non est ferendus; Strothius. — *Conjugem ejus*, Zoippi. Mox *quid obstantes*, etc., pro *nihil obstantes l. aut l., nullum ab se periculum*, interrogatione pro negat. posita ex vehementiori affectu; Stroth.

5. *Prope vidua* ob exsilium mariti: unde et *puellarum orbitas.* — *At enim*

quosdam expedientes[6] cernebat. Tum, omissis pro se precibus, *puellis ut saltem parcerent*, orare[7] institit: *a qua ætate etiam hostes iratos abstinere, ne, tyrannos ulciscendo, quæ odissent, scelera imitarentur.* Inter hæc abstractam a penetralibus[8] jugulant: in virgines deinde, respersas matris cruore, impetum faciunt. Quæ, alienata mente simul luctu metuque, velut captæ furore, eo cursu se ex sacrario proripuerunt, ut, si effugium patuisset in publicum, impleturæ urbem tumultu fuerint. Tum quoque haud magno ædium spatio, inter medios tot armatos, aliquoties integro corpore evaserunt[9], tenentibusque, quum tot ac tam validæ eluctandæ manus essent, sese eripuerunt: tandem, vulneribus confectæ, quum omnia replessent sanguine, examines corruerunt; cædemque per se miserabilem miserabiliorem casus fecit, quod paulo post

*periculi quidem*, etc.; vide supra ad librum III, cap. 39, n. 8.

6. *Ferrum quosdam expedientes aversis auribus animisque* a precibus, quasi non audientes eas intelligentesque (conf. ad VII, 3, n. 1; Gron. ad h. l.; Drak. ad XXXVIII, 33 extr., et Broukh. ad Tibull. III, 3, 28), *ne* precibus attendendo respondendoque *casse*, frustra (ut al. *cassum* et *incassum*; nisi alterutrum pro illo ἅπαξ λεγομένῳ reponendum), *tempus tereretur*, nimis retardaretur mandatum exsequendum. Perperam editiones ab Ascens. ad Drak. *enim*, quod ab omnibus MSS abest, inserunt post *ferrum*, et verba *ferrum... cernebat* uncinis includunt. *Ut ferrum... cernebat; tum*, etc. malebat Roell. et *cernens, tum* (quod ita haud aptum)... *institit*. Doering.

7. *Orare institit*, ut c. 46; XXV, 19; XXVI, 17, n. 6; XXVII, 2, n. 46; XXX, 12 (ubi conf. Drak.); XXXIV, 59; XXXV, 11; XXXVII, 17, n. 27; XL, 5; XLIV, 26; non ab *instare* (ut putabat Ern. in Clave Cic.), sed *insistere*, scil. mente et cogitatione, h. e. apud se cogitare, reputare, statuere (vide Heyn. ad Virg. Æn. IV, 533), deinde intentius cœpisse, aggredi. Cf. inpr. ad XXXV, 30, n. 1.

8. *Abstractam a penetralibus*; cf. not. 2. — *Alienata mente*; vide ad X, 29, n. 1. — *Eo cursu* (vide ad II, 29, n. 6) ex conj. Florebelli. In MSS et edd. ante Gron. *cursu* et *occursu*. — *Ex sacrario*; conf. not. 2. — *In publicum*; vide supra ad II, 24, n. 6.

9. *Integro corpore evaserunt*; cf. ad XXI, 32, n. 8. Verba seqq. *tenentibusque... sese eripuerunt* non exstant in MS Cantabr. et glossam redolent, ad præcedd., in quibus eadem inest sententia, adscriptam. — *Eluctandæ manus essent*, ex iis eluctandum esset.

nuntius venit, mutatis repente ad misericordiam animis, ne interficerentur. Ira deinde ex misericordia orta, quod adeo festinatum ad supplicium, neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira [10] relictus esset. Itaque fremere multitudo, et in locum Andranodori ac Themisti (nam ambo prætores fuerant) comitia poscere : quæ nequaquam ex sententia prætorum futura essent.

XXVII. Statutus est comitiis dies : quo, nec opinantibus omnibus, unus ex ultima turba Epicydem nominavit, tum inde alius Hippocratem. Crebriores deinde eæ voces, et cum haud dubio assensu multitudinis esse : et erat confusa concio, non populari modo, sed militari quoque turba, magna ex parte etiam perfugis, qui omnia novare cupiebant, permixtis. Prætores dissimulare primo, et trahenda re esse [1] : postremo victi consensu, et seditionem metuentes, pronuntiant eos prætores. Nec illi primo statim creati nudare, quid vellent; quanquam ægre ferebant, et de induciis dierum decem legatos isse ad Appium Claudium, et, impetratis eis, alios, qui de fœdere antiquo renovando agerent, missos. Ad Murgantiam [2] tum classem navium centum Romanus habebat, quonam evaderent motus ex cædibus tyrannorum orti Syracusis, quove eos age-

10. *Neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira;* conf. ad IV, 57, n. 2; XLII, 13, n. 3, et ad Tac. Ann. IV, 11, n. 3.

Cap. XXVII. 1. *Et trahenda re esse,* erant, scilicet operati, quasi pro : *trahendæ rei,* scil. dediti, vel supple *in* trahenda re; Bauer. In eo esse, id agere, ut extraherent rem; Gron. Cf. ad II, 9, n. 5, et II, 61, n. 6. *Trahendam rem* multi MSS et edd. ante Gron. *In trahenda re* conj. Duk. Forte leg. *trahendam rem censere,* vel *trahendæ rei esse.* Conf. ad III, 36, n. 4. — *Pronuntiant eos præt.* vox *eos* ab omnibus fere abest. Ed. — *Nudare, quid vellent,* h. e. manifestarunt, ut passim; vide infra XXXIII, 21, n. 6.

2. *Ad Murgantiam* h. l. non Samnii oppid., ut X, 17, n. 3, sed Siciliæ (hod. *Jaretta*), ad mare situm, non procul Syracusis, et supra ostium Symæthi, quod aliis *Morgentia,* Μοργεντία, Μοργέντιον, Μοργάντιον, Μοργαντίνα, Μοργαντῖνον, Μόργυνα, Μέργανα dicitur; vide ad Silium, XIV, 205, et Schweigh. ad Polyb. I, 8. — *Quonam evaderent,* evasuri es-

ret nova atque insolita libertas, opperiens. Per eosdem dies quum ad Marcellum, venientem in Siciliam, legati Syracusani missi ab Appio essent, auditis conditionibus pacis, Marcellus, posse rem[3] convenire ratus, et ipse legatos Syracusas, qui coram cum prætoribus de renovando fœdere agerent, misit. Et jam ibi nequaquam eadem quies et tranquillitas erat. Postquam punicam classem accessisse Pachynum[4] adlatum est, dempto timore Hippocrates et Epicydes, nunc apud mercenarios milites, nunc apud transfugas, prodi Romano Syracusas, criminabantur. Ut vero Appius naves ad ostium portus[5], quo aliæ partis hominibus animus accederet, in statione habere cœpit, ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides: ac primo etiam tumultuose decurrerat multitudo ad prohibendos, si in terram egrederentur.

XXVIII. In hac turbatione rerum in concionem vocari[1] placuit. Ubi quum alii alio tenderent, nec procul seditione res esset, Apollonides, principum

sent, *motus*, quem finem exitumve essent habituri.

3. *Posse rem convenire*, pacem; v. ad I, 3, n. 4. — *Eadem quies*, scilic. quæ antea adhuc fuisset, h. e. prior, pristina; Bauer. *Quies et tranquillitas* synonyma juncta, ut *contumeliam ignominiamque* IV, 4 extr. *improvisum, inopinatum* XXVII, 43, n. 2; (ut *improviso aggressus nec opinantes* XLIV, 35. Cf. Cic. Verr. II, 28 et 74.) *ædes ædificiaque* XXXVIII, 38, n. 8.

4. *Accessisse Pachynum*, promont. Siciliæ australe. *Prodi Romano* optimi MSS. *Romanis* edd. ante Gron.; vide ad III, 2, n. 3.

5. *Ad ostium portus* Syracusarum. — *Aliæ partis hominibus*, non ab Hippocratis et Epicydis, sed a Romanorum parte stantibus; Doer. *Aliæ* ἀρχαϊκῶς pro *alius* (ut *aliæ pecudis* bis apud Cicer. Div. II, 13; *aliæ rei* apud Lucret. III, 931; *aliæ* dat. sing. apud Plaut. Mil. III, 1, 207, passimque sic *nullæ* et *ullæ*), et hoc pro *alterius*, ut IX, 2, n. 6. Bauero id vitiosum et barbarum videtur, legendumque *alius* vel *alterius*, vel potius *suæ*. — *Hominibus animus accederet*, cresceret, augeretur, ut XL, 39, n. 3, et XLIV, 36. — *Criminibus vanis*, criminationibus. — *Decur.* ad portum.

Cap. XXVIII. 1. *In concionem vocari;* vide ad II, 55, n. 6. — *Alii alio tenderent;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Procul a seditione* edd. ante Gron. Conf. VI, 16; VIII, 32.

unus, orationem salutarem, ut in tali tempore[2], habuit, *nec spem salutis, nec perniciem propiorem unquam civitati ulli fuisse. Si enim uno animo omnes vel ad Romanos, vel ad Carthaginienses inclinent, nullius civitatis statum fortunatiorem beatioremve fore. Si alii alio trahant res, non inter Pœnos Romanosque bellum atrocius fore, quam inter ipsos Syracusanos; quum intra eosdem muros pars utraque suos exercitus, sua arma, suos habitura sit duces. Itaque, ut omnes idem sentiant, summa vi agendum esse: utra societas sit utilior, eam longe minorem ac levioris momenti consultationem esse. Sed tamen Hieronis potius, quam Hieronymi, auctoritatem sequendam in sociis legendis, vel quinquaginta annis*[3] *feliciter expertam amicitiam nunc incognitæ, quondam infideli, præferendam. Esse etiam momenti aliquid ad consilium, quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in præsentia bellum cum eis geratur: cum Romanis extemplo aut pacem, aut bellum habendum.* Quo minus cupiditatis ac studii[4] visa est oratio habere, eo plus auctoritatis habuit. Adjectum est prætoribus ac delectis senatorum militare etiam consilium: jussi et duces ordinum præfectique auxiliorum simul consulere. Quum sæpe acta res esset magnis certaminibus, postremo, quia belli cum Romanis gerendi ratio nulla

2. *Ut in tali tempore;* confer ad VIII, 80, n. 7. Mox *beatioremve fore. Si alii*, etc. ex emend. Salm. et Gron. *Creatiorem fore. Si alii alio trahant res* MS Put. Vulgo *gravioremve*, vel *gratioremve fore. Si alia alio trahat res.* Conf. ad IV, 19, n. 1, et XXIII, 8, n. 2.

3. *Vel quinq. annis*, etc. Ante *vel* excidisse *ostendere* conj. Glar. Verum *et* potius leg. pro *vel* cum Gronov. — *Nunc incogn.* cum Hannibale, nondum cognitæ, *quondam infideli*, in bello punico I. — *Ad cons.*, sc. capiendum; Stroth. — *Utique;* vide II, 30, n. 1.

4. *Quo minus cupiditatis ac studii* scilicet partium: unde *cupiditas* h. l. non videtur esse partium studium, ut apud Cic. sæpius, sed ejus, qui sibi ipse aliquid cupit ex re quadam: *je weniger absichtlich und parteiisch dieser Vortrag schien, desto mehr Ge-*

apparebat, pacem fieri placuit, mittique cum[5] eis legatos ad rem confirmandam.

XXIX. Dies haud ita multi intercesserunt, quum ex Leontinis legati, præsidium finibus suis orantes, venerunt: quæ legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam[1], ducesque ejus ablegandos. Hippocrates prætor ducere eo transfugas jussus: sequuti multi ex mercenariis auxiliis, quatuor millia armatorum effecerunt. Et mittentibus et missis ea læta expeditio fuit: nam et illis, quod jam diu cupiebant, novandi res[2] occasio data est; et hi, sentinam quamdam urbis rati exhaustam, lætabantur. Cæterum levaverunt modo in præsentia velut corpus ægrum, quo mox in graviorem morbum recideret. Hippocrates enim finitima provinciæ romanæ primo furtivis excursionibus vastare cœpit: deinde, quum ad tuendos sociorum agros missum ab Appio præsidium esset, omnibus copiis impetum in oppositam stationem[3] cum cæde multorum fecit. Quæ quum essent nuntiata Marcello, legatos extemplo Syracusas misit, qui pacis fidem ruptam esse dicerent: nec belli

*wicht hatte er;* Stroth. — *Militare consilium;* vide ad VIII, 8, n. 6. Mox verba *jussi et duces ordinum* (confer ad II, 23, n. 4.) ... *consulere* sunt forte glossa et interpretamentum, præcedentibus in marg. adscriptum.

5. *Mittique cum eis*, id est, Romanorum legatis, qui Syracusas venerant; nam *Romani* etiam dici possunt pro *Romanorum legati* (non vero h. l.), eo magis, quod statim *legatos* sequitur; Stroth. Verba *cum eis* post *placuit* aut *rem* ponenda videri, jam alii monuere.

Cap. XXIX. 1. *Ad mul. incond. ac tumultuosam exonerandam;* vide ad I, 44, n. 6; IV, 20, n. 1, et X, 6, n. 2.

2. *Nam et illis, quod jam diu cupiebant, novandi res* (vide ad I, 52, n. 1) *occasio*, etc. referendum h. l. *illis* ad proximum *missis*, et seq. *hi* ad remotius *mittentibus;* Duk. et Stroth. Confer ad III, 72, n. 3. — *Sentinam urbis exhaustam*, remotam multitudinem civitati perniciosam; translatione a navibus ducta, ex quibus *sentina* (nobis *Grundsuppe*, *Unrath*), seu humor collectus in infimo fundo, inutilis ac perniciosus navi, exhauritur; Stroth. Confer Cic. Cat. I, 5; II, 4. — *Cæterum levaverunt modo*, etc.; confer Cic. Cat. I, 13. — *Provinciæ romanæ;* vide ad cap. 7, n. 6.

3. *In oppositam stationem*, etc.;

defuturam unquam causam, nisi Hippocrates atque Epycides non ab Syracusis modo, sed tota procul Sicilia, ablegarentur. Epicydes, ne aut reus criminis absentis fratris præsens esset, aut deesset pro parte sua concitando bello, profectus et ipse in Leontinos, quia satis eos adversus populum romanum concitatos cernebat, avertere etiam ab Syracusis cœpit. *Nam ita eos pacem pepigisse cum Romanis*[4] *ut, quicumque populi sub regibus fuissent, et suæ ditionis essent; nec jam libertate contentos esse, nisi etiam regnent ac dominentur. Renuntiandum igitur eis esse, Leontinos quoque æquum censere liberos esse, vel quod in solo urbis suæ tyrannus ceciderit, vel quod ibi primum conclamatum ad libertatem, relictisque regiis ducibus Syracusas sit concursum. Itaque aut eximendum id de fœdere esse*[5], *aut legem eam fœderis non accipiendam.* Facile multitudini persuasum; legatisque Syracusanorum, et de cæde stationis romanæ[6] querentibus, et Hippocratem atque Epicydem abire seu Locros, seu quo alio mallent, dummodo Sicilia cederent, jubentibus, ferociter responsum est, *Neque mandasse sese Syracusanis, ut pacem pro se cum Romanis facerent: neque teneri alienis fœderibus.* Hæc ad Romanos Syracusani detulerunt, abnuentes, *Leontinos in sua pote-*

confer not. 6, et ad II, c. 64, n. 9.

4. *Nam ita eos pacem pepigisse cum Rom.*, scilicet Syracusanos, quod latet in *Syracusis*, nisi potius hoc positum pro *Syracusanis;* confer ad III, 47, n. 1. — *Regnent ac dominentur* MS. Put. et Cantab. Vulgo *regant ac d.* Sed male junguntur hæc verba, quorum alterum est invidiosissimum et eorum, qui nihil pensi habent, alterum qui cum modo imperant et secundum leges, quod huc non convenit: et a Livio τὸ *regnare* regibus et αὐτοκράτορσι, dynastis, aut impotentibus imperii magistratibus, datur, *regere* magistratibus non incivilibus, in libertate ac Romanis; Jac. Gron. Cf. III, 11, n. 6; III, 19, n. 7; VI, 40, n. 3.

5. *Itaque aut eximendum id de fœdere esse*, scilicet quod supra dixerat, *ut, quicumque populi sub regibus*, etc. — *Legem eam fœderis*, fœdus hac conditione ictum; Doer.

6. *De cæde stationis rom.;* cf. n. 3.

*state esse: itaque integro secum fœdere*[7] *bellum Romanos cum iis gesturos; neque sese defuturos ei bello; ita ut in potestatem redacti suæ rursus ditionis essent, sicut pax convenisset.*

XXX. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, Appio quoque accito, ut altera parte aggrederetur, tanto ardore militum est usus ab ira inter conditiones pacis[1] interfectæ stationis, ut primo impetu urbem expugnarent. Hippocrates atque Epicydes, postquam capi muros refringique portas viderunt, in arcem sese cum paucis recepere: inde clam nocte Herbessum perfugiunt. Syracusanis, octo millium armatorum agmine profectis domo, ad Mylam flumen nuntius occurrit, *captam urbem esse;* cætera falsa mixta veris ferens, *cædem promiscuam militum atque oppidanorum factam, nec quemquam puberem arbitrari superesse: direptam urbem: bona locupletium*[2] *donata.* Ad nuntium tam atrocem constitit agmen; concitatisque omnibus, duces (erant autem Sosis ac Dinomenes), quid agerent, consultabant. Terroris speciem haud vanam mendacio[3] præbuerant verberati ac securi

7. *Integro secum fœdere*, ut fœderi secum facto ejusque legibus satis fiat. — *Neque sese defuturos eo bello;* vide ad III, 46, n. 3. — *Pax convenisset;* vide ad I, 3, n. 4.

Cap. XXX. 1. *Ab ira inter conditiones pacis,* dum de iis ageretur, *interfectæ stationis* rom. Cf. cap. 29, n. 3, et v. ad I, 1, n. 5; I, 5, n. 5; et IV, 18, n. 2. — *Herbessus,* al. *Erbessus,* opp. Siciliæ ad fontes Anapi; vide ad Sil. XIV, 264, et Schweigh. ad Polyb. I, 18, n. 5 et 9. — Cluver. Sicil. ant. II, 10, testatur plerosque viros doctos censere, nomen hujus urbis sine adspiratione scribendum esse; Plinium tamen Hist. Nat. III, 8, ordinem alphabeticum in recensione Siciliæ urbium secutum inter ea retulisse vocabula quæ ab adspiratione incipiunt. Cæterum quod notavit Drak. adspirationem hic omnes codd. servant. Ed. — *Myla flumen* vix alii memoratum. Notior *Myle,* seu *Mylæ* urbs; vide ad Sil. XIV, 202.

2. *Bona locupletium donata,* scil. militibus: sed non alibi *res donata* ita absolute ponitur, sine nomine ejus, cui donatur, ut sit nostrum *verschenkt,* non *geschenkt;* Stroth.

3. *Terroris speciem haud vanam mendacio,* etc., ut hoc mendacium

percussi transfugæ ad duo millia hominum. Cæterum Leontinorum militumque aliorum nemo, post captam urbem, violatus fuerat; suaque omnia eis, nisi quæ primus tumultus captæ urbis absumpserat, restituebantur. Nec ut Leontinos irent[4], proditos ad cædem commilitones[5] querentes, perpelli potuere, nec ut eodem loco certiorem nuntium exspectarent. Quum ad defectionem inclinatos animos cernerent prætores, sed eum motum haud diuturnum fore, si duces amentiæ[6] sublati essent, exercitum ducunt Megaram. Ipsi cum paucis equitibus Herbessum proficiscuntur, spe, territis omnibus, per proditionem urbis potiundæ: quod ubi frustra eis fuit incœptum, vi agendum rati, postero die Megaris castra movent, ut Herbessum omnibus copiis oppugnarent. Hippocrates et Epicydes, non tam tutum prima specie, quam unum, spe undique abcissa[7], consilium esse rati, ut se militibus mitterent, et assuetis magna ex parte sibi, et tum fama cædis commilitonum accensis, obviam agmini procedunt. Prima forte signa sexcentorum Cretensium erant, qui apud Hieronymum meruerant sub eis, et Hanni-

vim terrendi haberet, fecerunt *verberati* illi; Gron. *Erroris* omnes fere libri. *Rumoris vani* conj. Schelius.

4. *Nec ut Leontinos irent,* urbem; vide ad cap. 7, n. 2.

5. *Proditos ad cædem commilitones;* vide ad II, 43, n. 5.

6. *Duces amentiæ,* Hippocrates et Epicydes. — *Megara,* ἡ Μέγαρα, al. τὰ Μέγαρα et ἡ Μεγαρὶς, urbs Siciliæ, dicta olim *Hybla;* quod tamen nomen propter Hyblæi mellis præstantiam revocatum, inducto novo, quod ei Megarenses ex Græcia coloni dederant. Confer Strab. VI, 2, n. 2, et ad Sil. XIV, 26, n. 273. Græci plerumque τὰ Μέγαρα dicunt et Siciliæ et Græciæ urbem; unde Gron. *Megara* pro *Megaram* conj. h. l. et XXXI, 22, ubi Duker. hæc notavit: « Illud non magnam vim habet: nam et iidem Græci dicunt τὰ Ἄεδηρα, τὰ Ἑκβάτανα, τὰ Βαργύλια, τὰ Ἄστυρα, quæ Latini etiam fem. gen. sing. efferunt. Confer etiam Plin. IV, 7, et Cic. ad Fam. IV, 5, quæ loca an emendationem hanc recipiant, dubitari potest. Sed XXXI, 22, sive *Megaram,* sive *Megara,* legatur, apertum est, regionem designari, quæ aliis *Megaris* dicitur. Hoc si sine exemplo est, ut propemodum credo, leg. *Megarida.* »

7. *Spe undique abscissa;* vide ad IV, 12, n. 2. — *Qui apud Hieronymum*

balis beneficium habebant, capti ad Trasimenum inter Romanorum auxilia dimissique. Quos ubi ex signis armorumque habitu cognovere Hippocrates atque Epicydes, ramos oleæ ac velamenta[8] alia supplicum porrigentes, orare, *ut reciperent sese receptosque tutarentur, neu proderent Syracusanis, a quibus mox ipsi trucidandi populo romano dederentur.*

XXXI. *Enimvero*[1], conclamant, *bonum ut animum haberent: omnem se cum illis fortunam subituros.* Inter hoc colloquium signa constiterant, tenebaturque agmen; necdum, quæ moræ causa foret, pervenerat ad duces. Postquam Hippocraten atque Epicyden adesse pervasit rumor, fremitusque toto agmine erat haud dubie approbantium adventum eorum; extemplo prætores citatis equis ad prima signa perrexerunt, *Qui mos ille, quæ licentia Cretensium esset*, rogitantes, *colloquia serendi cum hoste*[2], *injussuque prætorum miscendi eos agmini suo?* Comprehendi injicique catenas jusserunt Hippocrati. Ad quam vocem tantus extemplo primum a Cretensibus clamor est ortus, deinde exceptus ab aliis, ut facile, si ultra tenderent, appareret, eis timendum esse. Solliciti incertique rerum suarum Megaram, unde profecti erant, referri signa jubent, nuntiosque de statu præsenti Syracusas mittunt. Fraudem quoque Hippocrates addit, inclinatis

*meruerant*, mercenarii (confer ad III, 24, n. 4), *sub eis*, sub imperio Hippocratis et Epicydis, ut *sub eo* XXXVIII, 14.

8. *Ramos oleæ ac velamenta a. s.;* vide ad II, 54, n. 6.

Cap. XXXI. 1. *Enimvero;* vide ad I, 51, n. 5. — *Epicyden adesse;* in uno MS *esse*, non improbante Stroth. Verbum *adesse* in nullo MS exstat, probantibus quidem Gronovio et Creverio ut intelligatur, *moræ causas esse.*

2. *Colloquia serendi cum hoste*, hostibus, *injussuque prætorum miscendi eos*, hostes, Hippocraten et Epicyden. Confer ad XXXV, 27, n. 2. — *Inj. catenas j. Hippocrati;* sed cur non etiam Epicydi? Hinc τὸ *Hippocrati* delendum putabat Gron. At vide ad cap. 24, n. 1. Mox *Cretibus* pro *Cretensibus* edidere Gron., Crev. et Drak. quia in MS Put. est *Crentibus.*

ad omnem suspicionem animis; et, Cretensium quibusdam ad itinera insidenda missis, velut interceptas literas, quas ipse composuerat, recitat: PRÆTORES SYRACUSANI CONSULI MARCELLO[3]. Secundum salutem, ut adsolet, scriptum erat: *Recte eum atque ordine fecisse, quod in Leontinis nulli pepercisset. Sed omnium mercenariorum militum eamdem esse causam, nec unquam Syracusas quieturas, donec quidquam externorum auxiliorum, aut in urbe, aut in exercitu suo esset. Itaque daret operam, ut eos, qui cum suis prætoribus castra ad Megaram haberent, in suam potestatem redigeret, ac supplicio eorum liberaret tandem Syracusas.* Hæc quum recitata essent, cum tanto clamore ad arma discursum est, ut prætores inter tumultum pavidi adequitaverint Syracusas[4]. Et ne fuga quidem eorum seditio compressa est, impetusque in syracusanos milites fiebant: nec ab ullo temperatum foret, ni Epicydes atque Hippocrates iræ multitudinis obviam issent; non a misericordia[5] aut humano consilio, sed ne spem

3. *Prætores Syr. cos. Marcello.* Ita εὐστόχως emendavit Gronovius. Cæterum ne quisquam miretur literarum ἐπιγραφὴν adscribi salute omissa, cæterisque summatim tantum prolatis, forsitan cavebit Platonis locus, Epist. 7: Πρὸς γὰρ δὲ πάντα ταῦτα ἦν παρεσκευασμένη τὴν ἀρχὴν ἔχουσα ἡ ἐπιστολὴ τῇδε πῇ φράζουσα· ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΠΛΑΤΩΝΙ· τὰ νόμιμα ἐπὶ τούτοις εἰπών, « Οὐδὲν τὸ μετὰ τοῦτο εἰπὲ πρότερον, ἢ ὡς ἂν εἰς Σικελίαν πεισθεὶς ὑφ' ἡμῶν ἔλθῃς » etc. Aut enim fallor, aut adjectis *prætores Syracusani* significare voluit, epistolæ solito modo et consuetis formulis conceptæ nihil ad summam speciem fidei defuisse. Hæc Walchius, Em. pag. 195. ED. — *Secundum salutem*; v. ad I, 4, n. 1. — *Recte eum atque ordine fecisse*, solennis formula, qua senatus P. R. acta civium, maxime magistratuum, comprobare solebat, cui nonnunquam *et e rep.* addebatur; ut nostrum: *wie sichs geziemt und gebührt;* Stroth. Confer ad XXVIII, 39, n. 6; XXX, 17, n. 4; XXX, 42, n. 3; Brisson. de form. lib. 2, § 80.

4. *Adequitaverint Syracusas* quidam MSS; alii *abequitaverint.* Illos sequuti Gron. et Drak., hos rectius forsan Crev. et Stroth. Quidam *obequitaverint* edd. ante Gron. Confer ad IX, 22, n. 3. Mox *Sed ne fuga q.* malebat Duker. — *Impetusque* pro *sed impetus;* Bauer.

5. *Non a misericordia*, ob eam; vid. ad I, 1, n. 5.

reditus præciderent sibi, et quum ipsos simul milites fidos haberent, simul obsides, tum cognatos quoque eorum atque amicos tanto merito primum, dein pignore sibi conciliarent : expertique, quam vana aut levi aura mobile vulgus[6] esset, militem nancti ex eo numero, qui in Leontinis circumsessi erant, subornant, ut Syracusas perferret nuntium convenientem eis, quæ ad Mylam falso nuntiata[7] erant; auctoremque se exhibendo, ac velut visa, quæ dubia erant, narrando, concitaret iras hominum.

XXXII. Huic non apud vulgum modo fides fuit, sed senatum quoque in curiam introductus movit. Haud vani quidam homines[1] palam ferre, *perbene detectam in Leontinis esse avaritiam et crudelitatem Romanorum. Eadem, si intrassent Syracusas, aut fœdiora etiam, quo majus ibi avaritiæ præmium esset, facturos fuisse.* Itaque claudendas cuncti portas et custodiendam urbem censere : sed non ab eisdem omnes timere, nec eosdem odisse : ad militare genus[2] omne partemque magnam plebis invisum esse nomen romanum. Prætores optimatiumque pauci, quanquam inflati vano nuntio erant, tamen ad propius præsentiusque malum cautiores esse. Et jam ad Hexapylum erant

6. *Vana aut levi aura mobile vulgus;* vide ad III, 33, n. 2. — *Militem nancti;* vide ad V, 45, n. 1.

7. *Ad Mylam falso nuntiata;* vide cap. 30 pr.

Cap. XXXII. 1. *Haud vani quidam homines;* vide ad I, 16, n. 7. *Vani* dicuntur, qui vel sibi vel aliis *vana*, inania aut falsa, etsi speciosa, persuadent seu persuadere solent. Cf. n. 2, et ad I, 8, n. 3; Gell. XVIII, 4, ibique intpp. — *Perbene* et per se non sane frequens, et hic sign. peropportune, in tempore; Bauer.

2. *Ad militare genus omne*, apud milites vel militibus cujuscumque generis. — *Inflati vano*, falso (cf. n. 1), *nuntio*, h. e. offensi, irati, ira accensi, ut apud Cic. Tusc. Quæst. III, 9, *animus* ira *inflatus*, *tumens*, et *turgescens* (conf. ad XXXI, 8, n. 10) : nisi ex emend. Gron. leg. *inflammati*, quod recepere Drak., Ern. et Stroth. De nuntio, qui iras Syracusanorum in Romanos concitaverat, utque id faceret, erat fictus, conf. cap. 31 extr. — *Præsentiusque malum*, sc. imminens a pravis Hippocratis et Epicydis con-

Hippocrates atque Epicydes; serebanturque colloquia per propinquos popularium, qui in exercitu erant, ut portas aperirent, sinerentque communem patriam defendi ab impetu Romanorum. Jam, unis foribus Hexapyli apertis [3], cœpti erant recipi, quum prætores intervenerunt. Et primo imperio minisque, deinde auctoritate, deterrendo, postremo, ut omnia vana erant, obliti majestatis, precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus, et tum corruptoribus exercitus. Sed surdæ ad hæc omnia aures concitatæ multitudinis erant, nec minore intus vi, quam foris, portæ effringebantur; effractisque omnibus, totum Hexapylo agmen receptum est [4]. Prætores in Achradinam cum juventute popularium confugiunt: mercenarii milites perfugæque, et quidquid regiorum militum Syracusis erat, agmen hostium augent. Ita Achradina quoque primo impetu capitur, prætoresque (nisi qui inter tumultum effugerunt), omnes interficiuntur. Nox cædibus finem fecit. Postero die servi ad pileum vocati [5], et carcere vincti emissi; confusaque hæc omnis multitudo Hippocraten atque Epicyden creant prætores; Syracusæque, quum breve tempus libertas affulsisset, in antiquam servitutem reciderunt.

XXXIII. Hæc nuntiata quum essent Romanis, ex

siliis; Doer. — *Ad Hexapylum;* vide ad cap. 21, n. 3.

3. *Unis foribus Hexapyli apertis:* nam sex erant: unde mox *portæ effringebantur omnes.* Cf. ad c. 21, n. 3.

4. *Totum Hexapylo agmen receptum est* reposui cum Stroth. e conj. Crev. et Dukeri pro: *tuto in Hexapylo*, vel, quod MS Put. exhibet, *tuto H.* sine τῷ *in.* Mox pro *prætoresque... omnes interficiuntur* Drakenb. suadente Jac. Gron. e cod. Cantabr. dedit *prætorumque omnes*, ut XXXI, 45. *Macedonum fere omnibus et quibusdam Andriorum.* Ita et *cuncti* ac græce πάντες, Scheff. Cf. Wessel. ad Diod. init. et ad Eclog. p. 532. Sed alia vocis *omnes* genitivo junctæ exempla desiderantur, et h. l. unus tantum MS ei favet: unde et illud *Macedonum* vel librario, vel doctæ manui, id accommodanti τῷ *Andriorum* et elegantiam forte captanti, tribuendum videtur.

5. *Servi... vocati;* vid. c. 16, n. 9.

Leontinis mota sunt extemplo castra ad Syracusas : et ab Appio legati per portum missi forte in quinqueremi erant. Præmissa quadriremis, quum intrasset fauces portus, capitur : legati ægre effugerunt. Et jam non modo pacis, sed ne belli quidem jura relicta erant[1] : quum romanus exercitus ad Olympium (Jovis id templum est) mille et quingentis passibus ab urbe castra posuit. Inde quoque legatos præmitti placuit : quibus, ne intrarent urbem, extra portam Hippocrates atque Epicydes obviam cum suis processerunt. Romanus orator *non bellum se Syracusanis, sed opem auxiliumque afferre*, ait, *et eis, qui, ex media cæde elapsi, perfugerint ad se, et eis, qui, metu oppressi, fœdiorem, non exsilio solum, sed etiam morte, servitutem patiantur : nec cædem nefandam sociorum inultam Romanos passuros. Itaque si eis, qui ad se perfugerint*[2], *tutus in patriam reditus pateat, cædis auctores dedantur, et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse. Si ea non fiant, quicumque in mora sit, bello*

Cap. XXXIII. 1. *Jura relicta erant*, sc. salva, servata integra et inviolata; Stroth. — *Olympium, Jovis templum;* vid. cap. 23, n. 5. Sic et Ὀλυμπίειον seu Ὀλύμπιον fuit Athenis, Ephesi, etc. de quo vide XXXI, 25; Pausan. I, 18, 40; II, 7; VII, 2, 20 al.

2. *Qui ad se perfugerint* (ut paulo ante *perfugerint ad se*) pro vulg. *perfugerunt*, latinitate in oratione obliqua illud postulante, et deinde *pateat* pro *pateret* reposui. Utrumque probarunt Stroth. et Bauer., etsi ille servavit τὸ *pateat*, quia Livius nonnunquam diversa junxerit tempora, ut XXII, 32 extr. — Walchius, Emend. p. 190, defendit *perfugerunt;* « nam quum modo subjunctivo Latini utantur, non, ut vulgo docetur, ad rem dubiam significandam, sed omnino ad rem significandam cogitatione alterius comprehensam, sive dubia ea sit, sive non dubia; sequitur, in oratione obliqua quæ mediæ interponuntur enunciationes, a voluntate loquentis, non ab oratione illa, pendere utrum per indicativum efferantur an conjunctivum, id est, utrum e loquentis an alterius persona dicta cogitentur. Ac, licet proprius sit latinæ linguæ his proferendis usus subjunctivi, qui non eodem modo est græcæ, tamen vehementer erraret, qui oratorum morem et aliorum scriptorum ad historicos transferret. Quippe hi, ut in aliis rebus multis recedunt a vulgari modo, ita ab hac re, dum interjiciunt quasi e sua persona dicta, antiquitatis colo-

*persequuturos.* Ad ea Epicydes, *Si qua ad se mandata haberent, responsum eis*, ait, *se daturos fuisse : quum in eorum, ad quos venerint*[3], *manu res syracusana esset, tum reverterentur. Si bello lacessant, ipsa re intellecturos, nequaquam idem esse Syracusas ac Leontinos oppugnare.* Ita legatis relictis, portas clausit. Inde terra marique simul cœptæ oppugnari Syracusæ : terra ab Hexapylo, mari ab Achradina, cujus murus fluctu alluitur. Et quia, sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant, vastam disjectamque spatio urbem[4] parte aliqua se invasuros, omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt.

XXXIV. Et habuisset tanto impetu cœpta res fortunam[1], nisi unus homo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes is erat, unicus spectator cæli siderumque; mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus ea, quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur[2]. Murum per inæquales ductum colles (pleraque alta et difficilia aditu, submissa quædam et quæ planis vallibus adiri possent), ut cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Achra-

rem et duritiem orationis affectant. » De quibus lector judicet. Ed.

3. *Eorum, ad quos venerint*, prætorum, qui scil. perierant vel effugerant. Conf. cap. 32 extr. Superbum acerbumque est responsum ejus, *in cujus manu res syracusana* nunc erat, quod ignorabant Romani. — *Terra ab Hexapylo*, etc.; vide supra ad VIII, 17, n. 5.

4. *Vastam disjectamque spatio urbem;* conf. ad cap. 2, n. 7, et cap. 21, n. 3. — *Invasuros*, penetraturos, expugnaturos; Ern.

Cap. XXXIV. 1. *Et habuisset cœpta res fortunam*, successum, successisset. — *Archimedes is erat*, syracusanus, *unicus* (vide ad I, 21, n. 3) *spectator cæli siderumque*, peritissimus astronomiæ. De eo ejusque arte machinisque vid. præter sqq. Polyb. VIII, 5-9; Plutarch. Marcell. p. 305 sq. et ad Sil. XIV, 300 sq. 351 sq.

2. *Quæ hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur;* vid. I, 38, n. 4, et V, 49, n. 4. — *Instruxit*, sc. Archimedes, præstantissimus machinarum artifex. Ed.

dinæ murum, qui, ut ante dictum est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat. Ex cæteris navibus[3] sagittarii funditoresque et velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quemquam sine vulnere consistere in muro patiebantur. Hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. Junctæ aliæ binæ ad quinqueremes[4], demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur, quum exteriore ordine remorum velut naves agerentur, turres contabulatas machinamentaque alia

3. *Ex cæteris navibus :* forte reponendum : *ex sexaginta his* seu *iis navibus :* saltem *cæteræ naves* sunt eædem *quinqueremes*, et *cæteris* his opponuntur mox *junctæ aliæ binæ quinqueremes :* nam cum Strothio ita legendum. Polybius, VIII, 6, tradit, adfuisse LX quinqueremes, sagittariis, funditoribus velitibusque refertas, ac præterea octo quinqueremes, quæ altero remorum ordine adempto, aliis dextro, aliis sinistro, binæ et binæ junctæ fuerint. — *Et velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est;* conf. ad XXI, 55, n. 11, et XXII, 46, n. 3. Velites septem utebantur hastis, quæ *velitares* et græce γρόσφοι dicuntur, unde ipsi γροσφομάχοι et γροσφοφόροι· v. XXVI, 4, n. 3, et XXXVIII, 20, n. 2. Hæc hasta, teste Polybio, VI, 22, habebat hastile, duos ut plurimum cubitos longum crassumque digitum unum, spiculum vero longitudine spithamæ et tam tenue atque acutum, ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι, καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν. Hinc Lips. de Mil. rom. III, 1 extr. (ubi plura disputat de armatura velitum, ut et Schel. ad Polyb. cap. 14.) « Si tale, inquit, et tam flexile est telum, etiam *peritis inhabile :* et Polybius aperte negat remitti? An redundat vox *imperitis?* an mutanda in *impeditis?* ut, nisi quis otiose mucronem refingat et erigat, neget remitti? An ideo etiam *imperitis inhabile*, quia amento emittebatur et certo motu? » Haud dubie singulari quadam arte et dexteritate jaci debebat; Doer. *Impetitis* vel potius *petitis* conj. Schel. ad Polyb. c. 14. Neutrum male ad conciliandum cum Polybio Livium; Duk. *Imparatis* malebat Salmas. de Re mil. rom. c. 16, eodem sensu quo *impeditis* Lips.—Melius tamen videtur, quod accepimus. Ed.

4. *Junctæ aliæ binæ ad quinqueremes*, immo cum Sigon. et Lips. Poliorc. I, 6; ex Polyb. VIII, 5, et Plut. Marcell. pag. 305, leg. *ad octo quinqueremes;* sensus autem verborum est: junctæ binæ et binæ quinqueremes usque ad octo. — *Velut naves agerentur :* ex vestigiis MS Put. *velut una navis a.* legendum jam alii monuere. — *Turres contabulatas* (vide ad V, 5, n. 3) *machinamentaque alia*, quæ ignorat Polybius, qui pro iis solas habet τὰς σάμβυκας vel σαμβύκας, de quibus vide infra ad XXXIX, 6, n. 9. *Machinamenta* pro *machinis*, ut *machinationes* XXIV, 19; XXV, 11; XXVII, 15; XXXVII, 5.

quatiendis muris portabant. Adversus hunc navalem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris disposuit. In eas, quæ procul erant, naves saxa ingenti pondere emittebat: propiores levioribus, eoque magis crebris, petebat telis: postremo, ut sui vulnere intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad summum crebris, cubitalibus fere[5], cavis aperuit; per quæ cava pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem. Quæ propius quædam subibant[6] naves, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente ferrea manus, firmæ catenæ illigata, quum in-

5. *Murum ab imo ad summum crebris, cubitalibus fere*, cubiti magnitudinem habentibus, *cavis* (*cavum* et *cavus* caverna, foramen) *aperuit:* at Polyb. VIII, 7, dicit: ὡς ἀνδρομήκους ὕψους κατεπύκνωσε τρήμασι τὸ τεῖχος, ad altitudinem fere staturæ humanæ crebris cavis perforavit murum, ὡς παλαιστιαίοις τὸ μέγεθος κατὰ τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν, quæ extrinsecus palmi (quatuor digitorum) fere mensuram habebant. Forsan diversæ narrationes ita conciliari possunt, ut dicas, foramina ista intrinsecus fuisse cubitalia, extrinsecus vero palmaria; Stroth. — Livius quædam Polybii verba prætermisisse videtur, et nonnulla etiam ab aliis sumere potuit; Duk. Conf. Lips. Poliorc. III, 4. — *Scorpiones modici*, quos σκορπίδια Polyb. et σκορπίους βραχυτόνους Plut. appellat, machinæ bellicæ vel majores vel minores, quibus lapides, spicula, etc. emittebantur, *quas nunc manubalistas vocant: ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferunt mortem*, Veget. IV, 22. Conf. infra XXVI, 47, 49; XXIX, 7; Lips. Poliorc. III, 4, et loca class. Ammiani XXIII, 4 (8), et Philonis in libello de telorum construct., in Opp. vett. Mathem. pag. 73, ubi perperam σκοπίδιον legitur.

6. *Quæ* (forte *Quum*, Duk.) *propius quædam* (edd. ante Gron. *quidam*) *subibant* muros *naves, quo*, ut, *interiores ictibus tormentorum essent* (vide ad VII, 10, n. 6), *in eas*, etc. « ordo verborum turbatus pro: *in quasdam naves, quæ propius subibant:* vel pro: si quædam naves propius sub., in eas, etc., nam sæpius Livio *qui* est pro *si* »; Bauer. *quod interiores* malebat Gron. — *Tolleno*, pertica versatilis, libratoria; καρχήσιον Polyb. loco laudato (κεραία XXII, 10, n. 4, ut et apud Plut. Marcell. pag. 306, C, quæ proprie est rostrum tollenonis similiumque machinarum, quo graviora pondera in altum tollumtur, ut ibid. VIII, 7, n. 8, et 10), *carchesium versatile* Vitruv. X, 5, n. 22 (gallice *bascule*) machina tractoria, formam literæ T referens similisque ei, quæ in agris juxta puteos ponitur ad aquam inde hauriendam, et Festo Plinioque XIX, 4, seu 20, *tolleno*, græce κήλων, seu κηλώνειον, gall. *la bascule d'un puits*, nobis *Brunnenschwengel*

jecta proræ esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, suspensa prora, navim in puppim statuebat: dein, remissa subito[7], velut ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undæ affligebat, ut, etiamsi recta reciderat, aliquantum aquæ acciperet. Ita maritima oppugnatio est elusa, omnisque vis est eo versa, ut totis viribus terra aggrederentur. Sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat, Hieronis impensis[8] curaque per multos annos, Archimedis unica arte. Natura etiam juvabat loci, quod saxum, cui imposita muri fundamenta sunt, magna ex parte ita proclive est, ut non solum missa tormento, sed etiam quæ pondere suo provoluta essent, graviter in hostem inciderent. Ea-

vocatur. *Tolleno dicitur, quoties una trabs in terram prœalte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, ut, si unum caput depresseris, aliud erigatur,* Veget. IV, 21. Confer Tac. Hist. IV, 30, ibique Ern. *Ferrea manus,* uncus, quo naves sistuntur aut comprehenduntur, ut XXVI, 39; XXXVI, 44; XXXVII, 30 al. *Asser falcatus* dicitur XXXVIII, 5, et *harpago, asser ferreo unco præfixus* XXX, 10; et apud Curt. IV, 2, 12; IV, 3, 24, 25, χεῖρ σιδηρᾶ ἢ στόματα εἰκασμένα γεράνων ap. Plut. Marcell. pag. 306, et Polyb. VIII, 8, qui ad totum h. l. conferendi sunt. Ferreas manus *et corvos,* κόρακας, jungunt Diodor. XVII, 44; Appian. Bell. Celt. V, 106; Curt. IV, 2, 12; et 3, 24; et easdem Duillii machinas, quæ κόρακες dicuntur Polyb. I, 22 (ubi vide Schweigh.); XXVII, 28; ferreas manus appellant Front. Strat. II, 3, 24, et Aur. Victor. Non dissimiles quoque *lupi ferrei* XXVIII, 3, n. 3. Sed *manus ferreas* et *harpagones* perperam confundi a Liv. XXX, 10, et Curt. IV, 2, 12, monet Stew. ad Veget. V, 14, et Scheffer. de Mil. nav. II, 7, p. 164. — « Trabis transversæ exteriori capiti *illigata* erat *catena,* ad cujus caput erat *ferrea manus,* quæ *injecta proræ* eam *suspendebat,* seu attollebat, dum interior trabis transversæ pars deprimeretur *gravi libramento,* pondere, *plumbi* (ut XXXVIII, 5, et XLII, 63), huic tollenonis capiti injecto et *ad solum* ipso pondere suo *recellente,* resiliente, reclinante seu retro tendente »; Stroth. *Recellere,* reclinare, ut *excellere* in altum extollere; Fest. Perperam in omnibus MSS et edd. ante Gron. legitur *gravique libramento plumbi recelleret ad solum.*

7. *Dein remissa subito* ferrea manus *navem undæ affligebat;* vide ad XXI, 35, n. 30. — *Aliquant. aquæ;* vide ad II, 39, n. 1.

8. *Hieronis impensis,* etc. Conf. ad Polyb. VIII, 9.

dem causa ad subeundum arduum aditum instabilemque ingressum præbebat. Ita, consilio habito, quum omnis conatus ludibrio esset, absistere oppugnatione atque obsidendo tantum arcere terra marique commeatibus hostem placuit.

XXXV. Interim Marcellus, cum tertia fere parte exercitus ad recipiendas urbes profectus, quæ in motu rerum ad Carthaginienses defecerant, Helorum atque Herbessum[1], dedentibus ipsis, recipit. Megara vi[2] capta diruit ac diripuit ad reliquorum, ac maxime Syracusanorum, terrorem. Per idem fere tempus et Himilco, qui ad Pachyni promontorium classem diu tenuerat, ad Heracleam, quam vocant Minoam[3], quinque et viginti millia peditum, tria equitum, duodecim elephantos exposuit; nequaquam cum quantis copiis ante tenuerat ad Pachynum classem. Sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ[4] erant, profectus Carthaginem adjutusque ibi et ab legatis Hippocratis literisque Hannibalis, qui venisse tempus aiebat Siciliæ per

Cap. XXXV. 1. *Helorum* (al. *Pelorum*) *atque Herbessum;* vide ad cap. 30, n. 1. *Helorus* et fluvius (hodie *Atellaro* atque *Abiso*) et oppidum, ei impositum; vide Plin. XXXII, 2; Diodor. XIII, 19; ad Sil. IV, 269, et Intpp. Ovid. Fast. IV, 487. — Cluv. Sicil. ant. I, 13, existimat urbem *Helorum* diversam esse a castello *Eloro* quod apud Plinium, loco modo citato, memoratur. Ed. — *Dedentibus se ipsis* urbibus, h. e. civibus; vide ad III, 47, n. 1.

2. *Megara vi capta* MSS. Put. Pet. et al. *Megaram vi captam* edd. ante Gron. Conf. ad cap. 30, n. 6.

3. *Ad Heracleam, quam vocant Minoam* a Minoe cretensi, qui eam condidisse dicebatur, quum persequeretur Dædalum (vide Diodor. IV, 79, et XVI, 19), oppidum maritimum vicinumque Agrigento, quod Diodoro et Plutarch. simpl. *Minoa,* Polyb. I, 18, 30, 53. *Heraclea* sed I, 25, Ἡράκλεια ἡ Μινῴα dicitur. — Vide Stephan. in utraque voce et Suidam. Ed. — *Nequaquam cum quantis copiis,* cum tantis, quantæ non fuerant illæ, cum quibus *ante tenuerat ad P. classem;* sive, cum copiis majoribus, quam quantæ fuerant, etc.

4. *Ab Hippocrate occupatæ S.;* vid. ad cap. 24, n. 1. — *Adjutusque ibi.* Legebatur antea *aditusque,* vel *accitusque.* Primus Lipsius conjecit *adjutus,* cui assentitur cod. Putean. Himilco Carthaginem venerat ad augendas copias; duo eum non leviter

summum decus repetendæ, et ipse haud vanus præsens monitor facile perpulerat, ut quantæ maximæ possent, peditum equitumque copiæ in Siciliam trajicerentur. Adveniens Heracleam, intra paucos dies inde Agrigentum recipit : aliarumque civitatum, quæ partis Carthaginiensium erant[5], adeo accensæ sunt spes ad pellendos Sicilia Romanos, ut postremo etiam, qui obsidebantur Syracusis, animos sustulerint, et, parte copiarum satis defendi urbem posse rati, ita inter se munera belli partiti sint, ut Epycides præesset custodiæ urbis, Hippocrates, Himilconi conjunctus, bellum adversus consulem romanum gereret. Cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca[6] profectus, castra circa Acrillas urbem ponebat. Munientibus supervenit Marcellus, ab Agrigento jam occupato, quum frustra eo prævenire hostem festinans tetendisset, rediens; nihil minus ratus, quam illo tempore ac loco syracusanum sibi exercitum obviam fore; sed tamen metu Himilconis Pœnorumque (ut quibus nequaquam eis copiis, quas habebat, par esset) quam poterat maxime intentus atque agmine ad omnes casus composito ibat.

XXXVI. Forte ea cura, quæ erat adversus Pœnos præparata, adversus Siculos usui fuit. Castris ponendis[1] incompositos ac dispersos nanctus eos et plerosque inermes, quod peditum fuit, circumvenit : eques,

juverunt, et legati Hippocratis auxilia petentes retinendis Syracusis, et literæ Hannibalis, qui monebat incumberent totis viribus ad Siciliam recuperandam. Ed.

5. *Partis* (partium) *Carthaginiensium erant;* vide ad III, 36, n. 4.

6. *Intermissa custodiis loca;* vid. ad VII, 36, n. 1. — *Acrillæ* seu *Acrilla*, inter *Agrigentum* et *Acras* (conf. ad cap. 36 pr.), urbem a Syracusanis conditam prope mare Ionium et Pachynum promont. *Accillas* edd. ante Gron. corrupte, ut Ἀκίλας ap. Plut. — *Tetendisset;* vide ad IV, 7, n. 6.

Cap. XXXVI. 1. *Castris ponendis*, ut ea ponerent, *incompositos;* vide ad XXI, 34, n. 3. — *Nanctus;* vide ad

levi certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit. Ea pugna deficientes ab Romanis quum prohibuisset Siculos, Marcellus Syracusas rediit : et post paucos dies Himilco, adjuncto Hippocrate, ad flumen Anapum[2], octo ferme inde millia, castra posuit. Sub idem fere tempus et naves longæ quinque et quinquaginta Carthaginiensium cum Bomilcare, classis præfecto, in magnum portum Syracusas ex alto decurrere ; et romana item classis, triginta quinqueremes, legionem primam Panormi exposuere ; versumque ab Italia bellum (adeo uterque populus in Siciliam intentus) fuisse videri poterat. Legionem romanam, quæ exposita Panormi erat, venientem Syracusas, prædæ haud dubie sibi futuram Himilco ratus, via decipitur. Mediterraneo namque Pœnus itinere[3] duxit; legio maritimis locis, classe prosequente, ad Ap. Claudium, Pachynum cum parte copiarum obviam progressum, pervenit. Nec diutius Pœni ad Syracusas morati sunt : et Bomilcar, simul parum fidens navibus suis, duplici facile numero classem habentibus Romanis[4], simul inutili mora cernens nihil aliud ab suis quam inopiam aggravari sociorum[5], velis in altum datis, in Africam transmisit. Et Himilco, sequutus nequidquam Marcellum Syracusas, si qua, prius quam majoribus copiis jungeretur, occasio

V, 45, n. 1. — *Acras;* vide supra ad cap. 35, n. 6.

2. *Ad flumen Anapum :* edd. ante Gron. *Anatim.* Sed *Anatis* est Africæ, *Anapus* Siciliæ flumen inter Syracusas et Olympium suburbium. Conf. ad Sil. XIV, 515. — *Naves longæ;* vide ad XXI, 17, n. 5. — *Magnum portum;* vide ad cap. 21, n. 3.

3. *Pœnus itinere duxit;* vide supra ad librum I, 23, n. 4.

4. *Duplici numero classem habentibus Romanis,* ex quo 30 quinqueremes classem Appii auxerant.

5. *Inutili mora cernens nihil aliud ab suis quam inopiam aggravari sociorum* (vide II, 8, n. 9, et IV, 12, n. 3), plurimi optimique MSS prob. Gronov. Recepi exemplo Crever. et Stroth. pro vulg. *inutilem moram c... inopia aggrav. socios.* — *In Africam transmisit.* Bomilcar infra XXV, 25, ut notat Drakenb. ex portu syracusano profectus in Africam rediisse, et, edo-

pugnandi esset, postquam ea nulla contigerat, tutumque ad Syracusas et munimento et viribus hostem cernebat, ne frustra adsidendo[6] spectandoque obsidionem sociorum tempus tereret, castra inde movit; ut, quocumque vocasset defectionis ab Romanis spes, admoveret exercitum, ac præsens suas res foventibus adderet animos. Murgantiam primum, prodito ab ipsis præsidio romano, recepit; ubi frumenti magna vis commeatusque omnis generis convecti erant Romanis.

XXXVII. Ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum civitatum animi: præsidiaque romana aut pellebantur arcibus, aut prodita per fraudem opprimebantur. Henna[1], excelso loco ac prærupto undique sita, quum loco inexpugnabilis erat, tum præsidium in arce validum præfectumque præsidii haud sane opportunum insidiantibus[2] habebat. L. Pinarius erat vir acer, et qui plus in eo, ne posset decipi[3], quam in fide Siculorum, reponeret. Et tum intenderant eum ad cavendi omnia curam tot auditæ proditiones defectionesque urbium,

ctis Carthaginiensibus in quo discrimine res syracusana foret, paucos post dies eodem reversus fuisse dicitur. Quum vero interim non narratum sit quo tempore Syracusas redierit, id inter negligentiæ Livianæ specimina enumerat clariss. Periz. Anim. hist. cap. 4. Ed.

6. *Frustra adsidendo;* vide XXIII, 19, n. 3. — *Murgantiam;* vide ad XXIV, 27, n. 1. — *Prodito ab ipsis p.;* vide ad III, 47, n. 1. Mox junge *ubi erant Romanis magna vis*, etc. —Vulgo legitur *a Romanis;* sed scripti fere omnes, teste Creverio, omittunt præpositionem. Et sic minus offendet τὸ *ubi*, quod se concoquere hic non posse testatur Tan. Faber. *Ubi... erant Romanis*, idem est atque, ubi habebant Romani commeatus convectos. Ed.

Cap. XXXVII. 1. *Henna* (*Enna* edd. ante Drakenb. ut græce Ἔννα) *excelso loco ac prærupto undique sita* in media Sicilia (cf. ad c. 39, n. 4), unde et ὄμφαλος, umbilicus ejus dicta; vid. ad Sil. I, 93; XIV, 238 sq. Diod. V, 3; Cic. Verr. IV, 48; V, 72.

2. *Opportunum insidiantibus;* vide ad I, 54, n. 4.

3. *Ne posset decipi*, ut apud Cicer. ep. 15, ad Planc. in simili fere causa: *verum ut errare, mi Plance, potuisti (quis enim id effugerit?): sic decipi te non potuisse, quis non videt?* Stroth. — *Ad cavendi omnia curam* MS Put. *Ad cavendum omni cura* edd. ante Gron. et plerique MSS.

et clades præsidiorum. Itaque nocte dieque juxta[4] parata instructaque omnia custodiis ac vigiliis erant : nec ab armis aut loco suo miles abscedebat. Quod ubi Hennensium principes, jam pacti cum Himilcone de proditione præsidii, animadverterunt, nulli occasioni fraudis Romanum patere[5], palam rentur agendum[6]. *Urbem arcemque suæ potestatis*, aiunt, *debere esse, si liberi in societatem, non servi in custodiam, traditi essent Romanis. Itaque claves portarum reddi sibi* æquum censent. *Bonis sociis fidem suam maximum vinculum esse : et ita sibi populum romanum senatumque gratias habiturum, si volentes ac non coacti mansissent in amicitia.* Ad ea Romanus, *Se in præsidio impositum esse*, dicere, *ab imperatore suo; clavesque portarum et custodiam arcis ab eo accepisse; quæ nec suo nec Hennensium arbitrio haberet, sed ejus, qui commisisset. Præsidio decedere apud Romanos capital esse*[7]; *et nece liberorum etiam suorum eam legem parentes sanxisse. Consulem Marcellum haud procul esse : ad eum mitterent legatos, cujus juris atque arbitrii*[8] *esset.* Se vero negare illi missuros; testarique, si verbis nihil

4. *Nocte dieque juxta;* vide supra ad V, cap. 6, n. 3.

5. *Nulli occasioni fraudis patere;* conf. ad I, 54, n. 4.

6. *Palam rentur agendum :* id antiqua manu notatum in margine MS Vos. *Patuerat agendum* c. Put. *Placuerat agendum* reliqui MSS et edd. ante Gron. nisi quod quidam MSS post *placuerat* addunt *vi* et *aliter*, edd. autem ante illud *aperte ac propalam.* Edd. Crev. et Gron. *palam erat agendum* ex emend. Lips.

7. *Præsidio decedere apud Romanos capital esse.* Ita MS Put. et Pet. pro vulg. *capitale;* vide ad III, 11, n. 4, et Sil. XIII, 155, qui h. l. ante oculos habuit. Mox *et nec liberorum e. s. eam petentes sanxisse* omnes MSS, nisi quod pro *petentes* in Put. est *patentes*, et in marg. Voss. *pœnam.* In ed. pr. et aliis antt. *et hoc liberorum e. s. cruore parentes s.* probante Strothio. Vox *legem* in recentt. demum edd. addita : in plerisque vett. *causa* pro *eam legem;* et Gron. conj. *id* pro *eam l.*, vel *id nece l. e. jam p. s.* Cæterum h. l. severitas T. Manlii Torquati et verba ejus ad filium, sup. VIII, 7, *morte tua sancienda sunt consulum imperia* respiciuntur.

8. *Cujus juris atque arbitrii esset,*

agerent, vindictam aliquam libertatis suæ quæsituros. Tum Pinarius: *at illi, si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium*[9]: *ut sciretur, utrum paucorum ea denuntiata, an universæ civitatis essent.* Consensu in posterum diem concio edicitur.

XXXVIII. Postquam ab eo colloquio in arcem sese recepit, convocatis militibus[1], « Credo ego vos audisse, « milites, inquit, quemadmodum præsidia romana ab « Siculis circumventa et oppressa sint per hos dies. Eam « vos fraudem, deum primo benignitate, dein vestra « ipsi virtute, dies noctesque perstando ac pervigilando « in armis, vitastis. Utinam reliquum tempus nec pa- « tiendo infanda, nec faciendo, traduci possit! Hæc oc- « culta in fraude cautio est, qua usi adhuc sumus: cui « quoniam parum succedit, aperte ac propalam claves « portarum reposcunt; quas simul tradiderimus, Car- « thaginiensium extemplo Henna erit, fœdiusque hic « trucidabimur, quam Murgantiæ præsidium interfe- « ctum est. Noctem unam ægre ad consultandum sum- « psi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Orta « luce concionem habituri sunt ad criminandum me « concitandumque in vos populum. Itaque crastino

sc. res seu id. — *Illi vero negare se missuros*, scil. legatos. — *Vindictam*, vindices, Pœnos. — *At illi;* vide ad I, 28, n. 6. Vulgo *ait illis.*

9. *Sibi saltem darent populi concilium;* v. VIII, 5, n. 1. Vulg. *consilium;* vid. I, 54, n. 1. — *Ea denunt.*, dicta et minas. Conf. ad III, 36, n. 5. — *Consensu in posterum diem concio edicitur*, omnium suffragiis. Conf. ad I, 32, n. 14; III, 38, n. 8; XXXI, 49, n. 5. *Consensa* conj. Gron. quem vide ad IX, 7. — Omnes scripti carent ultima voce *edicitur;* quare non rejicienda videtur Gronovii conjectura: eodem modo supra lib. I, 32: *bellum erat consensum.* Ed.

Cap. XXXVIII. 1. *Convocatis militibus.* Creverio displicet vox *militibus* tam vicina τῷ *milites;* magna præterea scriptorum manus præfert mendose *convocatio quibus;* Victor. *convocatis sociis.* Crediderimus cum Gronovio legi posse *convocatis suis*, quæ ultima vox in *sociis* mutata fuerit. Ed. — *Hæc occulta in fraude cautio est*, etc., ita, ut dixi, cavimus quidem nobis adhuc a proditione; sed *quoniam cui*, sc. occultæ fraudi *parum succedit*, etc. Conf. ad VIII, 25, n. 6. — *Noctem*

« die aut vestro, aut Hennensium sanguine Henna inun-
« dabitur. Nec præoccupati[2] spem ullam, nec occupan-
« tes periculi quidquam habebitis : qui prior strinxerit
« ferrum, ejus victoria erit. Intenti ergo omnes arma-
« tique signum exspectabitis. Ego in concione ero ; et
« tempus, quoad omnia instructa sint, loquendo alter-
« candoque traham. Quum toga signum dedero, tum
« mihi undique clamore sublato turbam invadite[3], ac
« sternite omnia ferro ; et cavete, quisquam supersit,
« a quibus aut vis, aut fraus timeri possit. Vos, Ceres
« mater ac Proserpina[4], precor, cæteri superi inferni-
« que dii, qui hanc urbem, hos sacratos lacus lucosque
« colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis[5], si vi-
« tandæ, non ferendæ fraudis causa hoc consilii capi-
« mus. Pluribus vos, milites, hortarer, si cum armatis
« dimicatio futura esset : inermes, incautos ad satietatem
« trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt,
« ne quid ab Himilcone et Carthaginiensibus timeri
« possit. »

XXXIX. Ab hac adhortatione dimissi corpora curant. Postero die alii aliis locis, ad obsidenda[1] itinera

*unam ægre ad consultandum sumpsi*, efflagitatam accepi. Confer ad librum II, 4, n. 2.

2. *Nec præoccupati*, insidiis et fraude prius petiti, *spem ullam, nec occupantes*, prius petentes, prævenientes, *periculi quidquam habebitis;* conf. ad I, 14, n. 3, et XXIV, 7, n. 6.

3. *Tum mihi..... turbam invadite;* vide ad Præf. not. 12.

4. *Ceres mater ac Proserpina*, quibus sacra erat Henna, prope quam in prato, *lacubus lucisque* cincto, vel in nemore et per speluncam rapta a Plutone credebatur Proserpina. Conf. cap. seq. Diodor. V, 3 ; Intpp. Ovid. Met. V, 385 sq. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cer. v. 9, 15, 31 ; inpr. Cic. Verr. IV, 48 ; et V, 72, ubi etiam eadem fere verba leguntur : *vos etiam atque etiam imploro atque appello, sanctissimæ deæ, quæ illos Hennenses lacus lucosque colitis. — Dii, qui urbem, lacus lucosque colitis;* vid. ad XXXI, 30, n. 4.

5. *Ut ita nobis volentes propitii adsitis, si;* vide ad I, 8, n. 1 ; I, 12, n. 6, et I, 16, n. 4. — *Ferendæ fraudis;* vide ad III, 25, n. 4.

Cap. XXXIX. 1. *Ad obsidenda itinera... oppositi:* ita MSS probb. Drak. et Stroth. Cf. ad X, 36, n. 3 ; XXV, 15 ; XXIX, 34, n. 5 ; Intpp. Virgil. Æn. II, 333. *Oppidanis* pro *oppositi*

claudendosque oppositi exitus, pars maxima super theatrum circaque, assueti et ante spectaculis concionum, consistunt. Productus ad populum a magistratibus præfectus romanus, quum consulis ea de re jus ac potestatem esse, non suam, et pleraque eadem, quæ pridie, dixisset; primo sensim ac plures reddere claves, dein jam una voce id omnes juberent, cunctantique ac differenti ferociter minitarentur, nec viderentur ultra vim ultimam dilaturi; tum præfectus toga signum, ut convenerat, dedit; militesque intenti dudum ac parati, alii superne in aversam[2] concionem clamore sublato decurrunt, alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Cæduntur Hennenses cavea inclusi, coacervanturque, non cæde solum, sed etiam fuga; quum alii super aliorum capita ruerent, atque integri sauciis, vivi mortuis incidentes, cumularentur. Inde passim discurritur, et urbis captæ modo fugaque et cædes omnia tenet : nihilo remissiore militum ira, quod turbam inermem cædebant, quam si periculum par et ardor certaminis eos irritaret. Ita Henna aut malo, aut necessario facinore retenta[3]. Marcellus nec factum improbavit, et prædam Hennensium militibus concessit, ratus, timore deterritos temperaturos proditionibus præsidiorum Siculos. Atque ea clades, ut ur-

edd. ante Stroth. ex conj. Vallæ. *Opportunos exitus* malebat Jac. Gronov. Conf. ad I, 54, n. 4. Mox *et primo sensim* conj. Duk. et Crev.

2. *Superne in aversam concionem*, non, ut vulgo legitur, *adversam*, sed quæ a militibus in concionantem præfectum rom. versa erat; Gronovius. — *Cavea* theatri locus, ubi spectatores ludorum sedent.

3. *Ita Henna aut malo* (*nullo* malebat Gron.), *aut necessario facinore retenta* : nam erat *malum* omnino *facinus*, si eo abstinere poterant sine suo suorumve periculo, si non poterant, erat *necessarium*; Grut. — Creverius interpretatur, aut malo facinore, aut eo quod necessitas colore aliquo defendat, ac proinde pro malo damnare vetet. Hanc elegantissimam sententiam non videmus cur viri docti variis conjecturis sollicitent. Nihil enim clarius, neque æquitas probabilis abest. Ed. — *Temperaturos proditio-*

bis in media Sicilia sitæ[4], claræque vel ob insignem munimento naturali locum, vel ob sacrata omnia vestigiis raptæ quondam Proserpinæ[5], prope uno die omnem Siciliam pervasit. Et quia cæde infanda rebantur, non hominum tantum, sed etiam deorum sedem violatam esse, tum vero, qui etiam ante dubii fuerant, defecere ad Pœnos. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit, quum acciti a proditoribus[6] nequidquam ad Hennam exercitum admovissent. Marcellus retro in Leontinos redit; frumentoque et commeatibus aliis in castra convectis, præsidio modico ibi relicto, ad Syracusas obsidendas venit. Inde Ap. Claudio Romam ad consulatum petendum misso, T. Quintium Crispinum[7] in ejus locum classi castrisque præficit veteribus: ipse hibernacula quinque millia passuum Hexapylo (Leonta vocant locum[8]) communiit ædificavitque. Hæc in Sicilia usque ad principium hiemis gesta.

*nibus;* vide ad lib. II, cap. 23, n. 8.

4. *Urbis in media Sicilia sitæ;* vid. ad cap. 37, n. 1.

5. *Vestigiis raptæ quondam Proserpinæ;* vid. cap. 38, n. 4, et ad Ovid. nost. ed. Met. V, v. 385, sq. ibique not. Ed. — *Pervasit* clades, pr. fama ejus.

6. *Acciti a proditoribus,* principibus Hennensium. Conf. cap. 37 med. — *Retro redit;* vid. ad II, 45, n. 10.

7. *T. Quintium Crispinum* h. l. Ap. Claudii *classi castrisque veteribus* in Sicilia præfici, et XXV, 18, cum Badio Campano strenue in Campania pugnare, at cap. 26 iterum memorari Crispinum, castris veteribus ad Syracusas præfectum; eaque, si de eodem homine dicantur, non bene divisa temporibus esse, monet Wessel. Obss. II, 8. Quare aut Crispinum hunc ab illo diversum fuisse, aut Livium diversos auctores sequutum, suspicabatur Drak.

8. *Leonta vocant locum.* Ita MS Put. *Leontiam* edd. ante Gron. quæ et *ab* ante *Hexapylo* inserunt. Sed hoc a MSS abest, et sæpe omittitur; vel dativus græce ponitur pro *ab* cum sexto casu. Conf. ad V, 12, n. 5. *Leontem* emend. Cluver. Sicil. Ant. I, 12. — *Hæc in Sicilia.....gesta.* Livium hic duorum annorum res gestas in unum miscuisse suspicatur Creverius, duplici maxime ratione adductus. Primo quod nihil omnino sequente anno, quo Tib. Sempronius iterum, Q. Fabius coss. fuere, in Sicilia gestum a Livio memoratur; quod sane verisimile non est quum tanti exercitus in insula essent. Solas cannensis exercitus ad Marcellum preces hujusque literas de iis ad senatum retulit eo anno noster. Deinde Polybius, lib. VIII,

XL. Eadem æstate et cum Philippo rege, quod jam ante suspectum fuerat, motum bellum est. Legati ab Orico[1] ad M. Valerium prætorem venerunt, præsidentem classi Brundisio Calabriæque circa litoribus, nuntiantes, Philippum primum Apolloniam tentasse[2], lembis biremibus centum viginti flumine adverso subvectum: deinde, ut ea res tardior spe fuerit, ad Oricum clam nocte exercitum admovisse; eamque urbem sitam in plano[3], neque mœnibus, neque viris atque armis validam, primo impetu oppressam esse. Hæc nuntiantes orabant, ut opem ferret, hostemque haud dubium Romanis terra aut maritimis viribus arceret[4]; qui ob nullam aliam causam, nisi quod imminerent Italiæ[5], peterentur. M. Valerius, præsidio loci[6] ejus relicto P. Valerio legato cum classe instructa parataque,

testis est Marcellum per octo menses cum Appio assedisse Syracusis, antequam ab eo discederet ad prohibendas per Siciliam defectiones urbium, et obviam eundum Carthaginiensibus. Octo autem illi menses facile profecto reliquum consulatus Marcelli tempus consumpserunt. Unde sequitur expeditiones Marcelli adversus Siculos Himilconemque et Hippocraten in eum annum excurrisse, quo Ti. Sempronius alterum consulatum cum Q. Fabio gessit. Ed.

Cap. XL. 1. *Oricum* seu *Oricus* opp. maritimum Epiri cum portu, hodie *Orco*. Conf. XXXIV, 52, et Plin. III, 23 seu 26. — *Brundisio præsidentem* (vide ad X, 17, n. 3) cum *classi*, h. e. classe; vide ad IV, 12, n. 8.

2. *Apolloniam tentasse;* vid. ad IX, 35, n. 1. *Apollonia* h. l. ut passim ap. Livium, urbs maritima Illyrici Macedonici, vicina Orico, Aoo flum. et Hadriat. mari, mercatura studiisque literarum olim nobilis, hod. *Pollonia*. Aliæ *Apolloniæ* in Ætolia (XXVIII, 8), Chalcidica, Creta, Mygdonia, Sicilia, Thracia. — *Adverso* (vide ad XXI, 27, n. 2) *flumine*, Aoo. Aous seu Æas 10 stadiis ab Apollonia decurrit influitque in mare Hadriaticum. Conf. XXXII, 5 sq.; Scylax, p. 21; Strab. VII, 5, 9, pag. 316; Plin. III, 23; Polyb. V, 110; ubi v. Schweigh.

3. *Sitam in plano;* vide ad XXI, 32, n. 7.

4. *Terra aut maritimis viribus arceret* ab iis, *qui peterentur*, bello lacesserentur. *Maritimis urbibus* unus Pal. et *Romanis maeactgrra acterra ao maritimis:* unde Gronov. conj. *Romanis Macedonem Epiri marit. urbibus a., quæ*, etc., et rectius, opinor, Ruben. *Rom. mari ac terra a marit. urbibus a., quæ*, etc.

5. *Nisi quod imminerent Italiæ;* vid. ad III, 51, n. 3.

6. *Pr. loci ejus*, sc. cui præsidebat, Brundisii et Calabriæ; Doer. Cf. hujus cap. princ. — Hæc verba, ut parum

et, quod longæ naves militum capere non poterant, in onerarias impositis, altero die Oricum pervenit; urbemque eam, levi tenente præsidio, quod recedens inde reliquerat Philippus, haud magno certamine recepit. Legati eo ab Apollonia venerunt, nuntiantes, in obsidione sese, quod deficere ab Romanis nollent, esse; neque sustinere ultra vim Macedonum posse, nisi præsidium mittatur romanum. Facturum se, quæ vellent, pollicitus[7], duo millia delectorum militum navibus longis mittit ad ostium fluminis, cum præfecto socium, Q. Nævio Crista, viro impigro et perito militiæ. Is, expositis in terram militibus navibusque Oricum retro, unde venerat, ad cæteram classem remissis[8], milites procul a flumine per viam minime ab regiis obsessam duxit, et nocte, ita ut nemo hostium sentiret, urbem est ingressus. Die insequenti quievere, dum præfectus juventutem Apolloniatum armaque et urbis vires inspiceret. Ubi ea visa inspectaque satis animorum fecere[9], simulque ab exploratoribus comperit, quanta socordia ac negligentia apud hostes esset; silentio noctis ab urbe sine ullo tumultu egressus, castra hostium adeo neglecta atque aperta intravit, ut satis constaret, prius mille hominum vallum intrasse, quam quisquam sentiret, ac, si cæde abstinuissent, pervenire ad tabernaculum regium potuisse. Cædes proximorum portæ excitavit hostes. Inde tantus terror pavorque

clara impugnat Crever. Ed. — *Cum classe instructa* (vide ad VI, 5, n. 3, et IX, 40, n. 12), *et quod*, quantum (vide ad XXXI, 46, n. 8), *militum longæ naves* (vid. ad XXI, 17, n. 5), *capere non poterant*, pro vulg. *militibus, quantum eorum* seu *quotquot longæ naves c. n. p., in onerarias impositis*. Conf. ad cap. 1, n. 7.

7. *Facturum se, quæ vellent, pollicitus*, scil. M. Valerius. — *Ad ostium fluminis*, Aoi. Conf. not. 2. — *Præfecto socium*. Magna pars scriptorum non agnoscit ultimam vocem; ut Nævius dicatur præfectus his copiis, quocumque gradu militiæ fuerit. Ed.

8. *Navibusque Oricum retro... remissis;* vide ad II, 45, n. 10.

9. *Ea visa inspectaque s. a. fecere;* vide ad I, 53, n. 1.

omnes occupavit, ut non modo alius quisquam arma caperet[10], aut castris pellere hostem conaretur; sed etiam ipse rex, sicut somno excitus erat, prope seminudus fugiens, militi quoque, nedum regi, vix decoro habitu, ad flumen navesque perfugerit. Eodem et alia turba effusa est. Paulo minus tria millia militum in castris aut capta, aut occisa : plus tamen hominum aliquanto captum, quam cæsum est. Castris direptis, Apolloniatæ catapultas, balistas tormentaque alia, quæ oppugnandæ urbi comparata erant, ad tuenda mœnia, si quando similis fortuna venisset[11], Apolloniam devexere : cætera omnis præda castrorum Romanis concessa est. Hæc quum Oricum essent nuntiata, M. Valerius classem extemplo ad ostium fluminis duxit, ne navibus capessere fugam rex posset. Itaque Philippus, neque terrestri, neque navali certamine satis fore parem se fidens[12], subductis aut incensis navibus, terra Macedoniam petiit, magna ex parte inermi exercitu spoliatoque. Romana classis cum M. Valerio Orici hibernavit.

XLI. Eodem anno in Hispania varie res gestæ; nam prius, quam Romani amnem Iberum transirent, ingentes copias Hispanorum Mago et Hasdrubal fuderunt : defecissetque ab Romanis ulterior Hispania, ni P. Cornelius, raptim traducto exercitu Iberum, dubiis sociorum animis in tempore advenisset. Primo ad castrum

10. *Ut non modo* non *alius quisquam arma caperet* (vide ad I, 40, n. 1), nisi pro *alius* leg. *haud* vel *vix*. — Hic suppressum esse τὸ *non*, licet *ne quid*. haud sequatur, notandum. Ed.

11. *Si similis fortuna venisset;* vid. ad IX, 12, n. 1.

12. *Satis fore parem se* Romanis *fidens, subductis* (vide ad VIII, 26, n. 1) *aut incensis navibus;* immo *atque incensis* leg. cum Duk.; nam si partem navium subduxisset tantum, ea Romanis prædæ fuisset. — *Terra Macedoniam petiit*, vel, ut alii tradunt, in Peloponnesum rediit; vide Plutarch. Arat. c. 51, p. 1051. Forte utrumque et illud prius factum. Conf. Schweigh. ad Polyb. VIII, 10, 1.

Altum[1] (locus est insignis cæde magni Hamilcaris) castra Romani habuere. Arx erat munita, et convexerant ante frumentum : tamen, quia omnia circa hostium plena erant, agmenque romanum impune[2] incursatum ab equitibus hostium fuerat, et ad duo millia, aut moratorum aut palantium per agros, interfecta, cessere inde Romani propius pacata loca, et ad montem Victoriæ[3] castra communivere. Eo Cn. Scipio cum omnibus copiis, et Hasdrubal Gisgonis filius, tertius Carthaginiensium dux, cum exercitu justo[4] advenit : contraque castra romana trans fluvium omnes consedere. P. Scipio, cum expeditis clam profectus ad loca circa visenda, haud fefellit hostes[5]; oppressissentque eum in patentibus campis, ni tumulum in propinquo cepisset. Ibi quoque circumsessus adventu fratris obsidione eximitur. Castulo, urbs Hispaniæ valida ac nobilis, et adeo conjuncta societate Pœnis, ut uxor inde Hannibali[6] esset, ad Romanos defecit. Carthaginienses Illiturgin oppugnare adorti, quia præsidium ibi romanum erat; videbantur inopia eum locum maxime expu-

Cap. XLI. 1. *Ad castrum Altum*, f. *Cuença* in Castilla nova : sed *castrum Album* bene conj. Drak., quia locus ἄκρα Λευκὴ dicitur Diod. XXV, 1, 2, in loco class. de *cæde Hamilcaris;* de qua conf. ad Sil. I, 143. — *Convexerant*, scil. Romani.

2. *Agmenque rom. impune incursatum;* vide ad VIII, 34, n. 4. — Dubitat Creverius an non hoc verbum sit ab conjectura editorum. Scripti enim et Gronoviani et nostri dant *inversatum*. Non tamen improbatur illi vulgata lectio; admonet tantum certam ejus originem non reperiri. Ed. — *Moratorum* a *morator*, de milite, qui moras faciendo ab agmine se sejungit et post agmen demum subsequitur; Doer. Sic et XXI, 47, n. 1. At *moratorum* potest etiam esse participium. — *Pacata loca;* vide ad II, 59, n. 5.

3. *Ad montem Victoriæ :* forte *ad portum Vict.* (hod. *Santander*), a quo fontes Iberi 40 mill. passuum abeunt (vide Plin. IV, 20, seu 34), nisi et mons et portus ita dicti. — *Hasdrubal Gisgonis filius;* vid. XXIII, 34, n. 1.

4. *Cum exercitu justo;* vide ad VI, 13, n. 3. — *Trans fluvium*, Iberum. — *Cum expeditis;* vide V, 16, n. 2.

5. *Haud fefellit hostes;* vid. ad III, 8, n. 2.

6. *Castulo urbs Hispaniæ...uxor inde Hannibali*, Imilce; vide XXI, 11, n. 9; ad Sil. III, 97 sq. et Schw.

gnaturi. Cn. Scipio, ut sociis præsidioque ferret opem, cum legione expedita profectus, inter bina castra cum magna cæde hostium urbem est ingressus, et postero die eruptione æque felici pugnavit. Supra duodecim millia hominum cæsa duobus prælliis: plus mille capti, cum sex et triginta militaribus signis. Ita ab Illiturgi recessum est. Bigerra inde urbs[7] (socia et hæc Romanorum erat) a Carthaginiensibus oppugnari cœpta est. Eam obsidionem sine certamine adveniens Cn. Scipio solvit.

XLII. Ad Mundam[1] exinde castra punica mota: et Romani eo confestim sequuti sunt. Ibi signis collatis pugnatum per quatuor ferme horas; egregieque vincentibus Romanis signum receptui est datum, quod Cn. Scipionis femur tragula confixum erat; pavorque circa eum ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. Cæterum haud dubium fuit, quin, nisi ea mora intervenisset, castra eo die punica capi potuerint. Jam non milites solum, sed elephanti etiam usque ad vallum acti erant, superque ipso novem et triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoque prælio ad duodecim millia hominum dicuntur cæsa, prope tria capta, cum signis militaribus septem et quinquaginta. Ad Auringen[2] inde urbem Pœni recessere; et, ut territis insta-

ad Appian. Hisp. c. 16. — *Inter bina castra.* Vulgo *intra*: quod mendum corrigendum monuit Gronovius ex aliquot scriptis quibus assentiuntur nostri. Ed.

7. *Bigerra urbs*, etiam Ptol. laudata, Clusio videtur esse Villena, inter Murciam et Valentiam media.

Cap. XLII. 1. *Ad Mundam*, Bæticæ urbem, quæ ab hodierna Munda tertio Hispan. milliario abfuit, inclaruitque etiam atroci prælio, quo Cæsar ibi vicit Pompeii M. filios; vide ad Sil. III, 400, et Drakenb. infra ad XL, 47, ubi monet, Mundam Bæticæ oppid. a Celtiberia, in qua bellum Graccho gerendum fuerit, procul distare, et, nisi alia Munda in Celtiberia vel in regione vicina sita fuerit, ejus mentionem ibi ferri non posse. *Mantuam*, Carpetanorum urbem, Celtiberis propinquam, ibi conj. Doujat. — *Tragula*; vide XXI, 7, n. 6.

2. *Ad Auringen*, urbem forte eam-

ret, sequutus Romanus. Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit : nec dubia victoria fuit; minus tamen dimidio hostium, quam antea, quia pauciores superfuerant, qui pugnarent, occisum. Sed gens nata instaurandis reparandisque bellis[3], Magone ad conquisitionem militum fratre misso, brevi replevit exercitum, animosque ad tentandum de integro certamen fecit. Alii plerique milites[4], sicut pro parte toties intra paucos dies victa, iisdem animis, quibus prius, ita eodem eventu pugnavere. Plus octo millia hominum cæsa : haud multo minus quam mille captum, et signa militaria quinquaginta octo; et spolia plurima gallica fuere, aurei torques armillæque, magnus numerus. Duo etiam insignes reguli Gallorum (Mœnicapto et Civismaro[5] nomina erant) eo prælio ceciderunt. Octo elephanti capti, tres occisi. Quum jam res prosperæ in Hispania essent, verecundia Ro-

dem, quæ *Oringis* dicitur XXVIII, 3, et *Oningis* Plin. III, 1, seu 3, ubi vide Hard.

3. *Sed gens* (non punica, sed Barcina, h. l. Hasdrubal et Mago, fratres Hannibalis Hamilcarisque filii, in Hispania bellum gerentes) *nata instaurandis bellis* (conf. XXI, 10, et ad V, 37, n. 6), *Magone fratre* (quæ voces junctim legendæ, vel scribendum *a fratre* Hasdrubale) *misso ad conquisitionem militum* (vide ad XXI, 11, n. 10), *brevi* tempore *replevit exercitum* militibus, a Magone conquisitis, supplevit, *animosque fecit* exercitui; Strothius. *Replere* ob seqq. etiam accipere possis simpliciter pro reficere, recreare : quam exquisitiorem verbi significationem esse, Ruhnken. ad Vell. II, 56, docet; Ern. Sed malim referre ad *conquisitionem militum*.—Gallice, *remplir les cadres d'une armée*. Ed.

4. *Alii plerique milites*, qui opponuntur h. l. ducibus, seu genti Barcinæ; Stroth. Pro *alii*, Valla conj. *Galli;* et Gron. *At hi.....pro parte toties victa*, pro partibus Pœnorum (ut XXXV, 31, n. 8; XXXV, 50, n. 1 al.), pro Pœnis. — *Ita eodem eventu* e quibusdam MSS recepi cum Stroth. In plerisque est *orta eodemque e*. In edd. ante Stroth. *Prius, eodemque eventu.*

5. *Mœnicapto et Civismaro*, in MS Put. *Mœnicapta et Vismaro*. — *Quum jam res prosperæ*, etc., at non tum demum, sed jam aliquot annis ante, immo semper, ex quo ductu Scipionum in Hispania bellatum erat : unde leg. *quum tam res prosperæ;* Periz. coll. Plaut. Bacch. III, 3, 16. Sed Livius haud dubie tum *res tam prosperæ* dixisset; Doer. Malim *ita res prosperæ*.

manos tandem cepit[6], Saguntum oppidum, quæ causa belli esset, octavum jam annum[7] sub hostium potestate esse. Itaque id oppidum, vi pulso præsidio punico, receperunt, cultoribusque antiquis, quos vis reliquerat belli, restituerunt : et Turdetanos, qui contraxerant[8] eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos sub corona vendiderunt, urbemque eorum delevere.

XLIII. Hæc in Hispania, Q. Fabio, M. Claudio consulibus, gesta. Romæ quum tribuni plebis novi magistratum inissent, extemplo censoribus, P. Furio et M. Atilio, a L. Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. Quæstorem eum[1], proximo anno, adempto equo, tribu moverant, atque ærarium fecerant, propter conjurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam. Sed novem tribunorum auxilio vetiti causam in magistratu[2] dicere dimissique fuerant. Ne lustrum

6. *Verecundia Romanos cepit;* vide ad III, 62, n. 8. — *Saguntum oppidum, quæ causa belli esset :* ita Cant. et al. pro vulg. *quod causa b. e.* more Livii, qui pron. relativum et demonstrativum cum seq. jungi maluit; Jac. Gronov. Conf. ad XXI, 10, n. 14; XXIX, 11, n. 4; XXXII, 4, n. 1 (ubi vide J. Fr. Gron.); XXXII, 30, n. 1; XXXIII, 8, n. 3. Sic et *ea erat confessio* I, 45, n. 4, et similia I, 29, n. 1; III, 36, n. 1; III, 38, n. 7; XXXIX, 10, n. 3.

7. *Octavum jam annum :* immo *quintum*, si, quod Livius, lib. XXI, docet, primo hujus belli anno, vel *sextum*, si quod Polyb. scribit, anno ante hoc bellum captum est; Glar. Conf. ad XXI, 6, n. 3.

8. *Turdetanos, qui contrax.*, etc.; vide XXI, 6, ibique not. 1. — *Sub corona vendiderunt;* v. II, 17, n. 3.

Cap. XLIII. 1. *Quæstorem eum* L. Metellum *proximo*, superiore, *anno, adempto equo*, etc.; vide cap. 18, ibique not. 2, 4.

2. *Vetiti causam in magistratu*, quandiu censores essent, *dicere :* neque etiam magistratus, minime majores, in jus vocari licebat. Conf. ad Tac. Annal. IV, 19, n. 2. — *Dimissique fuerant.* Melius Creverio et Drakenb. videretur *fuerunt;* cujus, si Walchium, Emend. p. 41, audiamus, non minor est offensio quam vulg. lectionis; neque illius usus est, nisi in relatione quadam. Itaque legendum conjicit *dimissi quieverunt.* Sed vulgatam propugnat *Büttner*, Obs. p. 68; eaque sollicitanda non opus esse censet, si interpunctione paulum adjuvatur sententia : *sed.....vetiti* (sunt) *causam...dicere : dimissique fuerant.* Scilicet ad *vetiti* subaudiendum *sunt*,

perficerent[3], mors prohibuit P. Furii. M. Atilius magistratu se abdicavit. Consularia comitia habita a Q. Fabio Maximo consule : creati consules ambo absentes[4] Q. Fabius Maximus, consulis filius, et Ti. Sempronius Gracchus iterum. Prætores fiunt M. Atilius, et, qui tum ædiles curules erant, P. Sempronius Tuditanus, et Cn. Fulvius Centumalus, et M. Æmilius Lepidus. Ludos scenicos per quatriduum eo anno primum factos ab curulibus ædilibus, memoriæ proditur. Ædilis Tuditanus hic erat[5], qui ad Cannas, pavore aliis in tanta clade torpentibus, per medios hostes evasit. Comitiis perfectis, auctore Q. Fabio consule, designati consules Romam arcessiti magistratum inierunt : senatumque de bello ac provinciis suis prætorumque, et de exercitibus, quibus quique præessent, consuluerunt.

XLIV. Itaque provinciæ atque exercitus divisi. Bellum cum Hannibale consulibus mandatum, et exercituum[1] unus, quem ipse Sempronius habuerat, alter, quem Fabius consul : eæ binæ erant legiones. M. Æmilius prætor, cujus peregrina sors erat, juris dictione M. Atilio collegæ, prætori urbano, mandata, Luceriam provinciam haberet[2], legionesque duas, quibus

quæ Livio usitatissima est omissio, neque *fuerant* illuc trahendum. Quid nunc de *dimissi fuerant?* Rarissimus est ille usus, quo Livius imperfectis et perfectis repente subjungit plusquamperfecta; exempla tamen suppetunt, verbi gratia, I, 12 : *Mettus..... conjecit : adverteratque*, etc., et al. cui non placebit hæc defensio poterit et suspicari eum Walch. censore *fuerant* ad glossema relegandum esse. Ed.

3. *Ne lustrum perficerent* (vide ad I, 44, n. 3), *mors prohibuit...se abdicavit;* vide ad lib. V, cap. 31, n. 4.

4. *Creati consules ambo absentes;* vide ad IV, 42, n. 1.

5. *Ædilis Tuditanus.....qui*, etc.; vid. XXII, 50.

Cap. XLIV. 1. *Et exercituum*, scilicet consulibus mandati *unus, quem*, etc. — *Cujus peregrina sors erat;* vide ad XXII, 35, n. 5. — *Juris dictione collegæ mandata ;* qui itaque utramque prætura sortitus est, ut sæpe alii; vide ad XXV, 41, n. 8.

2. *Luceriam provinciam* ut *haberet*

Q. Fabius, qui tum consul erat, prætor præfuerat. P. Sempronio provincia Ariminum, Cn Fulvio Suessula, cum binis item legionibus, evenerunt: ut Fulvius urbanas legiones duceret, Tuditanus a M. Pomponio acciperet. Prorogata imperia provinciæque, M. Claudio Sicilia finibus eis, quibus regnum Hieronis fuisset; Lentulo proprætori provincia vetus[3]; T. Otacilio classis: exercitus nulli additi novi. M. Valerio Græcia Macedoniaque cum legione et classe, quam haberet: Q. Mucio cum vetere exercitu (duæ autem legiones erant) Sardinia: C. Terentio legio una, cui jam præerat, et Picenum. Scribi præterea duæ legiones urbanæ jussæ et viginti millia sociorum. His ducibus, his copiis, adversus multa simul, aut mota, aut suspecta, bella munierunt romanum imperium[4]. Consules duabus urbanis legionibus scriptis supplementoque in alias lecto, prius, quam ab Urbe moverent, prodigia procurarunt[5], quæ nuntiata erant. Murus ac portæ

scilicet mandatum. Confer ad XXV, 3, n. 3. — *P. Sempronio* Tuditano (confer cap. 43 extr.) *provincia Ariminum*, ut XXVIII, 38; XXX, 1, et XXXII, 1. Eadem provincia *Gallia* dicitur XXV, 3; XXVI, 1; XXVIII, 38, ut *gallica provincia* Suet. Claud. 24, et Umbria una ex quatuor provinciis quæstoriis Italiæ. *Ariminum* vocatur, quia ibi erat sedes quæstoris, qui provinciæ præerat; vide ad Tac. Ann. IV, 27, n. 3; Ernesti ad Suet. loco laudato Sigon. de Ant. jur. Ital. I, 26, et Noris. Cenot. Pis. I, 1 extr. — *Evenerunt* forsan non sorte, sed senatusconsulto; vide Duker.

3. *Lentulo proprætori provincia vetus* in Sicilia, ut XXV, 3, pars insulæ, a Romanis jam bello punico I, devicta. *Vetus provincia* non modo *novæ*, ut in Gallia et Africa, sed rebelli etiam regioni opponitur; vide ad Tac. Ann. I, 58, n. 7. *Nova provincia* erat *regnum Hieronis*. Confer ad XXV, 41, n. 8, et XXVII, 8, n. 8.

4. *Munierunt romanum imperium*, forte *Romani*.

5. *Prodigia procurarunt* (vide ad I, 20, n. 11, et I, 31, n. 1); consules jussu senatus et *ex decreto pontificum*, quod mox dicitur. Confer XXV, 7; XXVII, 4, et 37; XXVIII, 11; XXX, 2; XXXII, 1; XXXIII, 26; XXXVI, 37; XLI, 9, et 16; XLIII, 13 al. Quin et *prodigia per pontifices procurari placuit* XXXVII, 3, n. 1, quod aliter accipiendum monet Duker. « nempe senatum censuisse, ut pontifices curarent, omnia illa prodigiorum procurandorum causa fieri, quæ consules ex decreto pontificum ea procurantes facere solebant. Nam et decem-

tactæ, et Ariciæ etiam Jovis ædes de cælo tacta fuerat; et alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris: navium longarum species in flumine Tarracinæ[6] quæ nullæ erant, visæ, et in Jovis Vicilini templo, quod in compsano agro est, arma concrepuisse, et flumen Amiterni[7] cruentum fluxisse. His procuratis ex decreto pontificum, profecti consules, Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius. Pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. Quum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majestatis ejus taciti anteirent, præter undecim fasces equo prævectus senex, ut consul animadvertere proximum lictorem jussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit; tum

viri sibyllini, e quorum decreto itidem prodigia per consules procurabantur, nihilo minus ipsi interdum eorum expiandorum causa sacra faciebant; ut XXXVII, 3, et 37; XLV, 16. » — *Murus ac portæ... de cælo t. fuerat,* in multis MSS *fuerant,* prob. Gron. qui etiam vocem *tactæ* delendam putabat, ut *murus ac portæ* Urbis intelligerentur. Sed sub hac voce nomen urbis alicujus latet; Drak.

6. *In flumine Tarracinæ,* ad Tarracinam. Confer ad IV, 59, n. 2. — *Jovis Vicilini,* qui a loco, hodie incognito, cognomen traxisse videtur; Stroth. Confer ad XXIII, 37, n. 4. — *In compsano agro;* vide ad XXIII, 1, n. 1 : *comptino* Put. Forte *pomptino;* Gron.

7. *Flumen Amiterni c. f.;* vide ad I, 31, n. 1, et X, 39, n. 1. — *Pater,* Q. Fabius Max. *filio legatus in castra venit,* equo vectus, ut et filius, *quum* hic illi *obviam progrederetur* officii causa. — *Lictoresque taciti anteirent,* non *animadvertentes* seu monentes, ut pater descenderet ex equo; Stroth. Nam eques, ad consulem equo insidentem venturus, descendere honoris gratia ad pedes debebat. Fabius autem pater non sponte descendebat ex equo, sed mandatum filii exspectabat, ut eum tentaret videretque, utrum memor esset honoris sui, et hominem officii immemorem, quamvis patrem, illud præstare moneret. — *Præter XI fasces,* seu lictores *equo prævectus;* vide ad I, 45, n. 7, et II, 45, n. 7. — Hinc apparet, ait Creverius, quod et aliunde constat, lictores ire solitos ante magistratum, non gregatim, non binos ternosve, sed singulos et in lineam. Ed. — *Animadvertere,* attentum esse, propr. de lictoribus, populum submoventibus, eorumque solenni et prænuntio clamore: *Animadvertite!* (confer Plin. Pan. 61) quo jubebant consulem prætoremve subsequentem *animadverti,* respici, justumque ei honorem exhiberi, verbi causa, assurgi, via cedi, equo aut curru descendi, etc. Confer Suet. Cæs. 80; Sen. Ep. 70, et Lips. Elect. I, 23. Contra Plin. Pan. 23, 24, docet, Trajanum *silentes quietosque lictores subsequutum esse; liberumque fuisse, ingrediente per pu-*

demum desiliens, «Experiri, inquit, volui, fili, satin' « scires, consulem te esse. »

XLV. In ea castra Dasius Altinius arpinus[1] clam nocte cum tribus servis venit, promittens, si sibi præmio foret, se Arpos proditurum esse. Quum eam rem ad consilium retulisset Fabius, aliis *pro transfuga verberandus necandusque* videri, *ancipitis animi communis hostis, qui post cannensem cladem, tamquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Hannibalem discessisset*[2] *traxissetque ad defectionem Arpos; quumque res romana contra spem votaque ejus velut resurgeret, turpius videatur novam referre proditionem proditis olim*[3]*; qui aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis; ad Faleriorum Pyrrhive*

*blicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire, hærere lateri.* — *Proximus* consuli *lictor,* ut apud Cic. Verr. V, 54, est duodecimus : nam lictores ante magistratum non gregatim ibant aut confuse, sed singuli et in lineam vel serie continua; vide Lips. loco laudato. Cæterum conf., qui eamdem rem narrant, Plut. Fab. pag. 188; Valer. Max. II, 2, n. 4, et inpr. Gell. II, 2, qui etiam monet, *in publicis locis, muneribus et actionibus patrum jura* (et quanta hæc erant apud Romanos?) *cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum et connivere, sed in domestica re ac vita publicos honores cessare, naturales et genuinos exoriri.*

Cap. XLV. 1. *Dasius Altinius arpinus* MSS; *Classius* vel *Cassius Altinus arpinas* edd. ante Gron. Τὶς ἔγγονος εἶναι τοῦ Διομήδους νομιζόμενος, Δάσιος apud Appian. b. Hann. 31, qui tamen clam eum Romam contendisse et inde ejectum per Apuliam errabundum discurrisse, tum Romanos, tum Pœnos metuentem, tradit. — *Arpos* (unde *arpinus*); vide ad IX, 13, n. 3. — *Ad consilium* militare. — *Pro transfuga;* vide ad II, 7, n. 4. — *Communis hostis* Romanis ac Pœnis, *ancipitis animi,* ut mox : cujus *fides cum fortuna stat;* et *qui aliunde* (a partibus alius) *stat semper, aliunde sentit* (qualis homo *bilinguis* dicitur), nec longe a fine cap. *ambiguæ fidei vir;* ἀνὴρ εὐμετάβολος τὰ φρόνημα apud Appian. loco laudato. Confer ad I, 25, n. 4; II, 62, n. 3; VIII, 34, n. 1.

2. *Ad Hannibalem discessisset,* descivisset, ad ejus partes transiisset, ut contra *a Perseo discedere,* deficere, XLIII, 6, *discessit* c. Voss. et *descisset* quidam MSS prob. Gron. — *Res romana;* vide ad I, 12, n. 3.

3. *Novam referre proditionem proditis olim,* ad proditos olim afferre; iis offerre, ostendere; Duk. gratum rependere Romanis, qui ingratum passi sint, ut *gratiam referre* pro gratum rependere illi, qui gratum fecerit : *den*

*proditorem tertium transfugis documentum esset.* Contra ea consulis pater Fabius, *temporum oblitos homines, in medio ardore belli, tamquam in pace, libera de quoque arbitria agere,* aiebat: *qui, quum illud potius agendum atque eis cogitandum sit, si quo modo fieri possit, ne qui socii a populo romano desciscant, id non cogitent; documentum autem dicant statui oportere, si quis resipiscat, et antiquam societatem respiciat. Quod si abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat; cui dubium esse, quin brevi deserta ab sociis romana res fœderibus punicis omnia in Italia juncta visura sit? Se tamen non eum esse, qui Altinio fidei quidquam censeat habendum, sed mediam consequuturum consilii viam*[4]. *Neque eum pro hoste, neque pro socio in præsentia habitum, libera custodia haud procul a castris placere in aliqua fida civitate servari per belli tempus: perpetrato bello, tum consultandum, utrum defectio prior plus merita sit pœnæ, an hic reditus veniæ.* Fabio assensum est; catenisque ligatus,

*ehemals Verrathenen einen neuen Verrath zur Entschädigung bringen;* Str. Confer Gron. Obss. IV, 11, ubi et has et alias hujus cap. lectiones, a librariis misere corruptas, ex ingenio et vestigiis MSS sagaciter eruit. — *Ad,* præter, seu post, *Faleriorum proditorem,* ludi magistrum, de quo vide V, 27, *Pyrrhive* (immo *Pyrrhique* ob seq. *tertium*) *proditorem,* medicum, Timocharem vel Niciam, de quo vide Epit. lib. XIII extr. Gell. III, 8; Val. Max. VI, 5, n. 1; Cic. Off. III, 22; Plut. Pyrrh. p. 396. *Proditores* conj. Duk. — Vide et Supplem. Freinshem. lib. XIII, capp. 44 et 45. — *Documentum;* vide ad Præf. n. 4. — *Esset* sententiam deliberantium significat: intell. se censere; Stroth. Forte leg. *is sit.* — *Arbitria agere,* ut *arbitria belli paeisque agere, tractare, captare, suscipere* XLIV, 15, n. 3; Tac. Annal. XII, 60; Vell. II, 50; Justin. XXII, 2. *Arbitrum pacis ac belli esse* Justin. V, 2; modum pacis ac *belli facere* sup. IX, 14. Conf. Gron. Obss. IV, p. 175.

4. *Sed mediam consequuturum consilii viam,* hoc est, sequuturum. Sic *consequeretur* XXVII, 27 pr. optimi MSS pro vulg. *persequeretur.* Cf. ad I, 32, n. 12. — *Libera custodia* (gr. φυλακὴ ἐλευθέρα, ἐλευθερία δέσμος, δημωτήριον ἐλευθέριον, germ. *Staatsgefängniss, weiter Arrest*), qualis non Romæ fuit, sed in municipiis, mox explicatur verbis: *Calibus eum interdiu solutum custodes sequebantur,*

traditur et ipse et comites : et auri satis magnum pondus, quod secum tum attulerat, ei servari jussum. Calibus eum interdiu solutum custodes sequebantur : nocte clausum adservabant. Arpis domi primum desiderari quærique est cœptus : dein fama, per totam urbem vulgata, tumultum, ut principe amisso [5], fecit: metuque rerum novarum extemplo nuntii ad Hannibalem missi. Quibus nequaquam offensus Pœnus, quia et ipsum, ut ambiguæ fidei virum, suspectum jam pridem habebat, et causam nactus erat tam ditis hominis bona possidendi [6] vendendique : cæterum ut iræ magis, quam avaritiæ, datum crederent homines, crudelitatem quoque gravitati addidit [7]; conjugemque ejus ac liberos in castra accitos, quæstione prius habita, primum de fuga Altinii, dein quantum auri argentique domi relictum esset, satis cognitis omnibus, vivos combussit.

XLVI. Fabius, ab Suessula profectus, Arpos primum institit oppugnare [1]. Ubi quum a quingentis fere passi-

*nocte clausum asservabant.* Cf. Intpp. Velleii, I, 9, et Sallust. Cat. 43, 50; Vales. et Wessel. ad Diodor. Exc. de Virt. et Vit. p. 571 et 581. — *Traditur,* scilic. custodibus, seu in custodiam.

5. *Tumultum, ut principe amisso, fecit;* vide ad VIII, 30, n. 7. — *Metuque rerum novarum;* vide supra ad I, 52, n. 1.

6. *Tam ditis hominis bona possidendi,* occupandi (a *possido*), ut XXXI, 31; XXXVIII, 60; XLII, 23. Conf. ad Tac. Ann. II, 5, n. 5. — *Ut iræ magis quam avaritiæ* id (quod forte excidit) *datum crederent homines;* vide ad III, 58, n. 4.

7. *Crudelitatem quoque gravitati* (severitati) *addidit* e MS Flor. et al. pro vulg. *crudelitati q. gravitatem a.* recepi cum Strothio, qui tamen recte simul monuit, pro *gravitati,* quæ ab h. l. aliena sit (quum de duobus potius Hannibalis vitiis sit sermo, de *avaritia,* quam *habita quæstione de auro argentoque domi relicto,* et de *ira,* seu *crudelitate,* quam *comburendo vivos* liberos conjugemque Altinii significaverit), legendum *aviditati* aut cum Gron. *rapacitati.* Suspicari etiam possis *cupiditati,* et *gravem,* vel *feram,* vel *diram aviditati.* Minus apte Ern. conj. *crudelitati q. pravitatem.* Cæterum eamdem crudelitatem Hannibalis memorat Appian. Bell. Hann. 31, et aliud ejus exemplum c. 44 extr.

Cap. XLVI. 1. *Institit oppugnare;* vide ad cap. 26, n. 7. — *Neglectam*

bus castra posuisset, contemplatus ex propinquo situm urbis mœniaque, quæ pars tutissima mœnibus erat, qua maxime neglectam custodiam vidit, ea potissimum aggredi statuit. Comparatis omnibus, quæ ad urbes oppugnandas usui sunt, centurionum robora ex toto exercitu delegit, tribunosque viros fortes eis præfecit, et milites sexcentos, quantum satis visum est, attribuit : eosque, ubi quartæ vigiliæ signum cecinisset[2], ad eum locum scalas jussit ferre. Porta ibi humilis et angusta erat, via infrequenti per desertam partem urbis. Eam portam scalis prius transgressos ad murum pergere, et ex interiore parte vi claustra refringere jubet, et tenentes partem urbis cornu signum dare, ut cæteræ copiæ admoverentur : parata omnia atque instructa sese habiturum. Ea impigre facta; et, quod impedimentum agentibus fore videbatur, id maxime ad fallendum adjuvit. Imber, ab nocte media coortus, custodes vigilesque, dilapsos e stationibus, subfugere in tecta coegit; sonituque primo largioris procellæ strepitum molientium portam[3] exaudiri prohibuit, lentior deinde æqualiorque accidens[4] auribus

*custodiam.* Vulgo *custodia;* quam lectionem prorsus inconcinnam judicat Crev. et rejecit, quum in Vict. codice reperiret *custodiam;* mox ejusdem codicis lectionem *videt* merito anteponi posse vulgatæ *vidit* existimat. Ed.

2. *Quartæ vigiliæ signum cecinisset;* vid. ad VII, 35, n. 2, et VII, 40, n. 4. — *Via infrequenti per desertam p. u.;* vide ad X, 11, n. 3. — *Eam portam.....pergere.* Non sana lectio hæc videri potest; nam qui portam scalis transgressi sunt eos non necesse est ad murum pergere, quum in ipso muro sint. Putean. codex, quod jam notavit Crev. habet *transgressos amurum perire:* ultimæ autem voci manus secunda superscripsit *ge;* unde id quod vulgo legitur propagatum : at ipse ex optimi codicis vestigiis emendandum esse conjecit : *Eam portam, scalis prius transgressos murum, aperire.* Ecce contra, unam voculam transponens clar. Roellius legit : *Ad eam portam, sc. pr. transgressos murum, pergere:* cui assentitur Drakenb. non enim prius portam aperiebant, dein claustra refringebant. Ed.

3. *Strepitum molientium portam;* vide ad VI, 11, n. 5.

4. *Accidens auribus* strepitus; vide ad XXI, 10, n. 15.

magnam partem hominum sopivit. Postquam portam tenuerunt, cornicines in via paribus intervallis dispositos canere jubent, ut consulem excirent. Id ubi factum ex composito est, signa efferri consul jubet, ac paulo ante lucem per effractam portam urbem ingreditur.

XLVII. Tum demum hostes excitati sunt, jam et imbre conquiescente, et propinqua luce. Præsidium in urbe erat Hannibalis, quinque millia ferme armatorum : et ipsi Arpini tria millia hominum [1] armabant. Eos primos Pœni, ne quid ab tergo fraudis esset, hosti opposuerunt. Pugnatum primo in tenebris angustisque viis est; quum Romani non vias tantum, sed tecta etiam proxima portæ occupassent, ne peti superne ac vulnerari possent. Cogniti inter se quidam Arpinique et Romani; atque inde colloquia cœpta fieri, percunctantibus Romanis, quid sibi vellent Arpini; quam ob noxam Romanorum, quod ob meritum Pœnorum [2] pro alienigenis ac barbaris Italici adversus veteres socios Romanos bellum gererent, et vectigalem ac stipendiariam [3] Italiam Africæ facerent? Arpinis purgantibus, ignaros omnium se venum a principibus

Cap. XLVII. 1. *Arpini...armabant;* leg. *armarant :* neque enim eo ipso momento, quo Romani jam urbem ingrediebantur, tot millia hominum armare poterant; Duk. — *Pugnatum primo....possent. Cogniti*, etc. mallet Walchius, Em. p. 188, ut apertius ἀνακόλουθος demonstretur: *Pugnatum ....in viis est. Quum....possent, cogniti*, etc. Ed.

2. *Quod aut mer.* optimi MSS; *quod ob mer.* plerique MSS et edd. ante Gron. *quod autem ob m.*, etc. Palat. 2, recepit Stroth. auctore Duk. Non male, etsi Doer. putet, non *autem*, sed *aut* requiri, quia *meritum Pœnorum noxæ Rom.* oppositum sit. Sæpe *autem* est fere idem quod *aut*, vel *etiam*.

3. *Vectigalem ac stipendiariam;* vid. ad V, 10, n. 5. — *Arpinis purgantibus*, se purgandi, seu defendendi causa dicentibus, vel *purgantibus*, excusantibus se, seu rem dicendo, seu ostendendo, *ignaros omnium se datos ... esse*, ut XXVIII, 37, n. 2; XXXIV, 5, n. 7; XLI, 19. Sic et *satis facere* seq. infinit. XXXIII, 49, n. 1, brevius dictum pro *satis facere probando*, vel *et probare*, seu ostendere.—*Se venum*, etc.; v. III, 55, n. 8.

datos Pœno, captos oppressosque a paucis esse. Initio orto[4], plures cum pluribus colloqui. Postremo prætor arpinus ab suis ad consulem deductus; fideque[5] data inter signa aciesque, Arpini repente pro Romanis adversus Carthaginiensem arma verterunt. Hispani quoque, paulo minus mille homines, nihil præterea cum consule pacti, quam ut sine fraude punicum emitteretur præsidium, ad consulem transtulerunt signa. Carthaginiensibus portæ patefactæ, emissique cum fide incolumes ad Hannibalem Salapiam venerunt. Arpi sine clade ullius, præterquam unius veteris proditoris, novi perfugæ[6], restituti ad Romanos. Hispanis duplicia cibaria[7] dari jussa; operaque eorum forti ac fideli persæpe res publica usa est. Quum consul alter in Apulia, alter in Lucanis esset; equites centum duodecim nobiles Campani, per speciem prædandi ex hostium agro, permissu magistratuum[8] ab Capua profecti, ad castra romana, quæ super Suessulam erant, venerunt. Stationi militum, qui essent, dixerunt, colloqui sese cum prætore velle. Cn. Fulvius castris præerat : cui ubi nuntiatum est[9], decem ex eo numero jussis inermibus deduci ad se, ubi, quæ postularent,

4. *Initio orto* colloquiorum, seu colloquendi.

5. *Fideque data*, certa amicitiæ pollicitatione. Confer ad XXIII, 19, n. 10. — *Adversus Carthaginiensem* MSS Put. et Cantabr. pro vulg. *a. Carthaginienses.* Sic passim; ut et *Pœnus* pro *Pœnis.* — *Emissique cum fide;* vide ad XXIII, 19, n. 10.

6. *Unius veteris proditoris, novi perfugæ*, Altinii; vide cap. 45. — *Restituti ad Romanos;* vide ad II, 13, n. 4.

7. *Duplicia cibaria;* vide ad II, 59, n. 6.

8. *Permissu magistratuum;* vide ad XXIII, 10, n. 4. — Pluralem hinc casum rejiciunt Gronov. et Duker., prior, quia non nisi unum Capuæ magistratum fuisse contendit; posterior, licet ratus præter medixtuticum alios minores magistratus tantam urbem habuisse, quia probabile arbitratur hoc a solo medixtutico peti et permitti potuisse. Quoniam tamen codices constanter servant *magistratuum*, pristinam lectionem Drak. restituit. Ed.

9. *Cui ubi nuntiatum est;* forte leg. *ut* pro *ubi*, quod bis positum haud placet. Confer tamen ad I, 3, n. 8.

audivit (nihil autem aliud petebant, quam ut, Capua recepta, bona sibi restituerentur), in fidem omnes accepti. Et ab altero prætore Sempronio Tuditano oppidum Aternum [10] expugnatum. Amplius septem millia hominum capta, et æris argentique signati aliquantum. Romæ fœdum incendium per duas noctes ac diem unum tenuit : solo æquata omnia inter [11] Salinas ac portam Carmentalem, cum Æquimælio Jugarioque vico. In templis Fortunæ ac Matris Matutæ et Spei extra portam late vagatus ignis sacra profanaque multa absumpsit.

XLVIII. Eodem anno P. et Cn. Cornelii, quum in Hispania res prosperæ essent, multosque et veteres reciperent socios, et novos adjicerent, in Africam quoque spem extenderunt. Syphax erat rex Numidarum [1], subito Carthaginiensibus hostis factus : ad eum centuriones tres legatos miserunt, qui cum eo amicitiam societatemque facerent, et pollicerentur, si perseveraret urgere bello Carthaginienses, gratam eam

10. *Oppidum Aternum* fuit tum in Lucania ad Silarum flum. (hodie *Aterni*), tum in Piceno, navale Marrucinorum Pelignorumque, quod nunc *Pescaro* dicitur, ut et *Aternus* flum., cujus ostio appositum est. Sed utrumque alienum ab h. l. quia Sempronio, successori M'. Pomponii, provincia fuit Ariminum, vel gallicus ager, pars Umbriæ. Confer cap. 10 et 44. *Claternum* conj. Cluver. Ital. I, pag. 289. Hoc vero opp. Galliæ cispadanæ prope Bononiam dicebatur potius *Claterna* et Strab. V, 1, n. 11, pag. 216, Κλίτερνα, hodie Quaderna. Forte leg. *Tifernum* (non illud Samnii, ut IX, 44, et X, 14, sed Umbriæ, sive Tiberinum, sive Metaurense), vel *Ravennam*. — *Tenuit;* vide ad II, 3, n. 6.

11. *Inter Salinas;* vide ad V, 45, n. 3. Mox vocem *vico* junge cum *Jugario*, non *Æquimælio*; vide ad IV, 16, n. 1. — *In templis Fortunæ ac Matris Matutæ* (vide ad V, 19, n. 6) intra portam Carmentalem *et Spei extra portam* hanc. Confer XXV, 7.

Cap. XLVIII. 1. *Syphax erat rex Numidarum*, et quidem *Massæsylorum;* ut Gala et Masinissa *Massylorum*, vel *Massyliorum* in parte altera Numidiæ, quam tamen et Syphax aliquamdiu obtinuit, ejecto Masinissa. Cf. c. extr. et XXVIII, 17; XXIX, 29-33; XXX, 11; ad Sil. XVI, 170 seq. Massæsyli erant in Mauretania Cæsariensi a Metagonio ad Tritum prom. vel a Malua, seu Mulucha et Molochath flum. (hod. *Mulvia*), ad Ampsagam flumen, quod

rem fore senatui populoque romano, et adnisuros, ut in tempore et bene cumulatam gratiam referant. Grata ea legatio Barbaro fuit; colloquutusque cum legatis de ratione belli gerendi, ut veterum militum verba audivit, quam multarum rerum ipse ignarus esset, ex comparatione tam ordinatæ disciplinæ, animum advertit[2]. Tum, primum ut pro bonis ac fidelibus sociis facerent[3], oravit, *ut duo legationem referrent ad imperatores suos; unus apud sese magister rei militaris remaneret. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse, equis tantum habilem*[4]. *Ita jam inde a principiis gentis majores suos bella gessisse, ita se a pueris insuetos; sed habere hostem*[5] *pedestri fidentem Marte. Cui si æquari robore virium velit, et sibi pedites comparandos esse; et ad id multitudine hominum regnum abundare : sed armandi ornandique et*[6] *instruendi eos artem ignorare. Omnia, velut forte congregata*

nunc est regnum Algerianum, ubi olim Syphax, Juba, Bocchus inclaruere; Massyli, in Mauretania tingitana, vel gaditana et propria, sic dicta a Mauris, quos Græci Maurusios appellabant, ab Ampsaga flum. ad Zeugitanam, vel a finibus Marocani regni ad fretum gaditanum, ubi Gala, Masinissa, Jugurtha, Bogud et alii regnabant. Utraque Mauretania Numidiæ assignabatur, inprimis Tingitana, quæ etiam Numidia nova et propria dicta. Hinc *Maurusios Numidas* dixit Liv. cap. 49, ut Νομάδας Μαυρουσίους Appian. Bell. Civ. I, et Herodian. VII, 9. Sic et Polyb. III, 33, 15, Νομάδων δὲ Μασσυλέων καὶ Μασσαισυλίων καὶ Μαχκαίων καὶ Μαυρουσίων. Nam communi *Numidarum* nomine comprehendebantur Massyli, Massæsyli, Mauri et alii. Confer Cellarium, Geograph. antiq. IV, 5; Plinium, lib. V, cap. 1, 2, ibique Harduinum.

2. *Animum advertit* optimi MSS, ut IV, 45, n. 3; XLV, 5, n. 1, al. *Animadvertit* edd. ante Gron. quod idem est, vocibus contractis, ut et simpl. *advertere*, scil. animum aliquo, seu ad aliquid, h. e. observare, animadvertere, gr. προσέχειν, ἐπέχειν, προσποιεῖσθαι, sc. τὸν νοῦν, ut XLIV, 46; XLV, 5 al.

3. *Ut pro bonis ac f. sociis facerent;* vide ad II, 7, n. 4.

4. *Equis tantum habilem*, ad equos regendos et equestria prælia aptam, idoneam. — *Insuetos*, sc. esse.

5. *Sed habere se hostem*, scilicet Pœnos. Conf. seqq.

6. *Armandi ornandique et instruendi*, scil. aciem. Cf. ad IX, 40, n. 12. *Ordinandique* edd. a Mog. ad Gron. rectius forsan. Conf. not. 9. — *Velut forte congregata turba;* vide XXXIX,

*turba, vasta ac temeraria esse.* Facturos se in præsentia, quod vellet, legati responderunt; fide accepta, ut remitteret extemplo eum[7], si imperatores sui non comprobassent factum. Q. Statorio nomen fuit, qui ad regem remansit. Cum duobus Romanis reliquis Numida[8] legatos in Hispaniam misit ad accipiendam fidem ab imperatoribus romanis. Iisdem mandavit, ut protenus Numidas, qui intra præsidia Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem perlicerent. Et Statorius ex multa juventute regi pedites conscripsit; ordinatosque proxime morem romanum[9] instruendo et decurrendo signa sequi et servare ordines docuit; et operi aliisque justis militaribus[10] ita assuefecit, ut brevi rex non equiti magis fideret, quam pediti; collatisque æquo campo signis, justo prælio Carthaginiensem hostem superaret. Romanis quoque in Hispania legatorum regis adventus magno emolu-

49, n. 4. — *Vasta* ex emend. Ruben. qui explicat: agrestia, rustica, rudia, incomposita, incondita, ut apud Cic. Orat. 45; de Orat. I, 25; III, 12, 43. In edd. ante Gron. *sua inscia;* quod *sua* revocavit Stroth. auctore Dukero. In MSS. optimis *suaisca* et *suasca.* Inde Salmas. conj. *vasca,* et Gron. *vesca,* h. e. quasi adesa (a *vescor,* non a *ve* et *esca,* ut placebat Gell. XVI, 5), hinc infirma, gracilia, tenuia. Cf. Gron. ad h. l. et Intpp. Virg. Georg. III, 175; IV, 131. —*Temeraria;* vide ad II, 46, n. 3.

7. *Ut remitteret extemplo eum,* sc. unum e legatis, *qui ad regem,* h. e. apud regem (ut supra *apud sese;* vide ad II, 10, n. 10), *remaneret.* Sed forte leg. *eum unum.* — *Q. Statorio nomen fuit;* conf. XXX, 23, et Oudend. ad Front. Strat. I, 1, 3.

8. *Cum duobus Romanis reliquis Numida,* Syphax, Numidarum rex, *legatos,* etc. Vox *reliquis,* a Drakenb. e duobus MSS haud optimis recepta, languida est et valde dubia. In omnibus fere MSS et edd. est *relata,* et deinde *Numida,* vel *Numidis,* vel *Numidasque legatos,* vel *legatosque.* In ed. Junt. *Cum d. R. legatis Numida legatos* non improb. Gron., qui tamen illud *legatis* aut *relata* delere malebat. Pro eo forte leg. *re pacta,* aut potius *regnator.*

9. *Ordinatosque proxime morem romanum* (conf. II, 48, n. 5) *instruendo* (vide IX, 40, n. 12) *et decurrendo;* vide XXIII, 35, n. 3.

10. *Justis militaribus,* omnibus, quæ ad rem militarem vel ad justos bonorum militum labores ritusque pertinent, quæ bono militi et noscenda et facienda sunt. *Institutis* pro *justis* ed. Tarvis. et al. Conf. Gron.

mento fuit : namque ad famam eorum transitiones crebræ ab Numidis cœptæ fieri. Ita cum Syphace Romanis juncta amicitia est. Quod ubi Carthaginienses acceperunt, extemplo ad Galam, in parte altera Numidiæ (Massyli[11] ea gens vocatur) regnantem, legatos mittunt.

XLIX. Filium Gala Masinissam[1] habebat, septem et decem annos natum, cæterum juvenem ea indole, ut jam tum appareret, latius regnum opulentiusque, quam accepisset, facturum. Legati, *quoniam Syphax se Romanis junxisset, ut potentior societate eorum adversus reges populosque Africæ esset*, docent, *melius fore Galæ quoque, Carthaginiensibus jungi quam primum, ante quam Syphax in Hispaniam, aut Romani in Africam transeant : opprimi Syphacem, nihildum præter nomen ex fœdere romano habentem, posse.* Facile persuasum Galæ, filio deposcente id bellum, ut exercitum mitteret; qui, Carthaginiensium legionibus conjunctis, magno prælio Syphacem devicit. Triginta millia eo prælio hominum cæsa dicuntur. Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex acie Numidas (extremi prope oceanum adversus Gades colunt) refugit[2] : affluentibusque ad famam ejus undique Barbaris, ingentes brevi copias armavit. Cum quibus ante quam in Hispaniam, angusto diremptam freto,

Observat. IV, 6, et Cort. ad Sallust. Jug. 11.

11. *Massyli* (*Massyla* edd. ante Crev.); conf. not. 1.

Cap. XLIX. 1. *Masinissam*, al. *Masanissam*. Forte leg. *Massanassam*, vel *Massanissam*, ut Græcis dicitur; vide ad Sil. X, 117. — *Septem et decem annos natum :* in hoc numero vitium esse, et forte leg. *XXV annos*, firmis rationibus demonstrant Wessel. Obss. I, 29, et Duk. ad h. l. Mox *quam quod accepisset* (ut XXXV, 1 et al.) edd. ante Gronov. et plerique MSS, prob. Stroth.

2. *In Maurusios ex acie Numidas .... refugit;* vide ad cap. 48, n. 1, unde patebit, vocem *Numidas* non esse delendam, vel mutandam in *Numidis* aut (*Numidarum extremi*, etc. — *Prope oceanum adversus Gades colunt;* vide ad I, 1, n. 3.

trajiceret, Masinissa cum victore exercitu advenit : isque ibi cum Syphace ingenti gloria per se, sine ullis Carthaginiensium opibus, gessit bellum. In Hispania nihil memorabile gestum, præterquam[3] quod Celtiberum juventutem eadem mercede, quæ pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores romani ad se perduxerunt : et nobilissimos Hispanos supra trecentos in Italiam ad sollicitandos populares, qui inter auxilia Hannibalis erant, miserunt. Id modo ejus anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.

3. *Præterquam quod;* vide supra ad XXII, 3, n. 8. Mox *qua pacta* plerique et optimi MSS. *Quam p.* et *quæ p.* reliqui MSS et edd. ante Gron. qui malebat *quam pacti...erant.* — *Mercenarium...neminem ante.* Illud non omnino vero consentaneum videtur; nam Gallos transfugas primo punico bello a Romanis in commilitium adscitos esse retulit ex Polybio et Zonara Freinshemius, lib. XIX, cap. 51. Ed.

# EXCURSUS

DE

# TRANSITU ALPIUM.

# PRÆMONITIO

# AD LECTOREM.

Quæstionem sæpius a Viris eruditis agitatam, quanam scilicet parte Alpes transierit Hannibal, in medium reducere ex integro tractandam operæ pretium mihi visum est. Quum autem viribus meis diffiderem, temporis præsertim penuria laboranti, succurrit vir clarissimus Ph. *de Larenaudière*, e societate Geographiæ, qui summa sagacitate et patientia complures libros evolvit perlegitque, et totam hujus dissertationis seriem, nova opinione proposita, gallico sermone perfecit. Nonnulla quoque exquisiti judicii acumine perspecta nobis impertitus est homo omni literarum genere imbutus *Malte-Brun*. Nunc utrique, quod me ita adjuverint, gratias publice ago habeoque. Tu, lector benevole, horum labori et nostro faveas, meque adjuves precor.

N. E. LEMAIRE.

# EXCURSUS

## DE ALPIBUS AB HANNIBALE SUPERATIS

### AD LIBRUM XXI, CAP. XXXVIII.

### PARS PRIOR.

Quum multa æternæ memoriæ facinora admirationi nostræ proponat antiquitas, inter cætera tamen transitus Alpium eminet, sive ad incepti audaciam difficultatesque, sive ad eventum respicias. Magnum enim spectaculum est, dignumque ad quod omnes populi convertant oculos, contemplari juvenem patriæ amantissimum et gloriæ cupiditate flagrantem, qui prioris belli dedecora et ignominiosæ pacis fœditatem indignatus, sibi viam hactenus intentatam per nives ac prærupta montium aperit, Italiam inopino tumultu trepidantem invadit, accensasque e busto saguntino tædas in Capitolini Jovis ædem jaculatur! Quamvis autem ab hoc Alpium transitu Hannibalis audax et callidissima fortitudo tantas Romanis clades portendere visa sit, tamen, qua parte illas montium altitudines transcenderit, primumque fulminaverit in Italiam, dubium reliquere auctores, et inde nescio quid admirationis ipsa movet expeditio. Quæ quidem temporum nocte involuta est, non quia nemini aut paucis admodum ea sint narrata: immo quicumque de bello punico secundo tractaverunt, tantum facinus prætermittere nullo modo poterant: plerique vero annalium scriptores, loca de quibus mentio erat cognoscere omiserunt; et quidquid diverso cuique diversa fama attulerat, illud statim adscripse-

runt, parum curantes utrum scripta rebus convenirent, an repugnarent.

Plurimi quidem ante Polybii tempora expeditionem Hannibalis historiæ mandarunt: quorum opera pleraque tempus et barbaries abolevit, et ipsis nominibus vix ac ne vix quidem pepercit. Hos inter numerandus est Fabius Pictor, jam factus senex, quum bellum exarsit; Silenus, de quo pauca in vita Hannibalis, cap. 13, Cornelius Nepos, et pauca etiam Tullius, de Divinatione, I, 24, commemoravit: iis adjungendus est Sosilus Lacedæmonius, quem Pœno literarum græcarum magistrum fuisse, multaque de rebus ab Hannibale gestis scripsisse, æque ac Silenum, narrat loco supra citato Cornelius: tum Lucius Cincius Alimentus in Sicilia prætor, juniorque ab Hannibale captus. Lucius demum Cœlius Antipater, vir Gracchis coævus, veteribusque multum laudatus. Qui quum totius secundi belli punici historiam ornavisset, a Livio sæpius in hoc XXI libro testis adhibetur: in ejus opere Tullius, Orat. II, 54, quum parum polita quædam reprehendat, hoc tamen laudat, quod paululum se erexerit, historiæque addiderit majorem vocis sonum.

Iis fretus auctoribus, Polybius Hannibalis Romanorumque in secundo bello punico gesta ordinavit; verum quidquid illi perhibebant, haud facilius admittendum ratus, omnia per se observanda prius judicavit. Quippe quum animadvertisset vir doctus et sapiens longinquas regiones tunc temporis nulli bene notas ingentique tenebrarum nocte involutas refugere, et sicut temporum, ita locorum intervalla fabulis esse obnoxia sensisset, terras ipse peragrare, ubi gestæ res memorabiles erant, agros, flumina, montes notare, civitates invisere, mores hominum noscere, incolarum experientiam præcipue seniorum lucro apponere statuit, quo meliori fide incertas annalium relationes confirmaret. Quapropter Alpes transiit, Galliam, Iberiamque lustravit, mari etiam Atlantico se commisit, certus labore et vigiliis comparare scientiam. Deinde reduci libros Consuales, qui in Jovis templo asservabantur, deferri jussit P. Cornel. Scipio,

quo familiariter utebatur, cæteraque de Romanorum gestis, quæ sedula magistratuum cura seposuerat, monumenta.

Quod vero ad Alpes attinet ab Hannibale superatas, Polybio quæ fides adhibenda sit, ipse docet, Hist. III, 48: Ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων εὐθαρσῶς ἀποφαινόμεθα, διὰ τὸ περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παρατετευχότων τοῖς καιροῖς, τοὺς δὲ τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτὸς κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως εἵνεκα καὶ θέας. Et alias: ἵνα διορθωσάμενοι τὴν τῶν προγεγονότων ἄγνοιαν ἐν τούτοις, γνώριμα ποιήσομεν τοῖς Ἕλλησι καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς οἰκουμένης.

Quis postea Polybium falsum dicere ausit, quem hominem veri curiosum tenacemque jam antea comperimus? quumque nullus alius auctor tam sedulo se ad scribendam historiam accinxerit, cui melius quam Polybio confidamus? quem ducem operis sapientiorem sequamur? Narrationem igitur qualem ab eo de transitu Alpium accepimus, continuo ante oculos proponamus, quæ quasi stella viæ adsit indicium, neque huc illuc sinat deflectere: sed contra quæcumque alii de re eadem diversa memoraverunt, ad eam redigantur, illiusque perfusa lumine inclarescant.

At profecto, quas Alpium partes trajecto Rhodano petierit Hannibal, dubium non esset, neque tantis recentiorum controversiis distraheretur quæstio, nisi Livius, quum in multis Polybium sequatur, hic in quibusdam ab eo omnino discederet, Pœnosque ab Isara alio prorsus ac Polybius deflecteret, et in diversam Italiæ regionem Alpibus delapsos deveheret. Cujus quidem scriptoris flores et elegantia quum animos hominum captarent, hujus eventus descriptio, qualis apud Polybium invenitur, veritati quidem magis consentanea, sed simplicior et arida, minorem inde fidem consequuta est. Et tamen hic, vir belli peritus, veri austerus satelles, eaque tantum prodigia esse ratus, quorum nullas humanas deprehenderat causas, Hannibalis vestigia in ipsis Alpium rupibus quæsivit, veritatemque ex superstitibus Pœnorum adversariis expressit: ille autem literarum, quam rei militaris studiosior, ducentis post bellum punicum secundum annis Romæ secum historiam romanam compo-

suit. Quos si inter se conferimus, perspectum nobis erit alterum, dum priorem sequitur, multa ad rem maxime pertinentia omisisse, multa vero ex ingenio aut vulgi sermonibus addidisse, quæ novum ordinem, novam rerum faciem inducunt; imo obstacula et difficultates quas de itinere Hannibalis narrat Polybius, in iter aliud transtulisse. Unde magna venit quæstioni obscuritas: quum duo itinera, diverso ingressu, diverso fine, tamen si medium narrationis attendas, unum et idem iter esse videantur.

De transitu Alpium multa disputaverunt viri inter recentiores doctissimi, quorum quasi in duas acies descendentium; alii stant e Polybii partibus, alii pro Livio militant, ita tamen ut ambos componere enitantur, et narrationem Polybii, quam rejicere nequeunt, narrationi Livianæ cogant inservire: perinde ac si quis duos homines, alterum dextram, alterum sinistram viam ingressos, in unum tandem locum coituros contenderet.

Priusquam vero quid ipsi censeamus, exponendum aggrediamur, unum est animadvertendum; scilicet in variis doctorum de hac quæstione commentariis, multam doctrinam, multam locorum notitiam, multum in explanandis veterum scriptis acumen, et subtilitatem deprehendi posse; hæc tantum: nemo autem ex iis, ut nobis videtur, quum de Hannibale præstantissimo inter priscos imperatores viro ageretur, id cogitavit, opportunam admodum tutissimamque viam prudentissimo duci haud dubie placuisse. Unde enim profectus Hannibal, et quo tenderet, considerare operæ pretium erat; neque multa quæ ad artem belli spectant, in hac quæstione solvenda prætermitti decebat. Ad aliam igitur rationem conversi, non de verbis tantum, sed de re disputaturi sumus; non de variis scriptorum opinionibus, sed de prudentia Hannibalis, qui prætentata Boiorum, Insubrium, Salassorumque Insubriam incolentium indole, iter suum ex his indiciis instituere debuit. Constat enim ei semper Boios aut Insubres viæ duces adfuisse, quibuscum amicitias et societatem junxerat; neque igno-

rabat, quam atrox vigeret apud eos populos nominis romani odium, et quo fœdere adventantes Pœnos essent excepturi. Quid plura? illud multum conferet, unde difficultates apud veteres belli punici secundi scriptores obvias explanemus, viamque inveniamus quam sequutus sit Hannibal: non eam quidem qua citius a Rhodano in Italiam iretur; sed qua rectius ab eo fluvio peteret nationes futuras auxilio Carthaginiensibus, quarum ope fretus libertatem gentium omnium a romana ambitione tutaretur, et in Capitolio incenso populum jam *late regem*, et ad orbis universi imperium grassantem contunderet deleretque funditus.

Alpes Romanis parum notas fuisse, ante expeditionem Hannibalis, ex eorum annalibus certum est: quamvis enim in continuis adversus Gallos Cisalpinos bellis ad hos fabulosæ altitudinis montes sæpius devenire debuerint, nihil aliud tamen videntur comperisse, quam ea juga a majoribus Gallorum olim esse superata, dum fertiles peterent campos septemtrionalis Italiæ. Massiliam vero, ipsis profecto ante Hannibalis tempus cognitam, navibus solebant appellere; neque ulla exsistit causa, cur unquam antea illos Italiæ fines ab iis fuisse tentatos arbitremur. Postquam autem perfregit Hannibal viam, tum exercitus reipublicæ transcendere Alpes, tum privati homines incultas ignotasque regiones explorare ausi sunt. Et ubi peragrari inceptæ sunt, suum Romanos ingenium per invia locorum, non sine defatigatione et periculo, diu multumque impulit, donec Augusti tandem temporibus Alpes munitis viis patefactæ, ædificatis urbibus habitatæ, cacumen suum Romanis jubentibus quasi submisere. Quamdiu vero punicum bellum desæviit, sciebant tantum Alpium tractus nive et glacie æterna concretos vix incolam pati; tamen quatuor esse per montium juga tramites, maximis quidem laboribus decurrendos, per quos Cisalpini Transalpinique Galli habebant commercium: primum per Alpes maritimas qui a Genua ad Arelatem, per Nicæam et Monœci Herculis portum (*Monaco*), ducebat; secundum per Taurinos Taurinumque saltum (*mont Ge-*

*nèvre*); tertium per Graias Alpes (*petit Saint-Bernard*) a Salassis ad Allobrogas; quartum denique per Alpes Rhæticas, quo Rhætis Insubres jungebantur.

Quum autem per Rhæticas et maritimas Alpes transiisse in Italiam Hannibalem speciose nemo contenderit, de duabus tantum mediis viis, altera per Cottias, altera per Graias sermo hic erit.

Alpes Cottiæ quæ forent, primus omnium Cæsar, B. G. I, 10, edocuit, quum hos montes transcendisset ad reprimendam Helvetiorum provincias romanas invadentium audaciam. Sed de iis pauca, et ea rapidissime, obscure etiam interdum contra morem, attigit, quod in Cæsare raptim scribente non miramur. Cæterum ab Ocelo, quod citerioris Provinciæ extremum vocat, Cottiam Alpem cum quinque legionibus trajecit. Cæsaris temporibus viam Romani in hoc monte jam munierant: quando munierint, incertum. Quod si Livio, lib. V, cap. 34, fides adhibeatur, hac præterierunt Galli qui in Italia consederunt: sed quis credat Isaræ accolas per Tricastinorum agros secus Druentiam, perque Taurinum saltum longius iter deflexisse, nedum vallem fertilem, quam Isara interfluit, decurrerent? Nonne satius est arbitrari, quum septemtrionales populos italici cæli clementia invitaret, invicemque omnes melioris solis amore capti festinarent, eam cuique placuisse viam, quæ cuique erat proxima notissimaque? Nec sua deest huic opinioni auctoritas. E Polybio nempe constat, Gallos cognomine Gæsatas opem Boiis et Insubribus adversus arma romana ferentes, idem sequutos esse iter, quod Hannibal postea elegit: quæ gens Germania vulgo creditur oriunda. Si modo viam, quam illi ingressi sunt, certo descriptam definitamque haberemus, jam de itinere Hannibalis non dubitaretur. At Strabo docet Gæsatis irruentibus opem tulisse Sequanos, quorum si auxilia defuissent, frustra illos Italiæ ingressum fuisse tentaturos. Sequani autem, eam regionem incolentes quam vocamus *Franche-Comté* et *Haute-Bourgogne*, Gæsatis opem ferre non potuerunt, nisi hos per Allobrogas iter fecisse

putemus, et vallem, quam Isara interfluit, secus fluvium peragrasse usque ad Graias Alpes. Unde colligendum foret hac Hannibali iter fuisse.

Ad hoc accedit vetus traditio (quæ verane an falsa sit, nescimus) tempore Cornelii Nepotis vigens, qui eam in vita Hannibalis refert, cap. 3 : « Ad Alpes, inquit, postea-« quam venit, quæ Italiam ab Gallia sejungunt, quas nemo « unquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium, « transierat (quo facto is hodie saltus Graius appellatur) « Alpicos, conantes prohibere transitum, concidit, loca pa-« tefecit, itinera muniit, effecitque, ut ea elephantus ornatus « ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat re-« pere ». Vid. Edit. nostram, pag. 233.

Hic certe Cornelius nostræ multum favet opinioni, scilicet Hannibali per Graiam Alpem Italiam patuisse. Iis vero montibus antiquum nomen fuisse *Cremonis vel Centronis jugum* ex ipso Cœlio liquet, cujus hæc apud Livium verba invenimus, supra pag. 77 : « *per Cremonis jugum* Hanniba-« lem *transisse : qui saltus eum per Salassos montanos in Li-« buos Gallos deduxerit* », quibus Vercellæ, Laumellum, Ticinumque obtinebantur. Quanquam nihil superest de Cœlio, cujus scripta apud Romanos bona fama floruisse comperimus, tamen testimonium ejus recusari non potest, quum ab ipso Livio referatur, contrariam sententiam propugnante. Duo itinera per Pœninas Graiasque Alpes, jussu Augusti, esse instituta compertum est, quorum utrumque, ut plurimis placet, Lugdunum ducebat; aut, si quibusdam creditur, alterum Vienna Allobrogum, alterum Lugduno finiebatur. Strabo viam, quæ per Graias Alpes ibat, faciliorem multo, neque tot præcipitiis, obstaculisque omnigenis circumventam ostendit. Ea per Centrones currebat secundum dexteram ripam Isaræ, donec ad Montem-Melianum (*Montmélian*) in meridiem fluvius inflectatur : ea Gallos Rhodani accolas in Italiam transmittebat; ea in Boios et Insubres recta incidebat, qui 587 fere annos ante Christum natum (1) migrare

(1) Vid. *Rollin*, hist. Rom. tom. II, p. 418, ed. 1740.

in eas regiones inceperunt. Quæ via quum peropportune sita ex ipsa Isaræ fertilissima valle transcurrentibus populis victus affatim suppeditaret, haud immerito quidem arbitrati videbimur, per hanc unam Cisalpinis Transalpinisque Gallis fuisse commercium.

Secundi belli punici historiam in Polybii lib. III, cap. 34-60, legentibus unum dolendum est, quod in hac narratione rapidissima, quum multa adeo paucis paginis præstantissimus scriptor coegerit, ea etiam generaliter et latiori sensu edisseruerit. Nempe nulla fere loca nominat, in quibus a Rhodano ad Alpes Hannibalis copiæ stationes habuerint. Sed hoc Polybio facile condonandum est, qui non doctissimis inter recentiores viris historias suas scripserit, sed veteribus Græcis, æque Galliam, et Hispaniam magnamque partem occidentalis Europæ ignorantibus. Quod si commoratus in iis esset, Græcorum profecto ingenia ab ea prolixa alienarum ignotarumque urbium et regionum enumeratione abhorruissent. Ipsi etiam objecta ante occupanti ea excusatio fuit.

Si Hannibalis iter, ex paucis quæ apud Polybium præcisa magis occurrunt, velimus describere, in iis explanandis principia superius enunciata sequuti, propositum id ante oculos semper habeamus, ab Hannibale Rhodanum non divisum, sed uno alveo defluentem, eo loco trajectum esse, qui quatriduo a mari distaret; inde Pœnos, ducibus Gallis Insubribus, vel Boiis, adversa fluminis ripa quatuor iisse dies (75 circiter millia) ad quemdam usque locum, *Insulam* nomine, confluentibus ibi in unum Rhodano et *Scora*, quem secus fluvium decem dies (100 fere millia romana) incessit, donec ad radices montium devenerit. Iis veluti milliariis, quæsitum iter describere conabimur.

Quum ea de quibus non disputatur demonstrare supervacaneum foret, quo in loco Rhodanum Hannibal trajecerit non disseremus: ex omnium consensu flumen illud Pœni prope Rupem-Mauram transierunt, aut tribus supra *Rupem-Mauram* millibus, in vado antiquitus noto, cui nomen *Ar-*

*dosia;* qui locus et quatriduo (60 circiter millibus) a mari, et 75 millibus ab Insula distat, sicque cum loco Polybii narratione designato apprime convenit.

Inde Hannibal adverso flumine progressus, quartis castris pervenit ad *Insulam*, frequentem civibus terram et tritici feracissimam.

Ea *Insula* a Polybio Livioque hucusque concordibus memorata, quænam sit, apud recentiores ambigitur. Quippe doctissimi viri *Menestrier, Delandine,* et Anglus *Whitaker* ibi sitam esse volunt, ubi Rhodanus et Arar in unum flumen coeunt. Eam cl. Comes *Fortia d'Urban* in Cavaris proximam *Rupi-Mauræ* vult, duobus *Eyguæ* brachiis (quorum alterum nihil nisi rivulus est) Rhodanoque comprehensam, sex millia longitudine, decem vero latitudine vix patentem, quatuor circiter millia ab eo loco distantem, in quo transiit Rhodanum Hannibal. Unus ex annalium militarium scriptoribus, eam Rubione Isara Rhodanoque contineri arbitratur. Denique præstantissimi doctrina viri *H. Bouche, Mandajors, Abauzit, Deluc, Letronne* (1), et Anglus quidam anonymus a quo disputationem habemus de Alpibus ab Hannibale superatis, Londini anno 1820 editam, in hoc consentiunt, ut ea sit apud Allobrogas regio, quam a septemtr. Rhodanus, a meridie Isara, et ab oriente includunt excelsi montes, qui ab Etanna (*Yenne*) ad Gratianopolim juxta 45 millia extenduntur, Scalarumque iter habent et Carthusiam.

Non satis mirari possumus, tam diversis de Insula sententiis recentiores contendisse, quum Polybii Liviique Polybianos libros sequuti, narratio clara adeo et accurate enuntiata sit, ut nullus dubio locus esse videatur. Quippe docet Polybius, libr. III, cap. 49, eo Hannibalem quatriduo post trajectum Rhodanum devenisse : tum quid itineris quatuor his diebus Pœni emensi sint, ex eodem auctore colligemus. Nempe stadia 1400 Hannibalem a Rhodano ad Alpium ra-

(1) *Membre de l'Acad. des Inscrip. et inspecteur général des études.* Vide quoque Jac. Gron. Cluver. Ital. antiq. I, 33; et Matthiæ Obs. ad Livii lib. XXI.

dices decucurrisse refert : tum cap. 50, ab Insula ad easdem Alpium radices 800 stadia numerat : ergo a *Rupe-Maura* ad locum ubi in Rhodanum Isara infertur, sexcenta prope stadia supersunt.

De *Iscare* etiam, aut *Scora* magnæ controversiæ habitæ sunt, utrum hoc nomine Isaram, annon, Polybius designaret. Quod nomen tale a Polybio scriptum reor, quale ipse pronuntiatum Gallis audiverat, postea Romanis in *Isaram*, mollioris soni causa, mutatum. Spectandus doctrina vir (*le général Melville*) ea de re Polybium, antiquitus manu scriptum, in Vaticani bibliotheca inspexit, neque non lætus vocabulum *Isar* vel *Isaras* deprehendit. Ill. autem *Danville*, cujus prægravat auctoritas, intelligi hic *Ararim* non posse affirmat, additque ex doctissimorum consensu fluvium, quem vocant Isaram, eumdem esse quem gallice appellamus *Isère*. Hac videlicet opinione inductus clariss. Schweighæuser quum Polybii historiam anno 1789 ederet, *Isaras*, non autem *Scoras* scripsit; et ipse quidem se ex peritissimi cujusque judiciis lectionem hanc cæteris antetulisse profitetur.

Iis addam verba ill. *Deluc*, quæ mea faciam (1) : « *Scoram* et *Isaram* unum eumdemque esse fluvium, hinc certo demonstratur, quod Isara 75 millibus a loco ipso, in quo Pœni Rhodanum transierunt, absit; ad eumque Hannibal post quatriduum iter devenerit. E contrario si Lugdunum usque, ad Ararim adscendere velimus, non jam 75 millia, verum 136 habebimus, quæ, quatuor dierum spatio decurrere, equi, jumenta elephantique non potuerunt : præsertim quum et Isara et iterum Rhodanus fuissent trajiciendi ». Cui si argumento accedat quidquid roboris afferre possunt mensuræ intervallaque certis rationibus æstimata, profligati prorsus habebuntur, qui Insulam coeuntibus Arari et Rhodano definitam volunt, et qui eam Rubionem inter et Isaram sitam esse contendunt; imo et ii quibus ea duobus

(1) Vid. *Deluc, Passage des Alpes par Annibal*, p. 73 et 74.

Eyguæ brachiis Rhodanoque inclusa placet; ea enim tria diversa loca multo plus aut minus 75 millibus absunt a *Rupe-Maura.*

Est etiam alia causa, cur Insulam in Isaræ et Rhodani confluente positam credamus: quæ enim de natura locorum narrat Polybius, cuivis alii regioni minime convenirent; scilicet, hinc Rhodanum, inde Isaram duo latera præterfluentes eam sensim angustare, donec in quo confluunt loco, procurrente lingua terminetur: cæterum figura similem esse huic Ægypti parti, quam *Delta* nuncupant, nisi quod unum istius latus mare et fluviorum ostia claudant: illius autem montes accessu difficiles, et ad quos nullus ferme aditus patet: eam demum, et incolis frequentem, et frumenti feracem celebrari.

Hæc memoravit Polybius: nec credere piget nimium insudasse clarissimum *Deluc*, ut Allobrogum Insulam huic Ægyptiaco *Delta* simillimam figura demonstraret. Non enim hoc sibi proposuerat Polybius: neque verisimile est, quo tempore mathematicorum auxilio nondum invaluerat geographia, ei omnia adfuisse, unde illud diligenter supputaret. Ergo non adamussim exigenda comparatio, quam nos quoque ut recipiamus, satis est omnia de natura loci a Polybio narrata, huic nostro convenire, neque ulli alii quem hactenus Hannibal peragraverit.

Nunc quidem quum Allobrogum Insulam a Rupe-Maura 75 circiter millia abfuisse, desinentem in acutum eo loco, ubi Rhodanus et Isara confluunt, et eo Hannibalem adverso amne profectum quartis castris pervenisse constat, nihil impedimenti hucusque superest; at de reliquo itinere variæ sunt sententiæ, neque hinc verum facile quis exprimere possit.

Duæ sunt præcipuæ opiniones recentiorum de via, quam statim a Rhodano Hannibal sequutus est: et utraque arte pari doctrinaque defensa animum judicantis in diversa trahunt, suspensumque distinent. Alii quum plurima in Livio parum vero similia inveniant, gentesque et loca temere

mixta confusaque arguant, ab eo refugiunt, Polybioque duce Hannibali per Graias Alpes aditum pandunt Italiæ: alii Livium certiora dicere rati, quia ea et fusius et confidentius affirmat, græcum tamen scriptorem rejicere non ausi, quem non multo post expeditionem hanc vixisse, et studiosum veri sapientiaque spectata laudatum scirent, conciliare pugnantes tentaverunt; rem difficilem, nec sane suscipiendam, nisi præoccupassent animos Livii narrantis eloquentia et illecebræ : ii Cottias Alpes præbuisse transitum Hannibali contendunt.

Quos inter, in prima fronte eminent Viri doctissimi *Mandajors*, *Danville* et, nostræ ætatis clarissimum lumen, *Letronne*.

Alteram opinionem propugnant VV. doct. *Melville*, *Deluc*, et vir quidam in Oxoniana Universitate notissimus.

Quare in hoc sententiarum conflictu, si nostram opinionem solidis inniti fundamentis velimus, fusius quædam præmittenda sunt, quibus in quæstione solvenda usuri sumus. Revocemus igitur in memoriam, quæ Polybius Liviusque perhibent; scilicet Hannibalem, priusquam bellum Romanis in patriam inferret, misisse qui certiores fierent, an apud Gallos Circumpadanos idem adhuc illud viveret romani nominis odium. Reduces legati multa attulerunt, ex quibus optimam viæ rationem facilius institueret. De istis quidem populis non satis dilucide loquitur Polybius : Boios tamen eos esse atque Insubres, illos Parmensis et Mutinensis, hos Mediolanensis agri incolas, ex ipso Polybio varia mox loca fidem faciunt, et quanquam posterioris hujus gentis limites certo descriptos non habeamus, tamen finitimam Alpibus fuisse haud immerito arbitramur. Nec dubium est legatos ab Hannibale eo consilio missos fuisse, ut inquietos Gallorum animos adversus ditionis romanæ contumeliam concitarent. Ex Polybio, lib. III, cap. 40, et Liv. XXI, cap. 25 discimus, Boios, quum adventare Pœnos in Italiam nuntius venisset, sollicitatis Insubribus defecisse, et in Placentiam Cremonamque, recentes Romanorum colonias, irrupisse.

Constat etiam a Gallis Circumpadanis, quos emissarii Hannibalis in suas partes traxerant, venisse in punica castra legatos, quibus præerat regulus Boiorum, nomine Magilus, apud Livium lib. cit. cap. 25, *Magalus*. Qui post trajectum jam Rhodanum superveniens, Hannibalem incertum, « utrum « in Italiam cœptum intenderet iter, an cum eo, qui primus « se obtulisset romanus exercitus, manus consereret, avertit « a præsenti certamine, et integro bello nusquam ante libatis « viribus, Italiam aggrediendam censuit». Polybius docet Magilum Pœnos interpretis ope alloquutum, militibus et suorum et vicinorum Gallorum animos, commeatus, arma pollicitum esse (quod non temere pollicebatur, quum Boii et Insubres romanum jam imperium excussissent); seque obligasse, ut ipse dux adesset itinerum sociusque periculi: « Venisse enim se, ut Pœnos per eas duceret regiones, ubi « commeatus affatim suppeditarentur, utque eam indicaret « viam, qua paucis diebus Alpes superarent, incolumesque « Italiam invaderent». Quibus verbis erectas esse militum mentes facile intelligimus.

Quod a Boiis et Insubribus ad Hannibalem legatos venisse, eosque viæ duces adfuisse constet, multum ad rem proficit: nam, qua duxerint exercitum, inde colligemus; magnaque lux tenebras, quibus involvitur quæstio, dissipabit.

Ubi Hannibal ad Isaræ ripas pervenit, profecto viam eam ingressus est, qua Boii et Insubres solebant ex Italia in Galliam transire: ergo ab *Insula* fertilem Isaræ vallem sequutus, copias per Graium aut Penninum trajecit jugum. Quum autem tempore Polybii viam hanc fuisse ignotam, neque jumentis facilem ante Augustum Cæsarem patuisse doceat Strabo, necesse est Carthaginiensibus iter per Graias Alpes fuisse.

Hic certe a via, quam describit Livius, prorsus deflectimus: at enim cui non mirum videatur Hannibalem ab Isara non recta regione iter instituisse; sed ad lævam in Tricastinos flexisse; inde per extremam oram Vocontiorum tetendisse in Tricorios, Druentiaque trajecta, campestri maxime itinere cum bona pace incolentium ea loca Gallorum ad Alpes per-

venisse Cottias, eoque superato jugo, in Taurinos esse delapsum, sociis suis infensos, et Romanorum amicitia ferocientes?

Quòd si accuratior fuisset Livio locorum notitia, quoniam mutare Polybii narrationem decreverat, et ea, quæ de Alpium transitu græcus scriptor memorat, in aliam transferre regionem, nonne montano, nedum campestri itinere Hannibalem iisse, eumque, postquam a Rhodano movit, Vocontiorum fines a meridie prætergressum, Tricoriosque et Caturiges ingressum, adversa Druentia, Cottiam Alpem devenisse dicere debuit?

Verum etiamsi alia deficerent argumenta, satis hæc una causa foret, cur Livium non sequeremur, nimirum Hannibali per Cottiam Alpem transitum non patuisse, quin certissime in Taurinos incideret; Polybiumque ideo anteponimus, quod Pœnos primo aditu in Insubres deducat, ad quos statim descendere, ducibus Insubribus, profecto maluit, prudentissimus qui unquam exstiterit imperator. Hæc enim Polybius lib. III, c. 56: Τέλος δὲ, τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος, τὴν τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα, κατῆρε τολμηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία καὶ τὸ τῶν Ἰσόμβρων ἔθνος.

Unde colligendum, Hannibalem non nisi per Alpem Graiam in Insubres pervenisse.

Illis omnibus unus opponitur locus e Strabone desumptus, quo freti Hannibalem per Cottias Alpes Italiam esse ingressum contendunt, et in primis vir nostræ ætatis doctissimus *Letronne,* qui Livii assecla, quidquid apud veteres opinioni suæ favere visum est, lucro apponere festinavit. Strabonis verba afferimus, lib. IV extr. p. 293, ed. Ox. 1807: Τέτταρας δ' ὑπερβάσεις ὀνομάζει μόνον· διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει· εἶτα τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν Ἀννίβας διῆλθεν· εἶτα τὴν διὰ Σαλασσῶν· τετάρτην δὲ, τὴν διὰ Ῥαιτῶν· ἁπάσας κρημνώδεις. Ac ne, plus quam adversarius ipse concedit, arripere videamur, ea verba, qualia ipse, non linguæ græcæ minus quam Geographiæ cæterarumque artium gnarus vir, gallica reddidit, exhibemus: « *Polybe ne nomme que quatre*

« *passages (des Alpes) : l'un par les Liguriens, le long de la* « *mer Tyrrhénienne ; un autre par le pays des Tauriniens, et* « *qu'Annibal traversa ; un autre par celui des Salasses ; le* « *quatrième par les Rhétiens : tous quatre remplis de préci-* « *pices* ». Quod si hæc verba ἣν Ἀννίβας διῆλθεν, *qu'Hannibal traversa*, ex Polybio expressa sunt, quid jam disceptamus? nonne Polybium Liviumque in eo consentire patet, quod Cottianum saltum Pœni superaverint?

Saltem ea in libris Polybii qui supersunt, non reperiuntur : quumque id maxime sciat doctissimus *Letronne*, ista verba quæ tamen a Strabone addita non velit, ex Historiis Polybii, libro XXXIV, nusquam superstite, deprompta contendit, Strabonemque ea scribere ex se non potuisse, quippe qui Alpes nunquam inviserit, et in Alpibus describendis Polybii insistat vestigiis : unde cl. *Letronne* pronuntiat, his verbis, sive Polybio, quod plerique hactenus, sive Straboni tribuantur, ipsius certe Polybii sententiam repræsentari. Nos autem illi argumento vim tantam inesse non arbitramur; verbaque ex ingenio Strabonis addita, ita ut ad rem nullo modo pertineant. Hic enim quum describeret Alpes, Polybium quidem, qui eas accurate inviserat, ducem et quasi antesignanum sequi maluit; at si qua locorum descriptioni ornamenta e sua penu admiscere ipsi libuerit, num ea omnia ab illo, quem sequitur, auctore hausta putabimus? Et nunc Strabo, dum illorum montium limites determinat, et quibus peragrentur viis narrat, non prætermittendum putavit, quod in iis maxime conspicuum et insigne videret, immo quid ipse de ea re censeret, extemplo enunciandum. Livii scilicet Strabonisque tempore multum diversas de Pœnorum itinere opiniones esse vulgatas ex ipso Livio certum est; qui, etsi contrariæ sententiæ faveat, fatetur tamen vulgo credi Hannibalem per Penninas Alpes transgressum (quo nomine et Graiæ et Penninæ Alpes pariter designabantur); neque negat Cœlium, qui punici hujus belli temporibus fuerat propior, Hannibali aditum Italiæ per *Cremonis jugum* aperuisse, idem sane quod *Centronis jugum*, sive Alpem Graiam, a Centronibus

incultam, ut demonstravit *Abauzit, œuvres diverses*, tom. II, p. 163. Vide quoque notas supra p. 77. Quid igitur mirum, si inter hasce oppositas opiniones Strabo, quænam earum sibi maxime placeret, enuntiare voluerit? Et hanc quidem Polybii non esse sententiam ex historiarum illius libro III apparet, ubi, absoluta jam itineris ab Hannibale confecti narratione, eum in Insubres statim esse degressum affirmat. Nunc autem si in libro XXXIV Hannibalem Cottias Alpes superasse contenderet, et ita ad Taurinos primo devenisse, aut hic, aut illic indigne errasset : nec fieri potest, ut Polybius ille, quem sapientem, veri amantem, sibi semper constantem, et veterum et recentiorum voces celebravere, quem *bonum auctorem* appellat Tullius, de Off. III, 32, in ea re tam a se diversus arguatur! Nonne prudentis est critici ad cognitam scriptoris indolem attendere? nonne certis nitendum principiis, et evidentibus, nedum disceptationem omnem ex paucis verbis, apud auctores quibus tribuuntur, nusquam apparentibus instituas? Talis defensio quid proficit adversus argumenta firmis stabilita fundamentis, unoque non inficiando veteris scriptoris loco, qui non desideratur, et quem ostendere ac designare cuivis adversanti in promptu est? Hanc quidem opinionem ingeniose defendi posse, ipse, quem refellere conamur, recens scriptor testis est: non tamen efficere potuit, ut demonstratæ veritatis vel speciem opinio sua præ se ferret.

Non immerito igitur hanc tantummodo Strabonis iis verbis expressam credimus; Polybiique verbis, lib. III, validum nihil objici. Quin etiam Straboni opponamus non mediocre testimonium, Plinii scilicet, qui ait, Hist. Nat. lib. III, cap. 17 seu 21 : « . . . . . juxta geminas Alpium fores, Graias « atque Penninas : his Pœnos, Graiis Herculem transisse « memorant ». Qui etsi non nobiscum sentiat, tamen Livii et Strabonis auctoritatem auctoritate sua suspendens, rem in dubio relinquit. At nostram in partem pondus adjicere videtur ipse Livius, lib. XXI, cap. 41, supra pag. 83, his verbis : « utrum Hannibal hic sit æmulus itinerum Herculis,

« ut ipse fert ». Etenim ea sic accipi possunt, ut Hannibal, postquam Graias Alpes, Herculem sequutus, transcenderit, jam se pariter ad longinquas expeditiones et multiplices victorias accingat.

At enim, dicet aliquis, ab Alpibus statim in Insubres descendere Pœni non potuerunt, si modo Insubriæ termini ii fuerint, qui vulgo existimantur. Admissa quidem vulgatiori opinione, post superatos montes Hannibal ibat in Salassos, Doriæ amnis accolas; sed qui limites hanc gentem a vicino Insubrium agro discriminaverint, haud facile definiretur. Immo illi angustissimam regionem incolebant : nec mirum, si Polybius, cui sane determinati non erant fines Salassorum, hoc ab illis non distinxerit, uniusque nominis appellatione junxerit, quos olim consanguineos idem insuper jungebat romani imperii odium; ita tamen ut Insubrium, qui major et numero et armis populus erat, nomen ad Salassos extenderetur, Insubriaque ab occidentali parte Alpium juga terminos haberet. Quippe veteres, loca quæ describunt, non in partes particulasque secare solent : verum regiones totas generalius complexi omnia amovent, quæ orationis lucem minuere, currentisque narrationis impetum frangere possint : quod quidem ignorantia locorum sæpe, aut parum certa præcisaque notitia etiam evenit.

Nunc aliud objicit cl. *Letronne* transeunti Graias Alpes Hannibali :

« Nempe quoniam Hannibal, trajectis Alpibus, Augustam Taurinorum triduo obsessam expugnavit, certe, si per Salassos ad eam urbem devenerit, transeunda fuit Doria Baltea, ut Augustam circa Padum quæreret : quod iter nunquam Hannibal suscepisset, tres totos dies in ea urbe obsidenda, qua expugnata nihil fuerit profectum, consumpturus, nedum festinaret ad Ticinum, antequam Romani ab adversa ripa infesti exstarent. »

Hæc infra etiam addit : « Quum volentes in amicitiam non venissent Taurini, unam eorum urbem, gentis caput, cinxit copiis vique expugnavit : unde Hannibalem per Cottium

saltum transisse demum patet. Augusta enim Taurinorum, in quo loco Padus et Doria confluunt, sita, progredientibus ultra Pœnis obstabat, ideoque oppugnanda necessario erat atque exscindenda : quid vero, si per Salassos transierint? »

Hanc objectionem aptissime refellit scriptor nobis jam antea citatus *Abauzit:* « Taurinos, inquit, fœdere junctos cum Romanis, Hannibali primos, inter Italiæ populos, obstitisse, ex omnium consensu certum est; non autem ex hoc sequitur, in Italiam degressum ad Taurinos esse, nedum ad Salassos, quos certe primos adire debuit : prævidebat enim Taurinos in saltu custodiendo vigiles fore, nec facilem, ne ulla quidem defensione tentata, aditum daturos ».

Immo eorum urbem oppugnari, etiam Graium jugum transcendentibus Pœnis, et rei militaris ratio, et exercitus Italiam invadentis salus postulabant. Primum enim revocemus in memoriam Hannibalem non statim ab Alpibus in Taurinos infestis signis incurrisse; verum stativis placide et composite habitis donec fessa et squalida itinere corpora milites curarent, refectisque viribus animos paulatim resumerent, tunc demum in hostes movisse per Eporediam (*Ivrée*), quæ viginti quatuor millibus passuum ab urbe Taurinorum aberat. Taurinos, quibus tunc bellum adversus Insubres motum erat, invitatos ad fœdus, renuentesque statim ipse, ut Insubrium socium decebat, armorum vi subigere statuit. Prudentis enim consilii erat, nullos habere a latere, aut a tergo, Romanorum amicos, qui et festinantem in agrum romanum incursionibus vexarent, aut si fortuna minus in decertando favisset, recipienti se ad Alpes iter prohiberent. Quin etiam volebat vir quam militaris tam politicæ rei peritus terribiles pro negata amicitia pœnas expetere, ut magno simul exemplo terrorem cæteris incuteret populis, animosque sociorum incitaret; haud sane ignarus fama plerumque bella confici, et timentes jam subactos esse. Itaque gens illa, paucis diebus excisa, quasi omen totius belli apud finitimos ita valuit, ut omnes ultro sese Pœno dediderint, imminutumque laboribus ac periculis exercitum valido et fideli supplemento adimpleverint.

Nunc autem quum objecta diluisse, quantum in nobis fuit, videmur, quibusdam novis observationibus opinionem nostram fulcire tentabimus. Etenim præterquam quod Pœnis per Graium jugum tendentibus nihil insidiarum et impetus timebatur, via quoque leniori et faciliori (1) tramite, nisi quædam loca abrupisset subita vis tempestatum, demittebatur : quod quidem perleve argumentum ob id tantum memoramus, ne quidquam firmandæ sententiæ idoneum omisisse arguamur. Ecce aliud majoris momenti a clariss. *Deluc* allatum : scilicet vetus illa nix intacta, quam Polybius pariter ac Livius memorant, non in Taurino saltu usquam eo tempore occurrentem. Sic rem luculenter demonstrat *Deluc, Histoire du passage des Alpes,* pag. 231, 232 :

« Nous chercherons d'abord, si dans la route que l'auteur « latin a preférée à celle de Polybe, l'on trouve un endroit, « où, à la fin d'octobre, il aurait pu rester de la neige depuis « l'hiver précédent. Ce ne sera pas à la descente du mont « Genèvre, puisque le sommet de ce passage est habité et « cultivé, et que par cette raison son élévation au-dessus de « la mer ne peut être de plus de 700 toises ; elle doit même « être moindre, en sorte qu'au milieu de juin, il n'y a plus « de neige. Il n'y reste donc jamais de neige ancienne. La « neige ne peut se conserver toute l'année que dans les pas- « sages fort élevés, ou dans des situations particulières, telles « qu'on en trouve dans les hautes montagnes, où des ava- « lanches qui descendent des faces escarpées accumulent des « masses considérables de neige, qui n'ont pas le temps de « fondre avant le retour de l'hiver. Ce cas particulier se ren- « contre à la descente du petit Saint-Bernard. »

Ipse quoque *De Saussure,* nivem in Graiis Alpibus intactam ex hieme permanere testatur ; cujus verba sunt : « On voit là (au-dessus du village de La Tuile), des amas « de neige qui se sont conservés depuis l'hiver, et qui for- « ment des ponts sur ce torrent ».

(1) Vid. *De Saussure, voyage dans les Alpes,* tom. IV, § 2232 sqq.

Venio ad rupem incendio torrefactam, et infuso aceto putrefactam. Hanc narrationem alii rejiciunt, alii tuentur; plures utriusque sententiæ propugnatores citantur supra in notis pag. 72, sq. His testimoniis quædam addenda huc conferam; primum (1) : « Il résulte d'expériences faites en « 1807, par M. Dongois d'Embrun, que le vinaigre bouillant, « même l'eau incandescente, calcine toute roche qui n'est pas « primitive, et qu'on peut alors y enfoncer des pics et des « coins, qui y frayent un passage ».

Livio quoque fidem omnino adhibent *le Marquis de Saint-Simon*, et Joannes *Whitaker;* sed eam opinionem in primis impugnat *Deluc, histoire du passage des Alpes*, p. 234, sqq. Equidem narratam a Livio, et Juvenale, Sat. X, v. 153, fabulam ex populi credulitate et ignoranti admiratione ortam esse existimo; cui tamen aliqua potuit causa subsistere, sive Pœni ad resolvendam nivem et glaciem, sive ad frigus levandum magnos ignes accenderint.

Jam satis ea sint ad constituendum iter, quo Hannibal Italiam penetraverit, scilicet per Graias Alpes. Quippe declinare debuit Taurinos, qui, si saltus sibi maxime cognitos, et continuis cursibus exercitos propugnassent, non incassum sane in Pœnos subeuntes tela immisissent. Quis vero credat ducem militiæ peritissimum, cujus mens Romanos *integro bello nusquam ante libatis viribus* aggrediendi prædicatur, infestissimæ viæ periculis exercitum temere et inutiliter objecisse! quod centurio, quod miles gregarius nunquam profecto fecisset, Hannibalem illud commisisse? Scilicet hac ductus fuisset a Magalo Boiorumque legatis, qui sane non ignorabant, quomodo Taurini in Romanos animati forent! Et ipsi illi Romanorum socii, qui oblatum a Pœnis fœdus adeo constanter rejecerunt, hostes tamen fame, frigore, viæ laboribus omnimodis debilitatos, contusos, et ab ipsis Alpibus jam prope victos, amice et hospitaliter passi

(1) Vide opus non ignobile, cui titulus est : *Topographie, histoire, antiquités, usages, dialectes des Hautes-Alpes.*

requiescere, spatium reficiendis viribus dedissent, imminentemque capiti suo procellam avertere non tentassent, antequam in ipsorum perniciem detonaret!

Non igitur istud Taurini, non istud Hannibal agere potuerunt. Atqui ea certe Pœno placuit via, qua citius et facilius deveniret ad populos, Romanorum jugo defatigatos, et jam dudum defectionis tempus circumspectantes, ideoque dignos, qui sequerentur in prælia Hannibalem illum, jurejurando adactum, SE NUNQUAM FORE IN AMICITIA CUM ROMANIS.

## PARS POSTERIOR.

Postquam Hannibalem, Herculis æmulum, per Alpes Graias in Italiam descendisse pro certo habemus, illud superest, ut, quam potissimum viam ab Rhodano et Isara confluentibus ad radices Alpium sequutus sit, inquiramus. Et quidem Livius, qui jam nobis minus probabilem opinionem sequi visus est, hic quoque nullius adjumenti erit; ejusque vestigiis, quæ primo deseruimus, non tunc demum insistemus, quum a nostro prorsus alienum Pœnorum iter variis descriptionibus adornandum suscipit. Polybius vero, quo auctore per Centrones carthaginiensem exercitum demisimus, ipse nos in ambiguo fluctuantes deserit. Quippe a Rhodano ad Alpes singula prætermittens, impetu et quasi saltu lectores abripit, ob id tantum aliquoties moratus, ut itinerum longitudinem, quibus intricata fuerint obstaculis, quali in solo sit pugnatum, summatim enunciet; at dum bellicis tantum rebus intendit animum, nomina locorum, ubi eæ sint gestæ, silentio præterit. Nihil igitur certi nobis de hac re auctores reliquerunt. Unum restat, ut maxime probabilia inquiramus, et artis criticæ facem sequuti, si non vera, at saltem veris simillima meditando extundamus.

Vir apud recentiores clarissimus *Deluc*, dum Pœnorum agmen ab Insula ad montes deducit, singula, quasi ipse interfuisset, ordine prosequitur, minutamque rerum enarrationem quibusdam minime præcisis Polybii verbis subtiliter

apponit : qua in operis parte, quum sagacissimum ingenii acumen emineat, dolendum est omnia incerto, quin etiam falso principio inniti, scilicet Isaram a Carthaginiensibus esse trajectum : cui opinioni neque Polybius, neque Livius ullo modo favent. Sic enim rem omnem ordinat : « Postquam Isaram superavit Hannibal, adversa Rhodani ripa iter pergens usque ad Viennam Allobrogum, ibi tandem ad dextram in mediterranea flexit, et per eam Allobrogum regionem, quæ maxime campestris est, XLV millia ire contendit; mox Rhodanum ad pagum *Saint-Genis* iterum assequutus, per Etannam (*Yenne*), transmisso monte dicto *Mont-du-Chat*, in vicum *le Bourget* incidit, lacumque eo nomine nuncupatum meridiem versus legens, viam per Lemincum (*Chambéry*) et Montem-Melianum (*Montmélian*) instituit. Inde vallis quam Isara interfluit varios anfractus prætergressus, Graias Alpes transcendit; unde per Salassos, secundum lævam Doriæ Balteæ ripam, romanum imperium invaderet ».

Num igitur longum hunc circuitum, quem doct. *Letronne* merito vocat *un détour bien étrange*, aut Polybii liber, aut ipsius *Deluc* opinio defendenda postulabat? non ita sane : omnia hæc ex ipsius auctoris ingenio profecta sunt, neque ulla librorum auctoritate nituntur.

Hannibal enim, quum Romanos declinasset ad Rhodanum, non eam ingressus est viam, qua proxime ad Alpes perveniretur, sed eam, qua minus obvium fore hostem ratus, in Italiam citius ad amicos se conferret; ideoque septemtrionem versus agmen adverso flumine raptim egit. Verum ubi perventum ad Isaram, quæ jam causa erat, cur ad septemtrionem pergeret, et eum amnem inter se et Romanos medium haberet? Compertum certe exploratores jam fecerant, consulem ad mare ac naves properasse, omissoque prosequendi Pœnos consilio, jam in litora Italiæ proras vertisse, ut descendentem a montibus Hannibalem prior exciperet. Isaram vero tunc esse trajectum nusquam in Polybio invenimus, quippe qui eum ad Insulam pervenisse solummodo narrat; item Livius ait : « ad Insulam pervenit ». Neuter autem Pœnos in Insulam

gradum intulisse contendit : nam quid ita deflexisset a via? At si trajecisset Isaram, qui fluvius iisdem queis Rhodanus, immo majoribus forsitan obstaculis impeditur, num Polybius postquam in Rhodani transitu describendo militaris rei peritum se adeo præbuit, Isaram omisisset? notum enim est Isaram, receptis Draci (*le Drac*) undis, adeo violenter fluere, ut quum se in Rhodanum evolvit, hunc tam rapidum amnem findat medium, et utriusque undæ cum alterius undis luctantes, quanquam eodem, quasi tamen proprio separatim alveo, duo circiter millia decurrant. Immo Isara, quum Rhodano fit propior, plurimum jam in latitudinem patet, pluribusque brachiis aliquando unius fere milliarii spatium includit. Quis credat Hannibalem cum omni exercitu, omnibus impedimentis, omni equitatu elephantisque periculosam trajectionem tentasse, universasque copias, ut paucos Allobrogas regulorum alteri subigeret, in aciem eduxisse? quasi parva hominum manus non fuerit satis, ut eis victoriam daret, quos victores malebat! Neque aliter egisse existimandus est, nedum, ut doct. *Deluc* placet, ab eo itinere, quod ipsi Boiorum legati indicaverant, decesserit imprudens, tempusque rapidissimum inani circuitus mora male absumpserit. Quippe sciebat prudens Hamilcaris filius, occasionis opportunitatem citissime prætervolare, et unius horæ puncto maximarum rerum momenta verti.

Nec rationi magis quam ipsis Polybii verbis ista repugnat opinio. Græcus enim scriptor, Historiarum libro III, cap. 50, § 1, postquam retulit pervenisse ad Insulam Hannibalem, quæ insula a Rupe-Maura 75 circiter millia passuum, seu 600 stadia distabat, hæc addit: Ἀννίβας ἐν ἡμέραις δέκα πορευθεὶς παρὰ τὸν ποταμὸν, ἤρξατο τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις ἀναβολῆς. Hic unum objicit *Deluc*, sc. verbo ποταμὸν, quod apud Polybium occurrit, Rhodanum designari; quod quidem clarissimus *Letronne* apprime refellit. Hæc sunt objecta : « Les 800 stades dont « il s'agit ici, faisaient partie des 1400 stades comptés par « Polybe le long du Rhône depuis le passage de ce fleuve « jusqu'à la montée des Alpes : en sorte qu'il est évident, que

« c'était encore du Rhône que voulait parler Polybe. La « distance totale parcourue par l'armée le long du fleuve, « se trouvait divisée en deux parties inégales par l'Isère; « l'une de 600 stades, et l'autre de 800. Polybe n'avait parlé « de l'Isère qu'une seule fois, en le nommant par son nom; « et cela occasionellement, tandis qu'il avait désigné le « Rhône quatorze fois auparavant par le mot πόταμος. Par « conséquent, la quinzième fois c'était encore du Rhône qu'il « s'agissait ». Hunc nodum solita sagacitate cl. *Letronne* ita solvit : « Ce qui a égaré M. Deluc, c'est qu'il a cru que « πορευθεὶς παρὰ τὸν ποταμὸν devait s'entendre du Rhône, « parce que dans d'autres passages on retrouve ces mots ap- « pliqués en effet à cette rivière. Mais dans ces passages les « mots εἰς τὸν ποταμὸν, κατὰ τοῦ ποτάμου, etc., suivent im- « médiatement le nom du Rhône, en sorte qu'il n'y a point « de doute à cet égard : au lieu qu'ici le nom du fleuve qui « précède immédiatement est celui d'Isaras; le nom du Rhône « n'est point répété dans l'intervalle; il est donc naturel d'ap- « pliquer à l'Isère les mots παρὰ τὸν ποταμόν. C'est ainsi « qu'un examen attentif du texte de Polybe concourt avec « l'ensemble de tous les genres de probabilités, pour établir « qu'Annibal a suivi la rive gauche de l'Isère ».

His accedit, non potuisse vocabulo ποταμὸν Rhodanum designari, quia, si ab Insula decem dies secus Rhodanum processisset Hannibal, profecto ultra Lugdunum pervenisset, ab radicibus Alpium longe remotus, nedum eas tunc attigisset. Polybius vero decimo litoralis hujus itineris die perventum esse ad Alpes narrat. Unde magis miror *Deluc*, qui tantam ponit in Polybio fidem, eam tamen opinionem amplexum fuisse, quæ a Polybii sensu tantum divergit. Ipse enim vult Rhodanum a Pœnis prope Viennam relictum esse, quum quadraginta supra Isaram millia, sive circiter quadringenta stadia, quod ante tertium diem poterat confici, vix peregerant; tum exercitum ad Orientem quadraginta quinque millium viam campestrem per Allobrogas instituisse, mox Rhodano rursus accessisse, statimque refugisse.

Quid horum Polybii verbis consentaneum est? Nihil certe habet ista opinio, unde nos, vel invitos, sibi consentire cogat: ad aliam igitur confugiendum est.

Polybio autem freti, existimamus Hannibalem ab Insula ad Alpes cum maxima exercitus parte tetendisse per vallem Isaræ, adverso flumine, lævas stringentem amnis ripas, usque ad Montem-Melianum, quo in loco Isara facillime trajici potest: inde per vallem eamdem a dextro latere progressum recta ad Alpem Graiam pervenisse. Hac via solebant transmigrare Boii et Insubres; hac feracissima regio patebat, Gratianopolitanus scilicet ager tam pinguibus pascuis celebratus; hac citissime et peropportune Graiæ Alpes petebantur. Huic etiam eximie conveniunt verba Polybii jam modo citata: Ἀννίβας, ἐν ἡμέραις δέκα πορευθεὶς παρὰ τὸν ποταμὸν, ἤρξατο τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις ἀναβολῆς.

Immo Hannibal per agrum Allobrogum non secius transibat: si quidem dextram amnis oram legisse credatur pars copiarum, quæ a cætero exercitu arceret incurrentes illos ex Allobrogibus, qui alterius reguli ab Hannibale victi partes fovebant. At enim etiamsi ea opinio, licet verisimillima, nullis inniteretur fundamentis, et agrum Allobrogum Isara terminari pro confirmato et indubitato haberetur, nihilominus Hannibal, trajecto ad Montem-Melianum amne, partem hujus regionis permeavisse credendus est. Tunc profecto ipsi incolæ, qui numidas equites simul, datumque Pœnis indigenarum præsidium timuerant, statim ac hostem in eo esse senserunt, ut montes conscenderet, saltuum angustias ante occupare festinarunt, viam infesta custodia interclusuri. Ibi per insidias Hannibal quamdam prope urbem, cujus nomen male omisit Polybius, magnum in discrimen adductus est: victi quidem Allobroges; sed victrices copiæ admodum eo prælio debilitatæ discesserunt.

Clariss. *Letronne*, cui Livii narrationem præplacuisse jam antea vidimus, quum eam summo ingenii conatu propugnaret, ultro tamen confessus est, illud ad Alpes rectissimum esse iter, quod nunc eligimus. Quum autem Livius

*non recta regione iter instituisse* Pœnos affirmet, ipse auctoritati nihil ausus detrahere, eos regressos esse non dubitat, et pæne relegentes vestigia adverso Draco (*le Drac*) ad Alpem Cottiam tetendisse. Virum certe ingenii acumine excellentem non fugiebat, mirum id fore omnibus, quod Hannibal ab Isara discederet, ut Dracum sequeretur : itaque statim monet eum amnis hujus latitudine delusum, a via nescientem aberrasse. Cui conjecturæ quid ansam dederit, non videmus, quum ex adverso Carthaginiensibus fuerint indigenæ itinerum duces, quos decipere loca non poterant; quum præterea Dracus non nisi vere post resolutas nives sit vehemens, autumno autem placidus, nec abundanti alveo defluat : ita ut neque error, neque difficultas agmini deflectendo causam attulisse queant.

Nunc superest, ut quotidianis castris punicus exercitus in Italiam deducatur; quod facillimum erit, si quis animo temere conjicienti tantum obsequutus, obvio cuique loco eventus a Polybio memoratos adscribere velit. Nos vero ex illa temporum nocte amplius quidquam certi eliciendum desponden-tes, finem hic labori imponemus, ne illud admittere arguamur, quod in aliis reprehendimus. Illud enim solum nobis propositum erat, ut qua parte, non quomodo ad Alpes pervenisset imperator, politicæ pariter militarisque scientiæ peritus, pro viribus ingenii nostri, facem rationis sectantes inquireremus. Felices, si quam disceptationi lucem intulisse, viamque doctioribus patefecisse videamur! Sin vero susceptam provinciam minus bene gesserimus, nostrum hoc qualecumque opus commendabit, et umbra magni nominis proteget fatalis ille Romanorum victor, quo impellente, superba Carthaginis æmula diu laborans atque inclinata prope corruit.

# VARIÆ DISSERTATIONES

## DE HANNIBALIS ITINERARIO RECENSENTUR (1).

Quam modo disputavimus quæstionem, jampridem viri inter recentiores clarissimi eam disceptationibus agitandam sibi proposuerant : quin veteres ipsos in eo non consensisse, ut ad unam eamdemque Alpium partem punici exercitus transitum referrent, testis est Livius, lib. XXI, cap. 38. Rem igitur antea obscuram, temporum tenebris obscuriorem, posterioris ætatis docti acceperunt, eamque sæpius et erudite exercuerunt, quam nunc etiam, tribus elapsis abhinc sæculis, exercent.

Præcipuos, qui hanc quæstionem attigerunt, scriptores, prout sua quemque ætas afferet, ex ordine enumerabimus, iisque immorabimur solis, quos ampliora speciosioraque de Pœnorum itinere loquutos aut doctrina commendabit aut opinio, quantumvis singularis et a nostra aliena, digna tamen quæ latius exponatur.

1515. Primus recentiorum de Hannibalis itinere inquisivisse videtur auctor operis, anno MDXV editi, cujus titulus est : « La totale et vraie description de tous les passaiges « lieux et destroictz, par les quels on peut passer et errer « des Gaules és Ytaliés, et signamment par où passèrent « Hannibal, Julius Cesar, et les très Chrestiens, magnanimes « et très puissants roys de France, Charlemaigne, Charles VIII, « Loys XII et le très illustre roy François, à présent régnant, « premier de ce nom, etc. etc. On vend les dits livres à Paris « à la rue Saint-Jacques, près Saint-Yves, à l'enseigne de la « Croix de Bois, en la maison de Toussains Denys, libraire. « *Cum privilegio;* 28 feuillets de 2 pages chacun, in 4°, avec « cartes aux feuillets 4 et 13 ». Cujus operis auctorem si audias, folio 11, Hannibal per Centrones (*le val de Taren-*

(1) Ea de re scripserunt *Deluc*, et Com. *Fortia d'Urban*, quibus plurimum nos debere profitemur.

1765. *Grosley*, in opere cui titulus, *Nouveaux mémoires sur l'Italie par deux gentilshommes suédois* (*Journal des Savants*; 1765, octobr. p. 145), montem dictum *Cenis* ab Hannibale superatum arbitratur.

1769-1770. Vir illustris *Le Marquis de Saint-Simon*, qui belli in Alpibus a Gallis, anno 1744, gesti historiam condidit, longam operi præfationem præmisit, in qua viam Hannibalis unice perquirit. A Livio primum non dissentire videtur : ubi autem ad Druentiam perventum, non adverso amne ad Taurinum saltum tendit, verum in Barcilonæ (*Barcelonnette*) vallem iter flectit. Mirandam prorsus opinionem, cui neminem adversari ausurum putat, rapide exponere operæ pretium est. Hannibal primum postquam trajecit Isaram, prope Sancti-Marcellini fanum, triginta circiter millia supra confluentem, Viennam Allobrogum devenit: tum secundo flumine ad urbem Tricastinorum præcipuam, ubi copias transmiserat, regreditur. Viam deinde scriptor noster rectissimam per montes nullo impeditus obstaculo ad Druentiam instituit, quam infra Vapincum assequutus, ad Barcilonam ipsam decurrit. Mox Esubianos (*vallée de l'Ubaye*) et fauces Argenteriacas (*Col de l'Argentière*) transgressus non in Sturæ vallem Pedemontiumque descendit, at in summis errat Alpium jugis septemtrionem versus usque ad montem Vesulum (*Viso*), cujus in radicibus Padus exoritur. Hujus verba sunt : « Je me retrouve avec Annibal « sur le mont Viso, sans m'inquiéter de tous les détours, où « la fraude de ses guides, son peu de confiance en eux, ... « a dû le faire errer pendant neuf jours, etc. » Et ecce proditionis reum traducit Magilum, optimum regem, qui fideliter hactenus in amicitia et fœdere Carthaginiensium steterat, sed qui nunc non alio proposito reliquisse Italiam censendus est, quam ut Hannibalem Barbaris traderet, exuviasque illius opimas reportaret. In hoc rerum statu heroem suum deserit auctor.

1770-1773. *Abauzit* anno 1679 natus, vita defunctus anno 1767, minime adspernanda quædam de itinere Hanni-

balis disputavit. Quæ quum mortuo tantum auctore cum cæteris ejusdem operibus edita sint (*Œuvres diverses*, *Genève* 1770, in-8°, et *Amsterdam* 1773, 2 vol. in-12); dissertationem ejus ab anno non quo composita est, sed quo in lucem prodiit referre possumus. Breve quidem opus, multa vero paucis verbis comprehendit. Auctor cura quam maxima rationes ponderat Livio objiciendas; ideoque Polybianæ narrationi favet. Sed postea sententiam mutavit: literis enim a doct. *Mann* ad ipsum scriptis, notas addidit, quibus, contra quod ipse prius judicaverat, eruditissimi *Mann* auctoritate victus, Livium cum Polybio concordem esse vult, et Carthaginiensium copias per montem *Cenis* traducit. Cæterum non adeo contraria Polybio protulit, quum una eademque via ad Montem-Melianum perveniatur. Inde autem divergere illi in Maurianam malunt, urbemque nomine Sancti-Joannis nuncupatam (*Saint-Jean de Maurienne*) eam esse putant, qua Pœnus potitus est. Itaque in faucibus, quæ propter hanc urbem reperiuntur ab Allobrogibus ex improviso pæne oppressus fuerit; dein Alpibus superatis descenderit ad Ripulas (*Rivoli*), ubi montes demittuntur, non procul Augusta Taurinorum.

1774-1776. Jam variæ illæ de transitu Alpium opiniones variis ab auctoribus emissæ ac defensæ erant, quum apparuit e Scotia vir præstantissimus *Melville*, qui quidem quum decem annos in Indiæ occidentalis insulis summam rerum civilium militariumque administrationem splendide obtinuisset, publicis subito muneribus depositis, totus se bellicarum rerum historiæ et antiquitatis studio contulit. Quare per tres annos integros, 1774, 1775, 1776, Helvetiam, Italiam, Germaniam peragravit; loca prœliis insignibus illustrata bene curiosus invisit; urbes et oppida claris olim obsidionibus nobilitata recognovit, diversasque penetravit regiones, quacumque memorandos bellorum eventus veteres et recentiores historiæ adscribebant.

Polybii nomine et ingenio fretus, ratione, ut ipse ait, duce, viam qua Hannibal invasit Italiam, indicavit. Com-

probata doctissimorum virorum *Mandajors* et *Danville* opinione, nempe Rhodanum a Pœnis circa Rupem-Mauram esse trajectum, Insulamque in Isaræ et Rhodani confluente sitam, jam ab itinere quod illi descripserant, avertitur, et, quoniam Polybium cum Livio conciliare nequit, illum ad Insulam usque prosequutus, quam, ex tali initio, unicam natura et ratio viam indicabant, ingreditur, Graiamque ad Alpem, tendit paulo longiore quidem itinere, sed sapientiæ magis consentaneo, quam quæ a prioribus inventa erant. Trajecto Isara, exercitum adversa Rhodani ripa usque ad Figlinas, hodie *Saint-Rambert*, ivisse affirmat, relictoque ibi fluvio per Allobrogas ad radices montium prope oppidum Scalarum (*le bourg des Echelles*), unde Camberiacum peteret, et per Graiam Alpem in Salassos deferretur.

Apertum Polybii volumen manu gerens cl. *Melville* Hannibalis iter investigabat; et sæpe ardentioris animi vi abreptus, loca parum certo auctoris græci narratione indicata quasi deprehenderit, sibi gratulatur. Ac nescio an non talem in errorem inciderit, quum rupem e gypso albenti quod, non procul a pago *Villar*, ad lævam torrentis dicti *de la Recluse* ripam eminet, eamdem esse atque τὸ λευκόπετρον a Polybio memoratum existimat. Cæterum quum tanta sit viri eruditio et sagacitas, dolere satis non possumus, quod ejus opinio qualem conceperat, publici juris non facta sit. Eam quidem amplexus est doct. *Deluc*, sed multa ex ingenio addidit, aut mutavit.

1779-1786. Quod si illum ducem habuisset *De Saussure*, vir omnibus cognitionibus ad solvendam quæstionem necessariis ornatus, eam profecto attentione digniorem judicavisset.

Sed vix eam attigit, Livioque plane obsequutus, quacumque ille viam flectit, hac et ipse graditur. Montem tamen dictum *Cenis*, non qui nuncupatur *Genèvre*, a Livio designatum putat. (*Voyage dans les Alpes*, *tome* 4, *édition in*-8°, § 987.)

1788-1789. Quæ jam obsoleverant, opiniones in medium

retraxerunt *Dutems* et *Chrétien de Lorges*. Quorum prior in opere, cui titulus, *Itinéraire des routes les plus fréquentées*, etc. Paris, 1788, in-12, Equitis *Folard* sententiam restituit, hoc præcipue nixus argumento, quod ex uno monte, prope Ocelum sito, monstrari exercitui potuerint circumpadani campi. Alter autem in libro sic inscripto, *Essais historiques sur le grand Saint-Bernard*, 1789, *in*-12, per hunc unum de quo loquitur montem Italiæ aditum, Hannibali patere potuisse contendit, omniaque ante se in hujus sententiæ defensionem memorata lucro apponens, Livium, quia cum ipso non consentit, sæpius increpat, acerbus castigator.

1763-1792. Opinionis hujus, quantumvis raræ atque singularis, aliquando defensor nobilissimus exstitit *Gibbon*, qui romani imperii casus in historia sua tanta cum laude explicavit. Præclara quædam de hac re invenimus in ejus miscellaneis operibus, adscripta die octobris 24, anno 1763. Quum primum Cluverii librum legisset, qui de transitu Alpium tractat, Polybium cum Livio conciliari non posse perspexit: itaque exposuit, quæ causa Livium induxerit, ut Hannibalem per Cottias Alpes deduceret, et opinionem Veterum, scilicet in Salassos omnium primos eum descendisse, repudiaret. Tum ex Polybii narratione conjicit, Pœnos se per summum Penninum Italiæ intulisse. Argumenta ipse quibus utraque firmatur refelliturque opinio examinat, et demum dubii tenax ita concludit: « Latini « scriptoris narrationem esse verisimiliorem, græci autem « auctoris veram magis videri ». Hac quanquam dubii specie involutus, *Penninæ Alpi* tamen se favere satis significat. Doctissimi vero *Danville*, cujus scientiam maximi faciebat, auctoritate postea victus, a priori sententia videtur destitisse, et deinceps pro saltu Taurino militasse; quippe eum anno 1792 viæ a cl. *Danville* descriptæ defensorem se ostendisse compertum habemus.

Non adeo quidem valide unquam opinioni adhæserat, qua summum Penninum superasse Carthaginienses feruntur;

neque credere poterat eos tantis ambagibus Romam petiisse. Falso autem ratus hoc a Polybio iter designari, quam alii cuivis fiduciam dare mens vetuisset, auctoritati comprobatæ Polybii ultro deferebat. Miror sane tantum virum, quum sic Polybio faveret, tamen nequaquam suspicatum esse, alium inter Cottias Penninasque Alpes, locum posse cogitari, cui narratio Polybiana melius accommodetur. (Vid. *Gibbon's miscellaneous works and memoirs;* 2 vol. in-4°, Lond. 1796 : nova exstat horum miscellaneorum operum editio *by lord Sheffield*, Lond. 1814, 5 vol. in-8°, priore multo amplior.)

1794. Eodem fere tempore quo *Gibbon* a Penninis Alpibus recedere incipiebat, vir in Anglia quoque non ignobilis *Whitaker*, opinionem quam ille repudiabat, confirmare nitebatur argumentis, quæ in gravi cumulata libro invenimus: *the course of Hannibal over the Alps ascertained.* Lond. 2 vol. in-8°. Quo in opere non solum revocata collectaque sunt omnia qualiacumque in hujus opinionis defensionem composita; at novi etiam exponitur itineris descriptio, quam paucis hic verbis contractam referemus. Hic neque Polybio neque Livio obsequutus, Rhodanum e regione vici *Loriol* trajectum fuisse, Insulamque Allobrogum Rhodano et Arari comprehensam arbitratur, quod jam antea Donatus *Acciaiuoli*, et clar. *Menestrier*, S. J. Mox vero nullius priorum vestigiis insistens, a Lugduno ad Genevam transcurrit, supervacaneum ratus indicare, qua Pœni ingressi sint via. Sic et a Geneva sexaginta millia passuum emensus, Octoduri (*Martigny*) consistit. Hic occurrunt, ut ipse opinatur, fauces per quas Pœni Alpes invasere : quam vere urbem expugnarunt, ea nunc vocatur *Saint-Branchier*, novem circiter millia passuum ab Octoduro distans. Exercitus deinde ab loco dicto *Orsières* regressus, ut vallem *de Bagnes* subiret, postquam quinque totos dies ibi consumpserit inter scopulos insuperabiles, tunc demum in pagum Sancti-Petri nomine descendit, ita ut sextis castris vix novem millia emensus fuerit : nam hinc ad stationem modo citatam, *Saint-Branchier*, ea

est distantia; neque haud minor ad scandendum montium verticem supererat. Tam dementem opinionem confutare, quis operæ pretium putabit? Ergone vir ille, qui Hannibalis iter nova luce debuerat illustrare, tenebris contra quibus oppressum jampridem fuerat, caliginem quoque suam circumfudit. Et ideo venia minime dignum judico, quod a nobilissimo *Melville* documenta acceperat huic quæstioni tractandæ utilissima; at nimia res novandi cupiditate abreptus, viam quæ a nullo antea tentata foret, patefacere sibi destinaverat.

1794. Interim vestigia Hannibalis Fred. Leop. Comes *de Stolberg*, poetæ more ac modo, inquirebat in Medullis (*la Maurienne*) inter vicos *La Chambre* et *Modane*, ratusque se in locis a victore Sagunti olim peragratis versari, tantum admiratus virum exclamabat : « Quels furent les moyens « qu'Annibal employa pour passer ces vallées, avant qu'on y « eût ouvert des chemins? Le souvenir de ce grand guerrier « nous anima : nous contemplions les rochers impraticables, « entre lesquels, lui, son armée et ses éléphants se frayèrent « un passage. Nous avions devant nous ces blocs nombreux, « qui, précipités des hauteurs qui nous dominaient, sont épars « dans le lit de la rivière. Qui peut dire que ces blocs ne sont « pas l'artillerie que les sauvages habitants des Alpes déchar- « gèrent sur les Carthaginois, quand ils virent pour la première « fois la sainteté de la nature inaccessible ainsi profanée? » Utinam quæ laudat poeta, ea quoque historia, et ars critica comprobarent! At illustriss. *de Stolberg* nusquam certis validisque argumentis demonstravit, se in eo vere loco versatum esse, qua transiit summus ille Imperator, in quem laudibus extollendum elegantissimi ingenii flores ultro profudit. (Vid. *Travels in Germany, Italy and Sicily, by Stolberg; London*, 2 vol. in-4°, t. I, p. 191, in versione anglica editionis germanæ, quæ prodiit anno 1794, *Kœnigsberg*, 4 vol. in-8°.)

1802. Opinionem a viris doctiss. *Abauzit*, *Mann*, *Simler* et *Grosley* expositam, non minore ingenio et sagacitate propugnat *Albanis Beaumont*, qui, quum sciret montem *Cenis*

Romanis tunc temporis fuisse invium, alio declinandum esse censuit, tramitemque tredecim passuum millibus distantem, Etesiam (*nord-est*) versus aperuit. Quo ut deveniatur, a loco appellato *Lans-le-Bourg* eundum adverso amne, cui Arcus nomen, trans vicum *Bessans*, unde fauces angustissimæ incipiunt, quæ ad vallem *de Vice* in Pedemontio, ac deinceps in vallem *de Lanzo*, demum ad Augustam Taurinorum perducit. Hoc iter auctor ipse quum decucurrisset, anno 1782, sibi visus est Pœnorum vestigia deprendisse, qua circumpadanos agros penetrare debuerint. Id tamen se conjectura assequi non certo affirmare dicit, immo optare, ut novæ de hac re perquisitiones instituantur : quas ipsi suscipiendas si otium permisisset, ab ea opinione, credo, mox destitisset, quæ nullis bene firmatur argumentis. (Vid. *Description des Alpes Grecques et Cottiennes, ou Tableau historique et statistique de la Savoie, par J. F. Albanis Beaumont.* Parisiis, edit. *Didot*, 1802, 4 vol. gr. in-4°, fig. et atlas in-fol.)

1802. *Villars, Mémoire envoyé à l'Institut. Notice des travaux de la classe de littérature, lue le* 15 *vendémiaire an* 10. (*Mémoires des Sociétés savantes*, II, 66.) Auctor in incerto reliquit, Alpemne Penninam an Graiam transcenderit Hannibal : videtur tamen Graiæ magis favere.

1811-1813. Ex ordine temporum sequitur quorumdam mentio operum, quæ pro Penninis aut Cottiis Alpibus faciunt.

*Histoire des campagnes d'Annibal en Italie pendant la deuxième guerre punique*, etc. *par Frédéric-Guillaume (de Vaudoncourt), général de brigade. Milan, de l'imprimerie royale;* 3 vol. in-4°, atlas.

*De Rivaz, Mémoire pour prouver que le passage d'Annibal a eu lieu au grand Saint-Bernard.* (Vid. *Moniteur du* 30 *décembre* 1813.) Ant. Fr. *Delandine, Mémoire sur cette question : de quel côté Annibal parvint-il des Gaules en Italie ?* (per Lugdunum et Alpes Penninas). Vid. *Mémoires bibliographiques et littéraires par Delandine.* Paris. *Renouard*, pag. 125 et seq.

1818. *Annales des faits militaires, faisant suite aux Vic-*

*toires et conquêtes des Français, tom. I, cahiers* 6, 7 et 8. Paris. C. L. F. *Panckoucke.*

1818. *J. A. Deluc.* In hoc denique opus incidimus, quo Hannibalis iter, caligine hactenus et tenebris quas viginti sæculorum doctrina et eruditio vincere nequiverunt, involutum, controversiis tamen tritum semper redivivis, tot scriptorum lucubrationibus exercitum, speciali tandem cura tractatur, atque amplissimis illustratum explicationibus novo lumine distinguitur.

Cujus operis auctor, Londini, anno 1795, commoratus, nobiliss. *Melville* colloquiis frui potuit, et quidquid hic anno 1775 Alpes perlustrans animo collegerat, ipse edidicit, partimque notis manuscriptis quas ipsi tradidit vir doctissimus, partim ejusdem sermonibus victus, opinionem veram tandem se assequutum existimavit. Ei tamen antequam adhæreret, ipse quæstionem tantis controversiis impeditam perpendit, Polybii textum contulit cum optimis ejus versionibus, splendidissime scripta de eventu tam memorabili perlegit, vias a Romanis per Alpes munitas dignovit, et locorum distantias in optimorum Geographorum tabulis dimensus, eas cum mensuris a Polybio adhibitis comparavit.

Duas in partes apprime distinctas dividi potest clariss. *Deluc* opus, sic inscriptum : *Histoire du passage des Alpes par Annibal.* Priori parte disserit, quam Hannibal viam a Pyræneis ad Rhodanum sequutus fuerit, quo loco flumen trajecerit, quantum spatii abhinc ad Insulam usque sit emensus, hæc ipsa regio ubi sita sit, denique quanam montes fabulosæ altitudinis transcenderit. Qua in parte nec acumen certe, nec ordo lucidus desiderabitur : adde quod præcisis Polybii verbis tota nititur. Altera vero pars omnis in eo versatur, ut quomodo agmen incesserit ab Insula ad Centronum fauces, accurate et minutatim innotescat. Quum autem Polybius huc paucissima afferat, neque ullam locorum designationem interponat, nihil firmum et indubitatum recens scriptor emittere potest; omniaque, certa auctoritate destitutus, prout libet, instituit, et in ordinem

digerit. Hanc opinionem jam supra accurate perpendimus, et tam fuse quidem, ut inde cognosci et probari facile possit.

1819. Vir hodie in Europa ingenii acumine et doctrina præstantissimus *Letronne*, clarissimo *Deluc* adversatur: illius tamen, etsi me multum movet auctoritas, sententiam pro Livio pugnantis ausus sum non sequi, et eis, quæ objecerat, supra jam respondere studui. (*Journal des Savants. Janvier*, 1819, Paris. in-4°, pag. 22 sqq. et *Décembre*, pag. 753 sqq.)

— *Dissertation sur le passage du Rhône et des Alpes par Annibal, l'an 218 avant l'ère chrétienne, avec une carte qui représente la marche d'Annibal depuis Nîmes jusqu'à Turin.* (*Le Comte Fortia d'Urban.*) Paris. altera edit. 1819; tertia 1821, in-8°. Punicum agmen auctor per saltum Taurinum ducit: at novam omnino sententiam de Insula commentus est, quam in Cavaris, Rupi-Mauræ proximis, excogitat. Hunc confutatus est cl. *Letronne, Journal des Savants*, 1819, pag. 35 sqq.

— *Recherches sur la géographie ancienne et les antiquités du département des Basses-Alpes; par D. J. M. Henri: à Forcalquier*, in-8°.

1820. Transitus Hannibalis per Alpes, cum tabula geographica, *Morgenblatt*, februar. 1820, *Stuttgard, Cotta*, in-4°. Hanc dissertationem, nomine mihi tantum notam, obtinere non potui.

— *A Dissertation of the passage over the Alps by a member of the university of Oxford.—Oxford and London*, 1820, in-8°. Eximium opus, et summa eruditione plenum; cujus auctor novam lucem disputationi inferens, opinionem clariss. *Melville* et *Deluc* sequitur et confirmat, neque tamen, hujus ad instar, iter Hannibalis adeo concinniter et affirmate ab Insula ad Graias Alpes demetitur et delineat.

Illa tantum super hac quæstione opera mihi innotuerunt, quæ per trecentos abhinc annos concinnata et sæpius repetita, maximam in ea utilitatem simul et oblectamentum reponi satis significant. Quis enim segni frigidaque mente

audire queat, quot obices summus ille Carthaginiensium imperator perruperit! qua audacia cum ipsa rerum natura colluctatus, montium altitudinem nivesque cælo prope immixtas transcenderit! quam nobili impetu in Romanos gentium dominationem jam affectantes invectus, ferrum flammamque urbi æternæ minitabundus irruerit, et viam, qua Roma exscindi posset, futuris hostibus patefecerit!

> Annibal l'a prédit, croyons-en ce grand homme,
> Jamais on ne vaincra les Romains que dans Rome.
>
> RACINE, *Mithridate*, act. III, sc. I.

Hæ rationes me adduxerunt, ut diutius in memorabili illo secundi belli punici initio immorarer, omnesque meæ mentis vires intenderem ad hanc partem accurate disputandam. Unum superest, ut doleam nondum in lucem prodiisse jampridem exspectatum opus viri omni doctrinarum genere insignis *Walckenaer* (1), quo si adjutus et suffultus forem, nihil amplius desiderandum mihi videretur.

(1) *De l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, secrétaire-général de la préfecture de la Seine, maître des requêtes.*